Imprimatur.

Septemb. 9. 1686.

JO. BATTELY R^mo in Christo Patri ac D.D. *WILHELMO*, Archiep. *Cant.* à Sacris.

Imprimatur.

Septemb. 9. 1686.

JO. BATTELY R^mo in Christo Patri ac D.D. *WILHELMO*, Archiep. *Cant.* à Sacris.

4-22-31

V. Cl.

JOHANNIS PEARSONII,

S. T. P.

CESTRIENSIS nuper Episcopi,

OPERA

POSTHUMA

Chronologica, &c.

VIZ.

DE SERIE ET SUCCESSIONE

Primorum ROMÆ Episcoporum

DISSERTATIONES DUÆ:

Quibus præfiguntur

ANNALES PAULINI,

ET

Lectiones in Acta Apostolorum.

SINGULA

Prælo tradidit, edenda curavit & Dissertationis novis Additionibus auxit H. DODWELLUS, A.M. *Dublinienſis:*

Cujus etiam accessit

De eâdem Successione usque ad Annales Cl. Cestrienſis *Cyprianicos*,

DISSERTATIO SINGULARIS.

LONDINI,

Typis *S. Roycroft*, LL. Orientat. Typographi Regis; Impensis *R. Clavell*, & *B. Tooke*. in Cœmeterio D. *Pauli*, MDCLXXXVIII.



1788:04

(x-ref., 140-33)

Reverendiſſimo in Chriſto

PATRI AC DOMINO

Domino

WILHELMO,

Divinâ Providentiâ

Archiepiſcopo *Cantuarienſi*,

TOTIUS

Angliæ Primati & Metropolitano.

QUOD res ipſa magnopere ſuadet, & officii mei ratio poſtulat, id certe egomet abſque piaculo miſſum facere non potui. Quem enim magis aut Pearſoniani *nominis decus & gloria*, *aut etiam* Chronologicæ *hæ reliquiæ*

liquiæ quàm Reverendiſſimum CANTUARIENSEM noſtrum, hodie vindicem ac patronum agnoſcant? Nam in ea Eccleſiæ tempora incidimus, in quibus obſequium amicos, veritas odium parit. *Hæc ergo ipſa jamdiu à* Petri *cathedra depulſa ad Sedem Tuam Archiepiſcopalem confugit: Cumque totus in ea ſis ad Eccleſiæ commune bonum & animarum ſalutem, quid mirum ſi tantis laboribus par ſuccreſcat invidia? Adeo dura rei Chriſtianæ pars ac fortuna, tam iniqua etiam veritatis præ erroris ſorte conditio, ut vel inaudita antehac venerandam Antiquitatem impune mentiantur, & Fides ipſa* Sanctis ſemel tradita *audiat hæretica. Hem quo redacta eſt cœleſtis illa veræ Religionis forma, quàm miſere recto Dei cultui ſuperſtitioſa vanitas illuſit! Eſt genus hominum, qui lucem ipſam & veritatem Evangelii aſpernantur, qui larvata & ficta omnia in pretio habent, qui relictis veteris Eccle-*

ſiæ

ſtiæ monumentis adulterinas merces paſſim venditant; in rebus ſacris quàm fluxa fides, in digerendis Eccleſiæ Annalibus quanta confuſio! Multi tamen exorti ſunt viri boni, quos hæc ætas in Eccleſiæ Dei commodum tulit, qui omnes ingenii & eruditionis copias iſtorum conatibus feliciter oppoſuere; inter quos prima acie merito ſtetit, dum vixit, Clariſſimus PEARSONIUS, infulati ordinis decus & ornamentum, cujus hæc Chronologia Pontificia, Imperfecta quidem illa, ſed ab amiciſſimo Dodwello jam tandem ſuis numeris abſoluta, ſub auſpiciis optimis prodit in lucem. In clientelam ergo Tuam & fidem, Reverendiſſime Pater, etiam magni CESTRIENSIS fama ſe commendat, dum judicio Tuo omnia facile permittit; tam ſacro munita præſidio à Sæculi malignitate labem non metuit; cumque Vir idem, cujus ſuprà memini, Pearſonianæ famæ ſtudioſiſſimus Illuſtriſſimi

ſimi A S A P H E N S I S *nomen in ſubſidium* ſuis *ſaccenturiaverit, certe nil aliud ſibi voluit, quàm ut Opus* integrum *duplici hoc clypeo utrimque tectum procedat in publicum. Deus Opt. Max.* Utrumque *ſervet incolumem in Eccleſiæ* Anglicanæ *commodum & felicitatem, & in rei literariæ literatorumque beneficium maximum. Ita ex animo precatur ac vovet*

Paternitati Tuæ

devotiſſimus,

JOANNES THANE.

IN

INDEX RERUM.

ANNALES PAULINI, à pag. 1. ad p. 25.

Lectiones in Acta Apoſtolorum.

LECT. I.

I. COEPIT *Eccleſia poſt Chriſti verba S.* Matt. 16. 18. *ante* Act. 2. 47. II. *Ab Epochâ Pentecoſtes.* III. *Tempora Chriſti admodum incerta.* IV. *Paſſus ſub Pilato, teſte Tacito.* V. *Annus Paſſionis per Imperatorem, & Coſſ. deſignandus.* VI. *Annus ille deſignatur.* Ὑπερῷον, *Antiquiſſima Apoſtolorum Eccleſia.* VII. Ὑπερῶα, *Cœnacula, loca ſacris uſibus deſtinata.* VIII. *Judæorum ex omni gente Proſelyti Hieroſolymis Feſti occaſione convenerant.* IX. *S. Petrus omnium Apoſtolorum nomine concionatur.* X. *Coaluerunt converſi in Eccleſiam, primò, recipiendo Baptiſmum.* XI. *Secundò, perſeverando in Doctrinâ Apoſtolorum.* XII. *Tertiò, perſeverando in fractione Panis, i.e. Euchariſtici.* XIII. *Quartò, perſeverando in Orationibus.* XIV. *Recapitulatio.* XV. *Temporaria duo: primò, Signa.* XVI. *Secundò, Bonorum communitas.* XVII. . . . . XVIII. *Eccleſia Hieroſolymitana prima omnium, & mater.* à p. 27. ad p. 37

LECT. II.

I. *SS. Petrus & Joannes præcipui Apoſtoli.* II. *Horæ Orationis apud Judæos receptæ.* III. *Incertum, an illas obſervârint primi Sæculi Chriſtiani.* IV. *Primi earum apud Chriſtianos meminerunt Tertullianus & Cyprianus.* V. *Quinque Millia converſi, ut intelligendi.* VI. *Præſidium in arce Antoniâ. Quinam Annas, Caiaphas, Joannes, Alexander.* VII. *Hi Apoſtolorum Judices.* VIII. *Sequuntur geſta Anni Tiberii* XIX. *poſt Aug.* 19. IX. *Bonorum communium diſtributio penes Apoſtolos.* X. *De Barnabâ, & ejus Epiſtolâ.* XI. *De morte Ananiæ & Sapphiræ. Defenditur S. Petrus adversùs Porphyrium.* XII. *De umbrâ S. Petri. Argutatio Baronii pro Imaginibus.* XIII. *Ejuſdem alia ſimilis argutatio pro poteſtate Pontificis Romani.*

Romani. XIV. *Romanenſium artes in novitatum ſuarum Antiquitate aſtruendâ.* XV. *Rerum dogmatumque Origines in Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ obſervandæ.* à p.38. ad p.47

LECT. III.

I. *Fueritne Gamaliel Chriſtianus?* II. *De Theodâ S. Lucæ cum Joſepho conciliandi variæ Eruditorum ſententiæ.* III. *Hinc geſta Anni Ær. vulg.* 34. IV. *De Actis Pilati.* V. *Helleniſtæ quinam.* VI. *Diaconatûs Officium ſacrum.* VII. *Hoc tempore ab Apoſtolis inſtitutum.* VIII. *Nulla tamen erant illis temporibus, quod vult Baronius, Diaconis inferiora Miniſteria.* à p.48. ad p.55

LECT. IV.

I. *Verbum Domini creſcebat.* II. *S. Jacobus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfectus.* III. *Is frater Domini, & Juſtus cognominatus eſt.* IV. *Non alius ab Apoſtolo filio Alphæi.* V. *Singulari quâdam inter Apoſtolos Autoritate præditus.* VI. *Adhuc Synagogis interſunt Apoſtoli.* VII. *Libertini Judæi quinam.* VIII. *Martyrium S. Stephani, quæque de eo obſervat Baronius.* IX. *Refutantur.* X. *Sauli Perſecutio.* XI. *Cur, reliquis fugatis, ſoli Hieroſolymis remanſerint Apoſtoli, Veterum Traditio.* XII. *Fabuloſa multa de hac Perſecutione præmittuntur.* XIII. *Quos in locos conceſſerint Diſcipuli hac occaſione diſperſi.* XIV. *De relatione Polati ad Tiberium refutatur Tanaquillus Faber.* XV. *Cur Deus decretum Senatûs de Chriſti Divinitate impedierit.* à p.56 ad p.65

LECT. V.

I. *Convertuntur à S. Philippo Diacono Samaritani.* II. *Simon ab eo victus.* III. *Ad Samariam mittuntur ex Hieroſolymis Apoſtoli.* IV. *Qui Spiritum S. jam baptizatis conferunt.* V. *Ab Apoſtolis nimirum ſolis conferendum, & Apoſtolorum ſucceſſoribus Epiſcopis.* VI. *Impoſitionis manuum & Chriſmatis uſus in Confirmatione.* VII. *Impoſitio manuum antiquior.* VIII. *Ludi decennales an. Tiberii viceſimo certus Coſſ. character.* IX. *Hæreſis Simonianæ ortus.* X. *Gaza deſerta.* XI. *Candace hoc in loco vix eadem eſſe potuit cujus meminit Strabo.* XII. *De loco ubi baptizatus eſt Eunuchus.* XIII. *Æthiopas convertit.* XIV. *Raptus Philippi.* XV. Ἡ ὁδὸς, *quid.* XVI. *Sauli converſio.* XVII. *A converſione quid fecerit.* XVIII. *Receſſit in Arabiam Deſertam.* à p.66. ad fin. prim. num.

DIS-

INDEX

DISSERTATIO PRIMA,

DE

Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum in genere.

CAP. I.

I. *VEra ſeries Pontificum Romanorum ſuis temporum terminis rectè diſpoſita ad intelligendam Hiſtoriam Eccleſiaſticam perquam neceſſaria eſt,* p.1.

II. *Chronologi Pontificii qui lucem majorem expectabant, aut profeſſi ſunt, nihil in ea re effecerunt,* p.2

III. *Proteſtantium Chronologi eam partem Chronologiæ aut penitus omiſerunt aut confusè tradiderunt,* p.3

IV. *Solus Heinſchenius eam partem cum cura tradidit, nihil tamen certi attulit,* ibid.

V. *Nobis igitur alia tentanda eſt via,* p.4,5

CAP. II.

I. *Duo Romanorum Pontificum hactenus recepti Catalogi veteres erronei,* p.6

II. *Græcus prior Euſebii. Refellitur Valeſius. Quindecim primorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcoporum nuda nomina, non item tempora, in Archivis Eccleſiaſticis conſervata reperit Euſebius,* p.7

III. *Sed & recentiorum Hadriano ejuſdem Urbis Epiſcoporum tempora admodum incerta,* p.8

IV. *Horum tamen Epiſcoporum nonnullorum tempora, nullo prorſus Autore, deſignavit Euſebius,* p.9

V. *Malè itaque ex Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Succeſſione collegit Valeſius, tempora primorum Epiſcoporum in Eccleſiæ Primævæ monumentis fuiſſe conſervata. In reliquarum Sedium primariarum Succeſſionibus conſervata fuiſſe, veriſimilius eſt, non tamen ita certum ut omnem prorſus excludat dubitandi rationem,* p.10

ADDIT. H.D. ad Cap.II.

Alius erat Theophilus *qui libros ſcripſit ad* Autolycum, *ab Epiſcopo* Antiocheno *cognomine, qui* Sexto *loco ſucceſſit ab Apoſtolis.* p.11

CAP. III.

I. *Ab Episcoporum Succeſſione argumentari ſolebant ſecundi tertiique Sæculi Patres adverſus ſui temporis Hæreticos,* p.13
II. *Item quarti Sæculi & quinti,* p.14
III. *Qui tamen ubi Succeſſionis illius Catalogos referunt, temporis nullam faciunt mentionem,* p.16

CAP. IV.

I. *In primis Episcoporum Catalogis nulli memorantur dies emortuales. Serior illa* depoſitio Epiſcoporum *Bucheriana,* p.17
II. *Recepta de primis Romæ Epiſcopis pleriſque Martyribus ſententia erronea eſt,* p.18
III. *Notarios colligendis Martyrum geſtis primus inſtituit Fabianus,* p.19
IV. *Nec ultra Fabiani memoriam ſurgunt geſta Eccleſiaſticis monumentis inſerta,* p.20
V. Depoſitionis *tam* Epiſcoporum, *quàm* Martyrum *Bucherianæ tempus eruitur,* p.21

CAP. V.

I. *Hæreticis (ſub Sæculi ſecundi initium) Traditionis Apoſtolicæ Succeſſionem venditantibus, inde facta eſt Catholicis occaſio, ut & ipſi Succeſſorum in Eccleſiis, præſertim Apoſtolicis, tabulas conficerent,* p.23
II. *Iſtiuſmodi tabulas primus collegit Hegeſippus, cujus vera adverſus Valeſium, lectio defenditur,* p.24
III. *Item adverſus Halloixium,* p.25
IV. *Vera loci interpretatio ulteriùs confirmatur,* ibid.
V. *Etiam ex Hieronymo,* p.26

CAP. VI.

I. *Fundarintne Eccleſiam Romanam Petrus & Paulus,* p.27
II. *Affirmant Irenæus, Epiphanius, Euſebius,* p.28
III. *Apoſtolos Eccleſiæ Romanæ non Fundatores modò, verùm etiam Epiſcopos ſtatuit Epiphanius,* p.29
IV. *A S. Petro ſolo Romanæ Eccleſiæ Succeſſionem arceſſunt Caius Græcus, & Latini Authores plerique,* p.30
V. *E Scriptura probari nequit, ſeu Romæ fuiſſe S. Petrum, ſeu è contra,* p.31

CAP. VII.

I. *Sanct. Petrum Romæ fuiſſe probatur*
II. *Ex Ignatio, Papiâ, vetuſtiſſimo* κηρύγμα Πέτρου *Autore,* p.32

III. *E Dionysio Corinthio,* p.34
IV. *Ex Irenæo, Caio, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Origene, Cypriano, Lactantio, Eusebio, Athanasio, Epiphanio, Juliano Apostatâ, Augustino, Palladio,* p.39
V. *Mirum itaque reperiri potuisse qui Petrum Romæ unquam fuisse negarent,* p.42

CAP. VIII.

I. *Non ita Judæos propriam sibi Provinciam sortitus est Petrus, quin potuerit etiam Gentes, oblatâ occasione, convertere,* p.44
II. *Et tamen Romæ multi, illis etiam temporibus, fuere Judæi,* p.46
III. *Petrum è Babylone Epistolam scripsisse conceditur,* p.47
IV. *Babylon Assyria eo tempore deserta,* p.49
V. *Non tunc Babylon sedes erat Imperii, sed paulò ante Seleucia; Petro verò prædicante, Ctesiphon,* p.50
VI. *Sed nec fuit illa Judæorum incolentium multitudine illo tempore celebris,* p.51
VII. *De Babylone potiùs Ægyptiacâ intelligendus in Epistolâ S. Petrus,* p.54
VIII. *Melius ad hanc Babylonem referenda erunt quæ per totam illam Epistolam scripsit S. Apostolus,* p.56
IX. *Refellitur Argumentum Salmasii è Clemente Romano,* p.60
X. *Ejusdem sententia mortem S. Petri decimo Claudii anno statuentis, etiam refellitur,* p.63

CAP. IX.

I. *Salmasii nullos Apostolorum in Ecclesiis Successores concedentis sententia proponitur,* p.67
II. *Successoris vox de Successoribus partiariis usurpata. In Alexandri III. successione* διάδοχοι, ἐπίτροποι, ἀπόγονοι, *quo pacto invicem distinguendi,* p.68
III. *Proinde quòd in partem ditionis Apostolicæ successerint Episcopi, nihil tamen obstat quo minus dici possint Apostolorum Successores,* p.72
IV. *Etiam ante mortem S. Pauli singuli Presbyteriis Episcopi præfecti sunt,* p.73
V. *Primam ad Timotheum Epistolam è Macedonia datam, antequam Romam veniret Apostolus, malè statuit Salmasius. Triplex memoratur Apostoli in* Actis *profectio in Macedoniam, quarum nullâ scribi hæc potuit Epistola,* p.75
VI. *Malè rursus Epistolam ad Titum profectioni Macedonicæ assignat in* Actis *memoratæ,* p.77
VII. *Non affirmat Clemens Romanus Paulum, postquam Romam ingressus est, pedem inde postea nunquam*

quam extuliſſe, p.79
VIII. *Bis Romæ Paulum fuiſſe probatur,* p.80
IX. *Inter binos illos Romam adventus impoſiti erant Presbyteriis viri ſingulares Epiſcopi,* p.82
X. *Idem probatur de ſecundo Temporum Apoſtolicorum Intervallo, à Martyrio S. Pauli ad obitum S. Joannis,* p.84
XI. *Idem de tertio Intervallo probatur ab obitu S. Joannis, uſque ad tempora Victoris,* ibid.

XII. ADDITIO *H. D.*

1. Hieronymus *Epiſcopos Presbyteris ab ipſis uſque* Apoſtolorum *temporibus præfectos exiſtimavit,* p.85
2. *Non faciunt ad* Salmaſii *cauſam ſeu* Polycarpus, *ſeu* Epiphanius, *ſeu etiam* Irenæus, p.88
3. Pii I. Victoriſque *Epiſtolæ commentitiæ,* p.90
4. *Nihil tamen teſtantur illæ quod faciat ad Cauſam* Salmaſii, p.92
5. *Jura quædam ſingularia* primariis Presbyteris *non potuit negare* Salmaſius, p.93
6. Veterum *nemo credidit quod credidere* Salmaſius & Blondellus, *paritatem illam (quam volunt)* Presbyterorum *ad tempora Apoſtolicis* recentiora *deſcendiſſe,* p.94
7. *Multa ſunt in* Hieronymi ratiociniis *infirmiſſima,* p.97

CAP. X.

I. *Pontificum Romanorum Succeſſiones deſcripſit, ante Euſebium, Anonymus qui ſcripſit ſub Severo,* p.99
II. *Euſebius in temporibus Pontificum Romanorum diſponendis nullum habuit Autorem,* p.100
III. *Multis id exemplis evincitur. De temporibus Xyſti,* p.101
IV. *Dionyſium Romanum cum Dionyſio Alexandrino aliquot annis ſedem tenuiſſe neceſſe eſt,* p.102
V. *Diu etiam ante Synodum illam Antiochenam quæ Samoſatenum depoſuit,* p.103
VI. *Succeſſit Romæ Dionyſius Gallieni ſexto, Antiochiæ Paulus ejuſdem Gallieni octavo,* p.104
VII. *Synodus Antiochena in Paulum Samoſatenum unica. Ea anno Gallieni undecimo primùm congregata eſt, duodecimo Dionyſium Alexandrinum invitavit, decimo tertio Gallieni, Chriſti* CCLXVI. *depoſito Paulo Domnum ſuffecit,* p.106
VIII. *Dionyſius Romanus mortuus, An. Dom.* CCLXIX. *Defenditur tempus Synodi Antiochenæ ab Autore deſignatum,* p.107
IX. *Euſebii in reliquorum ad Caium uſque ſuccedentium Pontificum temporibus errores,* p.108
X. *Non fuit alius à Marcellino Marcellus Romanæ Urbis Epiſcopus,* p.109

XI. AD-

XI. ADDITIO *H.D.*

1. Euſebio *res* Occidentalis Imperii *parùm cognitæ*, p.110
2. *Nulla habuit* Euſebius *nova ſubſidia in* Hiſtoria *quibus careuerit in* Chronico, p.112

CAP. XI.

I. *Libellum de Romanis Pontificibus Blondellus in Apologia miris effert laudibus, cujus tamen notas Conſulares in Pſeudo-Iſidoro reprehenderat*, p.115
II. *Libelli hujus meminerunt antiquiores Anaſtaſio autores*, p.117
III. *Secutus eſt eundem Pſeudo-Iſidorus, & quidem illum, quem vulgò habemus, interpolatum, idque in ipſis etiam Librarii erroribus*, p.118
IV. *Idem Pſeudo-Iſidorus Damaſum ſuarum Decretalium Epiſtolarum Collectorem haberi voluit, qui etiam Libelli de Pontificibus autor vulgò habitus eſt*, p.121
V. *Non Chronicos duntaxat Canones, ſed ipſas etiam Pontificum vitas complecti voluit hujus Libelli Autor adverſus Turrianum*, p.122

CAP. XII.

I. *De Libri Pontificalis Autore*, p.24
II. *Alii Damaſo partem priorem, poſteriorem autem tribuebant Anaſtaſio Bibliothecario; Baronius nihil Damaſo, ſed incerto omnia tribuebat Autori, qui tamen è duobus ſaltem Autoribus ſua conſarcinârit: Alii Libri univerſi Autorem ſolum credebant Anaſtaſium; Alii priorem partem ita Damaſo concedebant, ut tamen & ipſam crediderint interpolatam ab Anaſtaſio*, p.125
III. *Aſſertio prima: Prioris partis non eſſe Autorem Damaſum*, p.126
IV. *Aſſertio ſecunda: Autorem Libri, quicunque tandem is fuerit, non vixiſſe ante Sæculum Sextum*, ibid.
V. *Aſſertio tertia: Primum Libri Pontificalis Apographum eſſe quod ſub nomine Catalogi ſecundi edidit Heinſchenius, cujus Autor ſub finem ſexti Sæculi ſcripſerit; Interpolatum tamen atque continuatum ante Anaſtaſium*, p.127
VI. *Aſſertio quarta: Incertum eſſe an quicquam in illo Libro interpolârit aut continuârit Anaſtaſius*, ibid.
VII. *Probatur interpolatum fuiſſe ante Anaſtaſium, & viceversâ in nonnullis mutilatum*, p.128
VIII. *Siquid boni habeat in primis Pontificibus Liber Pontificalis, id omne hauſit è Catalogo primo per Cuſpinianum edito, quem tamen*

tamen ipſum non integrum, ſed vitiatum duntaxat, viderit, p. 129

CAP. XIII.

I. *De primo Catalogo per Cuſpinianum & Bucherium edito*, p. 132
II. *Magni faciendus ſi quidem incorruptum haberemus*, p. 133
III. *Qualis hodie extat non ubique fide dignus*, ibid.
IV. *Binæ Baronii regulæ refelluntur. In primis Eccleſiæ Romanæ Traditionibus, Græcis potiùs acquieſcendum, quàm ipſis Romanis. Nec ullam faciunt hac in cauſa fidem adjecti, nullo tamen idoneo teſte, Coſſ.* p. 135
V. *Refellitur Heinſchenii conjectura Anterum prioris partis Autorem ſtatuentis uſque ad Urbanum*, p. 137
VI. *Anterum prioris partis Autorem fuiſſe non eſt veriſimile*, p. 138

CAP. XIV.

I. *Hygini, Pii atque Aniceti tempora juſto ſeriùs detrudunt receptæ hactenus rationes tam Latinorum quàm etiam Græcorum*, p. 139
II. *Extant tamen tertiæ Eutychii Patriarchæ Alexandrini ab utriſque diverſæ*, p. 140
III. *In quibus, ut oportuit, horum Pontificum tempora ad anteriora promoventur*, ibid.
IV. *Is itaque, quamvis alioqui fide parùm dignus, hac tamen in causâ, Autorem aliquem ſecutus videtur minimè ſpernendum*, p. 141

DIS-

DISSERTATIO POSTERIOR

DE

Annis priorum Romæ Epiſcoporum ſigillatim, ex vetuſtis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis, & receptâ Arabum Chronologiâ rectiùs diſponendis.

CAP. I.

I. *IN Catalogo Succeſſionis id imprimis curandum eſt, ne aut falſi inſerantur, aut veri è Catalogo excludantur Epiſcopi,* p.145
II. *Cletus malè in Catalogum intruſus Eum non agnovit Ignatius,* p.146
III. *Non agnovit Irenæus, non Caius, non Euſebius, &c. nec verè Epiphanius,* p.147
IV. *Sed nec in Eccleſiâ Latinâ Cyprianus, Optatus, Auguſtinus, Hieronymus, aliique vetuſtiſſimi,* p.149
V. *Diſcrepant inter ſe qui Cletum intrudunt, quo tandem ordine fuerit inſerendus,* p.151
VI. *Geſta Cleti & Anacleti invicem diverſa pro arbitrio conficta,* 152
VII. *Erroris occaſio,* ibid.

CAP. II.

I. *Intruſo Cleto malè collocatur initium Lini,* p.154
II. *Linus, ſuperſtitibus etiamnum Apoſtolis, in ſede collocatus, & ante illos etiam mortuus,* ibid.
III. *Idem aliunde confirmatur,* p.156

CAP. III.

I. *Unde ortum habuerit opinio de pluribus Romæ uno tempore ſedentibus Epiſcopis,* p.158
II. *Ita ſenſere Ruſinus & Beda,* p.159
III. *Plures ſimul Epiſcopos non agnoverunt vetuſtiores, Irenæus, Cyprianus, Cornelius, Novatianus, Pacianus,* ibid.
IV. *Nemo ante Ruſinum, cui occaſionem errandi dedit ſuppoſititia Clementis Epiſtola à ſe Latinè verſa,* p.160

CAP. IV.

I. *Prædictam de pluribus eandem ſedem poſſidentibus Epiſcopis ſententiam, ut in uſus ſuos detorqueant*

torqueant Episcopalis Regiminis adversarii, p.162
II. Commenta Blondelli, p.163
III. Aliter de Successione sensit Clemens ipse Episcopus Romanus, p.164
IV. Hausit è Libro Pontificali Paradoxa sua Blondellus, quem nec ipse tamen bonæ fidei testem agnovit, nec, si agnosceret, causæ suæ favere deprehenderet, p.165
V. Commenta Salmasii ex eodem Libro Pontificali, p.166
VI. Mirum est Librum Pontificalem tanti, hac in causa, feciſſe utrumque, tam Blondellum quàm Salmasium, p.167

CAP. V.

I. Ad annos trium primorum Episcoporum acceditur, p.168
II. Sedem tenuit Linus ab An. Dom. LV. ad LXVII. ibid
III. Corrupta sunt è Platina, hoc in loco, Romana Breviaria recentius edita, p.169
IV. Linum ante Apostolos decessisse credidit Autor Constitutionum Apostolicarum, p.170
V. Anencletus ab An. LXVII. ad LXIX, ibid
VI. Non longè indè discedit Heinschenius, p.171
VII. Clemens ab An. LXIX. ad LXXXIII. quo anno Euaristi ingressum ponit Eutychius, cujus indè vestigia premit Autor. Tertius Trajani Annus fatalis veterum Erroribus, p.172

ADDITIO H.D.

1. Tertio Vespasiani, non Trajani, anno mortuus Agrippa junior, p.173
2. S. Joannis obitum tertio Trajani anno contigisse putarunt Veteres, p.175
3. Quo anno obiit S. Joannes, eodem Trajani Persecutionem, Martyrumque omnium obitus, quos in ea Persecutione passos credebant, contigisse existimabant, p.176
4. Quibus nixi ratiociniis Veteres tam varias de S. Joannis obitu sententias adinvenerint, p.178

CAP. VI.

I. Ad Clementis tempora ab Eutychio designata propugnanda propiùs acceditur, p.180
II. Tria in contrarium Argumenta proponuntur, ibid.

ADDITIO H.D.

1. Objectio prima, De tempore velatæ à Clemente Domitillæ, p.181
2. Fictitia est secunda illa Domitilla Virgo, ibid.
3. Non fuit primis Christianitatis initiis in honore Virginitas, ne quidem apud Philosophos, p.182
4. Sed nec apud Sacerdotes, p.184
5. Nihil imminutus Sacerdotii honor legitimo Matrimonio, p.186
6. Quis

6. *Quis* Eunuchus *propter* Regnum Cœlorum, p.188
7. *Matrimonium in honore habebant primi Christiani*, p.190
8. Conjugium *non aspernabantur nonnulli in Ecclesiâ* honoratissimi, p.192
9. *Nec* usum *Conjugii à loci sui* sanctimonia *alienum censebant*, p.193
10. *Nonnullos cum* Uxoribus *etiam* consuevisse *verisimillimum est*, p.195
11. *Rationes Apostoli* pleræque *majorem Cœlibatûs* Utilitatem *quam Conjugii respiciunt*; paucæ *potiorem etiam* Honestatem, p.197
12. *Rationes aliæ quibus factum ut Apostolicis quoque temporibus cœperit in pretio esse* Virginitas, p.199
13. *Cœpit certè de facto, illo quoque seculo, in honore esse* Virginitas, p.202
14. *Non tamen sequitur* Virginitatem *professam esse* juniorem *illam* Domitillam, p.204
15. *Trajano primum Imperante, ad* publicam *Virginitatis* professionem *admissæ, sed in* Viduarum *Collegio* Virginez, p.206
16. Virgines *in* Viduarum *Collegium admissæ nullæ minores sexagenariis*, p.207
17. Vota *apud* Viduas *nulla. Explicatur locus* 1 Tim. 5. v. 12. ibid.
18. *Nec proinde, pro* Viduarum *exemplo*, Virginibus *erant* Vota *aut* Vela *ab Episcopis imponenda*, p.210
19. *Recapitulatio*, p.212
20. *Ad* secundam *Obj. Resp. Verisimile non est* Martyrem *obiisse Clementem*, p.213
21. *Nec* Martyrem *disertis verbis appellavit* Eusebius; *credidit tamen, sed nullo fretus, ut videtur, Veterum* testimonio, p.214
22. *Confuderunt Fabulatores* Clementem Consulem *verè Martyrem cum* Clemente Pontifice, p.215
23. *Est viam aliunde suspectæ receptior illa dispositio quâ Clemens mortuus sub Trajano creditur*, p.217
24. *Ad* tertiam *Obj. Resp. Scripsit Clemens ad Corinthios sub* Nerone, *non sub Domitiano*, p.218
25. *Quo sensu Ecclesiam Corinthiam ἀρχαίαν appelldrit Clemens*, p.222

CAP. VII.

I. Evaristus sedit ab An. Dom. LXXXIII. ad An. Dom. XCI. p.224
II. Alexander ab An. Dom. XCI. ad An. Dom. CI. p.225
III. Acta Alexandri non sunt syncera, p.226
IV. Neque antiqua: p.227
V. Sed potiùs nova, nec ante VII. *Sæculum scripta*, p.228
VI. Xystus sedit ab An. Dom. CI. *ad An. Dom.* CXI. p.231
VII. Qui post obitum S. Joannis Apostoli Pascha ἀναζώσιμον instituisse videtur, p.233
VIII. Telesphorus sedit ab An. Dom. CXI. ad An. Dom. CXXII. quando glorioſe Martyrio coronatus est, p.234

CAP. VIII.

I. Tempora priorum Romæ Epiſcoporum confirmantur, p.235
II. Ante An. Dom. CLII. quo mortem Teleſphori ſtatuunt alii, Hæreſes ſuas vulgârunt Valentinus, Cerdo & Marcion, p.236
III. Quod verum eſſe de Marcione omnium recentiſſimo concedit ipſe etiam Petavius, p.237
IV. Poſt mortem Hygini Hæreſin ſuam primò docuit Marcion, p.238
V. Non vixit Hyginus ad annum CLII. ut exiſtimat Petavius, p.239
VI. Sed nec uſque ad An. CXLII. ut putat Blondellus, p.240
VII. Explicatur locus Tertulliani. Epocha Tertulliani, de ortu Marcionis, in initio Pii terminanda eſt; Et quidem Pii Imperatoris non Pontificis, ibid.
VIII. A Tiberii XII. Ær. vulg. XXV. inchoanda, p.241
IX. Varia tempora, variique gradus, quibus Hæreſin ſuam vulgavit Marcion, p.243

ADDITIO H.D.

1. *Epocha Tertulliani à XV. Tiberii inchoanda,* p.245
2. *In initio Marcionis terminanda,* p.246
3. *Quod quidem Marcionis initium, cum* Pio *concurrerit non* Imperatore, p.247
4. *Sed* Pontifice, *& quidem cum Pii Pontificis* initio, p.248
5. *Incidit Epocha Tertulliani in eundem Annum, quo cæperit* Pius, *pro ſationibus Cl. Caſtrienſis, Eutychianis,* p.250

CAP. IX.

I. Proponitur locus Epiphanii de ortu Cataphrygum, p.253
II. Sententia Petavii. Malè ille Montanum XIX. Marci ortum exiſtimavit, ibid.
III. Epiſcopus Romanus, quem ait Tertullianus à Praxea in Montaniſtas fuiſſe excitatum, erat Eleutherus, p.255

CAP. X.

I. Commentum Blondelli de tranſlato in electitios Præpoſitos, ſub Hygino, ſeniorum primatu, p.256
II. Interpontificii quadriennium, quod renixùs argumentum credidit Blondellus, inter Hyginum & Pium, nullum, p.257
III. Falsò obſervavit è Libro Pontificali Blondellus nullos, ante Evariſtum, in Eccleſiâ Romanâ fuiſſe

fuisse Diaconos, p.258
IV. Varia Archontum Athenienſium genera, p.259
V. Nulli Athenienſium Archontes ſimiles Chriſtianorum Epiſcopis, p.262
VI. Quo ſenſu Epiſcopos Archontas dixerit Origenes, p.263
VII. Epiſcopi Collegas, quales habebant Archontes, in eâdem Urbe nullos habebant, p.264

CAP. XI.

I. Hygino ſucceſſit Pius, Pio Anicetus, Aniceto Soter, p.265
II. E vero horum Pontificum ordine convincuntur impoſturæ Epiſtolæ Pii ad Juſtum Viennenſem, p.266
III. E commentitiâ Pii Epiſtola prodiit Decretum apud Gratianum ipſum quoque commentitium, p.268
IV. Erant etiam è Latinis qui ordinem horum Pontificum prædictum ſequerentur, p.269

CAP. XII.

I. Hyginus ſedit ab An. Dom. CXXII. *ad An. Dom.* CXXVI. *Non Martyr*, p.270
II. Vacatio ferè annua. Inde Pius ab An. Dom. CXXVII. *ad An. Dom.* CXLII. *Nullum erat, poſt Hyginum, Interpontificii quadrienium, ut credidit Blondellus*, p.271
III. Solus hoc in loco veriſimilia tradidit Eutychius, p.273

CAP. XIII.

I. Cæpit Anicetus ab An. Dom. CXLII. *ſub Pio, aliis etiam ſuffragantibus præter Eutychium*, p.274
II. Tam maturè cæpiſſe in ſequentibus probandum, p.275

CAP. XIV.

I. Romam venit ſub Aniceto Polycarpus, & quidem Imperante Pio, quo etiam Imperante paſſus eſt, p.276
II. Scripſit Irenæus adverſus Hæreſes circa An. Dom. CLXXX. *poſt aliquas tamen à Polycarpo in ſede Smyrneâ ſucceſſiones*, p.277
III. Vidit Irenæus Polycarpum, ſed puer ipſe admodum ſenem, p.278
IV. Multis proinde, antequam ſcriberet, annis, p.280

CAP. XV.

I. Polycarpi Martyrium maturius ſuadet Ætas LXXXVI. *vitæ annum, cum pateretur, agentis*, p.282

II. Annos

II. *Annos illos de Professione Christianâ aut Ministerio, intelligunt qui Martyrium ejus recentius existimant,* p.283

III. *Qui annum egerit, cum pateretur,* LXXXVI. *recte dici potuit* τὸν γεραλέον, p.284

CAP. XVI.

I. *Idem colligitur ex ætate Nicetæ, & L. Statii Quadrati Proconsulis,* p.286

CAP. XVII.

I. *Titum Quadratum in Chronico Alexandrino scriptum fingit Petitus, & de T. Numidio Quadrato Asiæ Proconsule intelligit; Titum Numid. Quadratum intelligit etiam Blondellus, sed non Asiæ Procos. sed Romæ Cos. cum L. Vero Aug. III. Cos. De eodem Veri Imp. Collegâ intellexerunt Bucherius etiam & Usserius. Perperam,* p.288

II. *Quadratus Vari magister erat Numidius Quadratus. Incertum est quod è Peste collegit Valesius, Quadrati Rhetoris Proconsulatum in* VII. *Marci incidisse,* p.289

III. *Numidius Quadratus, cujus meminit Aristides, erat Asiæ Proconsul Anno* CLXX. *Pollio An.* CLXXI. *Severus An.* CLXXII. p.291

IV. *Recapitulatio,* p.292

CAP. XVIII.

I. Σάββατον μέγα, *Sabbatum illud quod diem Paschatis proximè præcedebat,* p.293

II. *Sic etiam è sententiâ Judæorum,* p.295

III. *Incidit hoc Sabbatum in* VII. *Kal. April. quo anno passus est Polycarpus. Aliæ Lectiones explodentur,* ibid.

IV. *Incidit etiam in secundum Xanthici,* p.297

V. *Secundus Xanthici non incidit in Februarium, contra Valesium,* ibid.

VI. *Emendatur fortasse locus Epiphanii,* p.299

VII. *Cum æquarentur mensibus Julianis menses Macedonici, ad eum mensem Julianum accommodatus est totus mensis Macedonicus, quem longè maximâ ejus parte antea occupabat. Aprili autem non Martio respondebat æquatus Xanthicus,* p.300

CAP. XIX.

I. *Pionius eâdem, qua Polycarpus, persecutione passus est, non sub Decio,* p.302

II. *Acta*

II. *Acta Pionii, quæ vidit Eusebius, periisse videntur ante Metaphrastem,* p.303
III. *Recentiorem faciunt Polycarpum recentiores quàm revera fuerit,* p.304
IV. *Idem de Carpo & Papylo statuendum quod de Pionio,* p.305

CAP. XX.

I. *Annî Martyrii Polycarpiani Lit. Dom. B. primis Marci annis non convenit,* p.307
II. *Paschalis character non convenit anno* CLXIX. *convenit autem anno* CXLVII. *accuratissimè, seu per Tabulas fiat supputatio, seu per Phasin,* p.308
III. *Convenit quidem anno* CLVIII. *Paschalis character: sed non conveniunt reliquæ anni notæ, quo passus est Polycarpus. Colligitur itaque ante An.* CXLVII. *rectè ab Eutychio constitutum esse initium Aniceti,* p.309

CAP. XXI.

I. *In Aniceto ab Eutychio discedituri cui tribuit annos* XVIII. *integros,* p.311
II. *Aniceti tempus confirmatur ex Historiâ,* p.313
III. *Mortuus Anicetus initio Annî* CLXI. p.314

CAP. XXII.

I. *Soter tenuit annis* IX. *ab anno* CLXI. *ad an.* CLXX. p.315
II. *Numeri Ordinationum, in primis hisce Pontificibus, nec fidem merentur, nec solent annis quibus sederint Pontifices, respondere,* p.317
III. *Soterem nemo unquam veterum Martyrem agnovit,* vid.
IV. *Conclusio,* p.318

HENRICI DODWELLI DISSERTATIO SINGULARIS DE Pontificum Romanorum primæva Succeſſione.

CAP. I.

De hujus Diſſertationis Conſilio.

§. 1. IN *viva hac Pontificum* Romanorum *Chronologia inveſtigandâ conſilium* Ceſtrienſis, p. 1

2. *Conſilium noſtrum,* p. 4

CAP. II.

Noſtra in Euſebii *mente indagandâ, ſubſidia.*

§. 1. *Habuit* Euſebius *in hac Pontificum* Chronologiâ Autores, p. 6

2. *Nec alios tamen illos in* Hiſtoria, *quam quos fuerat ſecutus in* Chronico, p. 8

3. Lectionum *Euſebianarum* antiquiſſimarum *teſtes habemus* Rufinum, Hieronymum, Proſperum, ibid.

4. *Quo pacto* Proſper *ſit ad uſum accommodandus,* p. 9

5. *Teſtem etiam de* Chronici *Lectionibus, ipſum in* Hiſtoriâ *habemus Euſebium. In ſententiâ* Euſebii *indagandâ* Chronico *potiùs fidendum quàm* Hiſtoriæ: *Sic tamen ut nonnunquam* Chronico *ſubſidium viceversâ afferat* Hiſtoria, ibid.

CAP. III.

Euſebianæ Pontificum Romanorum deſcriptio ad finem Xysti.

§. 1. *Quibus tandem conjecturis ductus* Euſebius *S.* Petri *initium* II. Claudii *anno aſſignaverit,* p. 12

2. Chronici Proſperiani *integri à* Labbæo *editi intervalla è* Cycli *Paſchalis* Judaici *faſtis conſtituenda. Cycli* Judaici *initium à III.* Claudii *anno, pro Judæorum mente, repetendum.* Claudii *II. erat Sabbaticus,* p. 15

3. Cycli primi *intervalla omnia pro mente*

mente Prosperi *constituuntur*, p. 16
4. *Tenuit Sedem Romanam* Linus, *pro principiis* Eusebii, *ab anno* Neronis *XIII. ad II.* Titi, p. 17
5. *Unde factum ut annos Imperatorum aliter in* Historiâ, *in* Chronico *aliter numerârit* Eusebius, p. 19
6. Anencletus *à II.* Titi *ad XI. Domitiani*, p. 21
7. Clemens *ab XI.* Domitiani *ad III.* Trajani, p. 22
8. Euarestus *à III.* Trajani *ad annum ejusdem XI.* p. 23
9. Alexander *ab an.* Trajani *XI. ad II.* Hadriani, p. 25
10. Xystus *à II.* Hadriani *ad XII.* p. 26

CAP. IV.

Fasti Coss. pro secundi tertiique *Cycli intervallis, ex* Prosperi *mente, constituti.*

§. 1. *Cycli Annorum* LXXXIV. *Christiani apud* Prosperum *initium ab initio Judaici triennio sejunctum*, p. 28
2. *Redduntur* ejusdem *Cycli*, initii *tamen adeò* diversi, *rationes*, p. 29
3. *Anni Imperatorum in* secundo *Cyclo, pro mente* Prosperi, *constituuntur*, p. 32
4. *Emendantur etiam, & in* tertio *Cyclo, ex ejusdem sententiâ, anni Imperatorum*, p. 34

CAP. V.

Successio Romanæ Ecclesiæ Eusebiana *à* Xysto *ad finem* Fabiani.

§. 1. *Tenuit sedem Romanam* Telesphorus, *pro principiis* Eusebii, *à XII.* Hadriani *ad I.* Pii, p. 36
2. Hyginus *à I.* Pii *ad* V. p. 38
3. Pius *Pontifex à V.* Pii *Imperatoris ad XX.* ibid.
4. Anicetus *à XX.* Pii *ad VIII.* Marci, p. 39
5. Soter *à* Marci *VIII. ad XVI.* p. 40
6. Eleutherus *à* Marci *XVI. ad* Commodi *XII.* ibid.
7. Victor *à XII.* Commodi *ad IX.* Severi, p. 43
8. Zephyrinus *à IX.* Severi *ad I.* Elagabali, ibid.
9. Callistus *à I.* Elagabali *ad II.* Alexandri, p. 44
10. Urbanus *à II. ad X. ejusdem* Alexandri, p. 45
11. Pontianus *à X.* Alexandri *ad II.* Maximini, p. 46
12. Anteros *mense uno*, p. 47
13. Fabianus *à II.* Maximini *ad I.* Decii. ibid.
14. Philippi *anni V. duntaxat numerandi sunt, pro verâ sententiâ Eusebii*, p. 48
15. *Certus hic est hujus Successionis terminus in I.* Decii, *tam pro*

verâ

verâ Historiâ, tam pro sententiâ Eusebii, p.50
16. *Annos Pontificum, è Testimoniis; annos Imperatorum, quibus jungendi essent Pontifices, è Conjecturis, didicit* Eusebius, ibid.
17. *Temporum minutias nullas, in hac Pontificum Successione, exploratas habuit* Eusebius, p.51

CAP. VI.

Successio Sedis Alexandrinæ.

§. 1. *In Successione* Alexandrinâ *Veterum neminem habemus qui possit cum* Eusebio, *cui sit potiùs fides adhibenda, contendere,* p.53
2. *Ad explorandos* Romanorum *Pontificum in Canone* Eusebiano *locos, etiam errores* Eusebii, *in Pontificum Alexandrinorum dispositione, sunt tamen ipsi non inutiles,* p.55
3. *Distinguendi itaque à numeris Eusebii Historicis, numeri ejusdem conjecturales,* p.56
4. *Tempus* Aniani, ibid.
5. Abilii. 6. Cerdonis, p.57
7. Primi, p.58
8. Justi, p.59
9. Eumenis, p.60
10. Marci, 11. Celadionis, p.61
12. Agrippini, p.62
13. Juliani, p.63
14. Demetrii, p.64
15. Heraclæ, p.66
16,17. Dionysii. *Notæ Historicæ è quibus colligitur vixisse* Dionysium *ad An.* CCLXIV. p.67,69
18. *Tres erant in* Paulum Samosatenum *Synodi, quarum I. initio defunctus est* Dionysius, p.70
19. *Tempus* Maximi, p.73
20. Theonæ, ibid.
21. Petri, p.74
22. *Annos Episcoporum ex Autoribus, Imperatorum è Conjecturis hausit Eusebius,* p.75

CAP. VII.

Occidentalium Catalogorum fontes.

§. 1. *Primus Catalogus, si verè fuisset ævi* Liberiani, *recentiorum* Interpolationes *meritò* suspecti *habendi essent,* p.88
2. *Sed multa in eo* suspecta *ne fuerint ævi* Liberiani, p.90
3. Menses & dies *in primo etiam Catalogo probabile est fuisse fictitios,* p.92
4. *Primus Catalogus admodum diversus ab eo qui fuit (si tamen ullus fuerit) ævo* Liberii, p.93
5. Latinorum *Catalogorum* hodiernorum *omnium fons Autor Anonymus, qui scripsit sub* Alexandro Severo, p.94
6. *E* Cyclis *recentiorum* Paschalibus *ad usus Chronologicos accommodatis,*

modatis, acceſſerunt poſtea Imperatores & Coſſ. *Cyclum* Hippolyti *adhibuiſſe videtur Anonymus ſub* Alexandro Severo, p.95
7. *Anonymum ſecutus eſt Autor* Computi *S.* Cypriano *attributi*, p.97
8,9. Africani Chronicon *per Faſtos* Conſulares *ad ſua tempora deductum, novis deinde Faſtis* Conſularibus *continuârunt recentiores. Probatur è fragmento Codicis MS.* Mertonenſis, p.97, 99
10. *Inde* recentiorum *Faſtos emanâſſe veriſimile eſt. Cum Faſtis* Idatianis *maximè conveniunt Catalogi* Latini, p.100

CAP. VIII.

Tempora S. Petri, Lini & Anencleti.

§.1. *Annos S.* Petri *ut variè ſupputârint, & quibus demum conjecturis ducti Veteres*, p.103
2. Variorum *Autorum numeros in* unum *imperitè confudit Autor Catalogi* Bucheriani, Liberio *proinde non coævus*, p.105
3. *De* Lini *annis* variæ *Veterum ſententiæ, quibus tandem* ratiociniis *collectæ*, p.106
4. *Etiam de annis* Anencleti, p.108
5. *Eccleſiam* Romanam *non* fundabant, *nec* Linum *adeò illi præficiebant, ante annum quo paſſi ſunt, Apoſtoli, Chriſti nimirum* CLXIV. p.110
6. *Ex Hiſtoriâ* Sacrâ *colligitur Eccleſiam* Romanam, *ante annum prædictum, nondum fuiſſe* fundatam, p.113
7. Vivis *Apoſtolis ſedem* Romanam *non adepti ſunt ſeu* Anencletus, *ſeu etiam* Clemens, p.116
8. Græcis *paulò* antiquioribus *paucis admodum impoſuit ſuppoſititia Epiſtola* Clementis *ad* Jacobum *Latinè verſa à* Rufino, p.118

CAP. IX.

Succeſſio reliqua ad Fabianum *pro* Latinorum *Catalogis.*

§.1. *Coævi videntur Catalogus* Bucherianus *& ſecundus* Heinſchenii, p.120
2. Cletus, *pro Faſtorum* Conſularium *rationibus*, Clementi *poſtponendus*, p.121
3. *In tempore* Clementis Euſebii *etiam errorem ſecuti ſunt* Faſti *Catalogorum* Conſulares, p.122
4. Clementis *perſonam annoſque habet* Cletus, *quem tamen* Clementi *poſtponunt Catalogi*, p.123
5. Anacleti *finis idem quem* Clementi *attributum reperiſſe videtur*

detur primus Catalogi Autor, p.125
6. *Initium* Euaresti *suum cum fine ejusdem* Eusebiano *conjunxit Autor Catalogi* Bucheriani, ibid.
7. *Tempus* Alexandri, p.126
8. Xysti, p.127
9. Telesphori, p.128
10. *A fine* Telesphori *ad initium* Zephyrini *Catalogi Pontificales vitiosissimi*, p.129
11. *Tempus* Hygini. *Autor Catalogi* Bucheriani *sequitur errores Catalogi* secundi, *proinde secundo Catalogo* recentior, p.131
12. *Horum errorum occasiones*, p.132
13. *Tempus* Aniceti, p.134
14. Pii, p.135
15. Soteris, 16. Eleutheri, p.136
17. Victoris, p.137
18. Zephyrini, p.138
19. *Pontificum eorundem ab* Hygino *ad* Zephyrinum *dispositio alia pro Catalogorum* numeris, *non* Coss. *& quidem illa sine* hiatibus, p.139
20. *Tempus* Callisti, p.140
21. Urbani, ibid.
22. Pontiani, p.141
23. Anteri. p.143
24. Fabiani, ibid.
25. *Catalogorum* Latinorum *rationes omnes unâ operâ restitutæ*, ibid.

CAP. X.

Romanorum Pontificum rationes *Eutychianæ.*

§. 1. Eutychianæ *Imperatorum rationes, cùm* Pontificum *intervallis accuratè respondeant, sunt tamen ipsæ* vitiosissimæ, p.145
2. Eutychius *nec* Eusebio, *nec Pontificum* Catalogis, *in Successionis* initio, *consentaneus*, p.148
3. *Deficiunt etiam rationes* Eutychianæ Pontificum, ibid.
4. *Rationes* Eutychianæ *eædem cum* Eusebianis. *Quid sit in* Eutychii *Chronologiâ* certum, *utque ea* emendanda *sit*, p.149

CAP. XI.

Romana *ad* Clementem *usque Successio.*

§. 1. *SS.* Petri, Lini, Anencleti, Clementis, *anni nullis fulciuntur* testimoniis, *sed* conjecturis *tantummodò, & quidem* falsissimis, p.151
2. *Incertum est scripseritne ad* Corinthios Clemens *jam* Episcopus, p.153
3. *Non erat certè* Episcopi *nomine* Epistola *illa inscribenda*, p.154
4. Episcopum *tamen fuisse, cum scriberet*,

ſcriberet, teſtari videntur Hegeſippus, *atque* Irenæus, p.156
5. *Scripſit ſub* Clemente *Epiſcopo* Hermas, *ante excidium fortè Hieroſolymitanum*, p.158
6. *Conveniunt ſatis aptè notæ* temporis *quæcunque in hoc Opere occurrunt*, p.159

CAP. XII.

Succeſſio ab Euareſto ad Hyginum.

§. 1. *Ab* Euareſto *incipiunt anni Pontificum* Veri & Hiſtorici. *Initium ejus inter An.* LXXVI. & CI. p.160
2. *Collegit* Hegeſippus *Pontificum* Romanorum *non ſola* nomina, *verùm etiam* tempora, & *quidem ad annos* Imperatorum *accommodata*, p.162
3. *Vix potuit, per ætatem*, Hegeſippus Romanorum *Pontificum Succeſſionem, ultra* Euareſtum, orali *Seniorum* Traditione, *deducere*, p.163
4. *Annos duntaxat* Imperatorum *quibus ſucceſſerint* Pontifices, *annotâſſe videntur primi Veteres. Inde calculorum diverſitas apud* recentiores, p.164
5, 6. *Duæ horum* Pontificum *rationes*, ibid. & 166
7. *Quarum* poſteriores *potiùs nobis probatæ*, p.166

CAP. XIII.

Tempus Aniceti.

§. 1. *De tempore* Aniceti *errores Cl. Ceſtrienſis*, p.168
2. *Mutatis Pontificibus ſuos tamen annos largiri ſolent* Latinorum *Catalogorum Autores*, p.170
3. *Sub* Eleuthero *mortuos* Valentinum Marcionemque *credidit* Tertullianus. *Malè quidem ille, cùm ſub* Aniceto *mortui fuerint Pontifice, Imperatore autem* Antonino Pio. *Et quidem ſub* initium *Aniceti, nec* longè *ab* initio *Pii. Inde ad tempus quo* Præſcriptiones *ſcripſit* Tertullianus, *anni circiter* LX. p.171
4. Eleutherum *intelligere non potuit* Tertullianus, *cujus* deceſſores *memorat* Montaniſtis *infenſos. Primus potiùs* Montaniſtarum *Eccleſiis* Communionem *negâſſe videtur* Eleutherus. *De* Zephyrino *potiùs videtur intelligendus eſſe* Tertullianus, p.173

CAP. XIV.

Tempora Soteris & Eleutheri.

§. 1. Soter *Epiſcopus ſub* Pio, *coævus Perſecutionibus illis quarum meminit* Dionyſius Corinthius *ſub* Pio,

Pio, p.177
2. *Coævus item* ortui Montani *qui etiam ſub* Pio, p.179
3. *Sub* initium Marci *ſucceſſiſſe oportuit* Eleutherum, p.180
4. *Objicitur* unici Cæſaris *in Perſecutione* Lugdunenſi *mentio, ut proinde* VII. Marci *convenire non potuerit*, p.182
5. *Reſp. Qui, hac in cauſa, à nobis diſſentiunt*, alium *tamen* annum *huic Perſecutioni magis* idoneum *aſſignare non poſſe*, p.184
6. *Incertum præterea*, illis *temporibus, fueritne in more ut* Auguſti omnes *in Legum* titulis *apponerentur*, ibid.
7. *Eorum* nomina *in Legum Inſcriptionibus memorari ſolebant, è quorum tamen* arbitrio *Leges ipſæ conſtitutæ non ſunt*, p.186
8. Senioris Auguſti *juſſis* refragandi *jus nullum habebant* juniores, *etiam* Auguſti, p.187
9. Lucius *ipſe, licèt* Auguſtus, Marco *tamen* ſeniori Auguſto *debuit obſequia*, p.189
10. Reſcripta *Imperialia* primi *Auguſti* ſolius *arbitrio edita*, p.191
11. *Nullum* Auguſtorum *in Legibus condendis* Collegium *unde fieri poſſit, ut non poſſit* ſenior Auguſtus *Legem ſine Collegæ* ſuffragio *condere*, p.192
12. *Nec poterant* juniores Auguſti, *per* Tribunitiam *poteſtatem, ſenioris Auguſti placitis intercedere*, p.193
13. Marci *hoc* Reſcriptum *non de* Jure *agebat, ſed de* Facto *Civis appellantis*, p.195
14. *Erant certè* Attalus *cum* ſociis *Cives* Romani, *& ad Imperatorem* provocaverant, p.196
15. *His* cognitionibus *de cauſa Civium* appellantium *ſolus* Marcus *intereſſe potuit, & ſolum de* facto *interfuiſſe verisimile eſt*, p.197
16. Eleutheri *tempus colligitur ex* Hegeſippo, p.198
17. *Et* Irenæo, p.199
18. *Chronologiam* Pontificiam *uſque ad* Eleutherum *conſervâſſe videtur* Hegeſippus, ibid.
19. *Eandem Chronologiam ab* Eleuthero *ad* Pontianum *continuâſſe videtur ſeu* Hippolytus, *ſeu alius quiſpiam* coævus Hippolyto, p.200
20. *Chronologiam Pontificum* Hippolyteam *probabile eſt tradidiſſe* Georgium Syncellum, p.201
21. *Cur* Pontificiam *Chronologiam contraxerit* Euſebius, *qui ipſe* recentioribus *in errore præiverit*, p.202

CAP.

CAP. XV.

Succeſſio reliqua à Victore *ad* Fabium.

§. 1. *Tenuit* Victor *annis, ut videtur,* XVIII. *Numeri ejus etiam apud* Veteres, *corruptiſſimi, nec invicem* congrui, p. 205

2. *Ante* Victoris *finem ſublatus eſt* Thraſeas *Martyr ſub finem tamen Commodi paſſus,* p. 206

3. *Conveniunt noſtris rationibus tempora* Palmæ, Bachylli, Irenæi, p. 207

4. *Scripſit* Clemens Alexandrinus *poſt mortem* Commodi, *ante finem* Victoris, p. 209

5. Concilia *quorum meminit* Tertullianus *tempora certa deſignant* nulla, *nedum tempora* Victoris, p. 210

6. *Diſpoſitionis* Victoris *veræ veſtigia ex* Autoribus, p. 212

7. *Tenuit* Zephyrinus *poſt An.* CCIV. p. 213

8. *Etiam poſt* initium Caracallæ, *annumque ut videtur,* CCXII. p. 214

9. *Non certè ad* finem Caracallæ. *Catalogus* Hæreticorum *ad finem Lib. de* Præſcr. *ſeu* Tertulliani *ipſius eſt, ſeu* coævi *Tertulliano Autoris,* p. 215

10. Praxeas *ſub* Zephyrino *ortus. Sub* Zephyrini Succeſſore *ſcripſit* Tertullianus, p. 217

11. Tertullianus *ipſe mortuus ſub* Caracallâ, ibid.

12. *Nihil occurrit in operibus* Tertulliani *unde colligi poſſit* ſuperſtitem *fuiſſe* Caracallæ, p. 218

13. *De* Calliſto, Urbano, Pontiano, *&c.* p. 219

ERRATA.

Annales Paulini, &c.

Pag. 6. lin. 2. quâ — Agabum, p. 12. l. 21. Senatus-Conſulto, p. 14. l. 1. Algaſam, p. 23. l. 9. Doronæus, l. 11. Theodoreto, p. 32. l. 11. ſuſpiciebant, p. 41. l. 2. περιφάλαγγι, l. 10. Principes, p. 48. §. 1. ſanatorum, p. 51. l. 10. alia, p. 54. l. 15. μᾶλλον, l. 20. μυστικὸν, p. 55. l. 8. Diaconiſſas, l. ult. inſulta, p. 60. l. 7. loquebatur, p. 66. l. 7. Chriſmatis, p. 70. l. 18. ille.

Diſſertationes Duæ, &c.

Pag. 11. Marg. l. 6. Antiocheno, l. 7. *add.* qui, p. 19. l. 1. CCXXXVI. p. 20. l. 19. νομοθέτ. p. 23. l. 11. natura, p. 36. l. 25. οἷς, p. 38. l. 26. hauſerant, p. 42. l. 23. ἀνάθεμα ☉. p. 51. l. 7. αἰωνίχον, p. 66. l. 5. Alexandri M. p. 77. l. penult. III. 12 ? ult. ſtatueret, p. 78. l. 1. poſt ſummâ *add.* ſeſſionatione, p. 80. l. 10. Ἀδγυς ☉, p. 100. l. 14. temporibus, p. 148. l. 7. Natalem, p. 221. l. 14. ☐ ☉, p. 252. l. 3. Xi.

Diſſertatio Singularis, &c.

Epiſt. Ded. p. 2. l. 8. perduſta, p. 3. l. 11. ſenſerit, p. 4. l. ult. ſententiarum, p. 5. l. 10. lapſemur, p. 20. l. 18. IX. p. 24. l. 5. *del.* ipſum, p. 41. l. 13. quos, p. 42. l. 14. plerique cum, p. 47. l. ult. quadriennii, p. 50. l. 2. Auguſti 42. p. 54. l. 31. ſer —— p. 59. l. penult. uni, p. 69. l. 25. Pax. p. 84. poſt 37 *leg.* Max. & Balb. p. 109. l. pen. Neronis —— ſolidum, p. 114. l. 9. quâ, p. 122. ult. cujuſque, p. 129. l. 12. poſt Chron. *add.* Euſebiani, p. 130. l. 16. Vero, p. 132. l. 20. Col. p. 142. l. 20. poſt Mart. *add.* legerat, p. 143. l. 15. *pro* menſibus *leg.* annis, p. 162. l. 5. διαθήκης, antepen. ni, p. 166. l. 14. LXXIII. p. 169. l. 32. *pro* Aniceti *leg.* Soteris, p. 170. l. 13. collegerit, p. 171. l. 6. pro Anacleto *leg.* Aniceto, l. 22. Philumena penult. pro ſat. *leg.* fac. p. 173. l. 19. egregie, p. 174. l. 17. Scribunt, p. 181. l. 2. Ἀνάγνωσ ☉.

AN-

ANNALES PAULINI.

ANNI
Æræ vul. Tiberii 2b
garis Aug. 19.
XXXIV. 20
21

HOC Anno Domini labente, *Tiberii* 21, Hieroſolymis gravis orta eſt Perſecutio per ſummum Sacerdotem & Synedrium: In quâ primò S. Stephanus lapidatus eſt, VII. Diaconorum primus; & cum effunderetur ſanguis ejus, Saulus adhuc juvenis aſtabat & conſentiebat, *Act.* XXII. 20. Philippus autem, VII. Diaconorum ſecundus, abiit in Samariam, & communes menſæ Diſcipulorum diſturbatæ ſunt: & haud pauci ex diſcipulis ab Hieroſolymis & ex Judæâ abierunt.

Priori Anno exeunte, & hoc A.D. ineunte, Perſecutio ingraveſcit; & Saulus, à Synedrio poteſtate conceſſâ, ſupra modum perſequebatur Eccleſiam & expugnabat illam, fideles frequenter per Synagogas cædens, Sanctorum plurimos vinciens, & in carcerem trudens, &, cùm interficerentur, deferens ſententiam: Unde ſe meritò agnoſcit tunc fuiſſe βλάσφημον, καὶ διώκτην, καὶ ὑβριστήν, 1 *Tim.* I. 13. Cum jam fideles omnes præter Apoſtolos, Hieroſolymis relictis, diſperſi eſſent, & per varias urbes & provincias Verbum Dei prædicaſſent; *Saulus ampliùs inſaniens in eos perſequebatur uſque in exteras civitates*, Act. XXVI. 11. *& adhuc ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos, à Principe Sacerdotum petiit Epiſtolas in Damaſcum ad*

XXXV. 21

22

Tiberii. 22 — Æra vulg. XXXV. *Synagogas, ut ſiquos invenisset hujus viæ viros ac mulieres vinctos perduceret in Jerusalem*, Act. IX. 1, 2. & *habens potestatem alligandi omnes qui invocabant nomen Christi*, Act. IX. 14.

Cùm autem appropinquaret Damaſco, Jeſus ipſe ei apparuit, eumque ad fidem miraculosè convertit: & Damaſcum petens ab Anania baptizatus eſt, à diſcipulo diſcipulus. Statim autem *non acquievit carni & ſanguini*; non ab Anania aut alio aliquo diſcipulo Damaſceno Verbum Dei didicit; *Neque venit Hierosolyma ad anteceſſores ſuos Apoſtolos*, ſed abiit in Arabiam, *Galat.* I. 16, 17. Ubi nemo Verbum Dei prædicaverat.

22 — XXXVI. Saulus in Arabiâ moratur, ubi per revelationem accepit plenam à Deo notitiam Evangelii, ad quod prædicandum immediatè vocatus eſt.

23 — Interea Herodis Tetrarchæ exercitus ab Areta Arabiæ Rege [ὁ πεῖραν βασιλεὺς, Joſ. lib. 18. c. 7.] profligatus, internecione funditùs perit. Aretæ Ethnarcha Damaſcum præſidio tenet.

XXXVII. Saulus ex Arabiâ redit Damaſcum, ſatis in officio per revelationem inſtructus; & *fuit cum diſcipulis per dies aliquot, & continuò ingreſſus in Synagogis prædicabat Jeſum*, Act. IX. 19, 20. *Stupebant* interim *omnes, qui eum audiebant:* Ipſe *autem multo magis convaleſcebat & confundebat Judæos.*

Caii 1 à Martii 16. — Circa finem autem hujus anni, *cùm implerentur dies multi, conſilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent*, Act. IX. 23. Non enim tunc eam autoritatem habebant in Damaſco quam habebant cùm Saulus primò venit Damaſcum.

Quare inſidias ei tantummodò ſternebant, quæ Saulo notæ fuere; unde coacti ſunt ab Ethnarchâ Arabiæ petere, ut eum in eorum gratiam interficeret: qui inde cupiebat eum *comprehendere*, 2 Cor. XI. 32.

Judæi

Judæi igitur obſervant portas Civitatis, ut Ethnarchæ Saulum interficiendum tradant; *Diſcipuli* autem *accipientes eum nocte, per murum demiſerunt, ſubmittentes in ſportâ*, Act. IX. 25. Æra vulg. XXXVIII. Caii 1

Saulus ita Damaſco elapſus, *poſt tres annos venit Hieroſolyma, ut viſeret Petrum* (qui jam ante illuc redierat cum Joanne, poſtquam fideles à Philippo baptizatos confirmaverant, & in reditu multis Samaritanorum pagis prædicaverant) *Galat.* I. 18. Quod tempus nullam aliam Epocham habere potuit quàm à Converſione Sauli, ut patet ex ſcopo Apoſtoli per totam eam Epiſtolam ad Galatas, & ex ipſo contextu à verſiculo 11. uſque ad 18. 2

Saulus verò *cum veniſſet Jeruſalem*, circa finem anni, *tentabat ſe jungere diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus*, Act. IX. 26. Donec *Barnabas eum duxit ad Apoſtolos* (Petrum ſcilicet & Jacobum) *Act.* IX. 27. *& permanſit apud Petrum dies quindecim*, Galat. I. 18. Cumque jam Saulus *fiducialiter agens* loqueretur & diſputaret cum Helleniſtis, *illi quærebant occidere eum: quod cum cognovitſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream & dimiſerunt Tarſum*, Act. IX. 31, 32.

Erat tum in Eccleſiis pax per totam Judæam Galilæam & Samariam, & S. Petrus tranſivit univerſos, *Act.* IX. 31, 32. in Judæâ ſcilicet Galilæâ & Samariâ, fideles.

Hoc Anno Saulus Tarſum delatus, *ignotus facie Eccleſiis Judææ, evangelizavit fidem in Ciliciâ, quam aliquando expugnabat*, Gal. I. 22, 23. Ignotum autem tunc, cum in Ciliciâ & Syriâ eſſet, Eccleſiis Judææ ſe fuiſſe dixit, ne Galatæ putarent Ipſum ab aliquo Chriſti diſcipulo doctrinam Evangelii accepiſſe. XXXIX. 2 3

Saulus prædicat in Syriâ, neque tamen adiit Antiochiam, quia illic diſcipuli non pauci fuere, à quibus quicquam diſcere noluit. XL. 3

Caii 4 — Æræ vulg. XL. Petrus poſtquam baptizaverat Cornelium & permanſerat ibi diebus aliquot, aſcendit Hieroſolyma: Et cum illuc veniſſet, *diſceptabant adverſus eum qui erant ex circumciſione*, Act. XI.2. Cum autem omnia de baptiſmo Cornelii expoſuiſſet, *tacuerunt & glorificaverunt Deum*, ver.18.

4 — XLI. Saulus adhuc prædicat in Syriâ.

Claudii 1 à Jan.24. Patefacto jam Gentibus fidei oſtio, Cyprii & Cyrenenſes quidam Antiochiæ Græcis Chriſtum prædicaverunt, & magnus eorum numerus converſus eſt ad Dominum.

Pervenit etiam *Sermo ad aures Eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis ſuper magno numero Græcorum*, qui ope Cypriorum & Cyrenæorum quorundam *converſi ſunt ad Dominum*, Act.XI.21,22.

Miſerunt ergo Barnabam uſque ad Antiochiam.

XLII. Saulus redit Tarſum, poſtquam multa paſſus erat in Syriâ & Ciliciâ per triennium.

2 Barnabas, *cùm veniſſet Antiochiam & vidiſſet gratiam Dei, gavisus eſt, & hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino, & ejus operâ appoſita eſt multa turba Domino*, ver.24.

Cùm tanta meſſis quotidie creſceret, & Barnabas cooperario indigeret, quæſivit Paulum Tarſi (quem ad Apoſtolos antè duxerat & ab iis probatum noverat, & diſputantem cum Helleniſtis Hieroſolymis audiverat) quem cum inveniſſet perduxit Antiochiam, *ver.*25.

XLIII. Saulus & Barnabas *annum totum converſati ſunt in* Eccleſiâ Antiochenâ, & *docuerunt turbam multam; ita ut cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli* CHRISTIANI, ver.26.

3 *In his autem diebus ſupervenerunt ab Hieroſolymis Prophetæ Antiochiam*, ver. 27. *& ſurgens unus ex eis, nomine Agabus, ſignificabat per Spiritum* prophetiæ (nondum enim ulla fames in partibus Orientis orta erat)

erat) *famem magnam futuram in univerſo orbe Terrarum, quæ facta eſt*, præcipuè in Judæâ, *ſub Claudio Cæſare*, ver. 28. Ær. vulg. XLIII. Claudii 3.

Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt in miniſterium mittere habitantibus in Judæâ fratribus, ver. 29.

Cùm adhuc pax fuiſſet in Eccleſiâ per Judæam, XLIV. 4
miſit Herodes Agrippa *manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſiâ*, Act. XII. 1. *Occidit autem Jacobum*, ver. 2. & *diebus azymorum Petrum conjecit in carcerem* (circa initium Aprilis.) Petrus autem, carcere divinitùs patefacto, petiit domum Mariæ, ubi plures diſcipuli congregati ſunt; quibus cum declaraſſet quomodo ab Angelo liberatus eſt, & eos juſſiſſet ut eadem Jacobo & fratribus renunciarent, abiit, &c. De Anno quo Herodes occidit Jacobum, & Petrum in carcerem conjecit, latiùs diſſerendum eſt; volunt enim ex Pontificiis plerique id factum eſſe An. Dom. XLI. ut illo tempore oſtendant Petrum, *cum abiit in alium locum*, Romam petiiſſe, &c. Sed hoc primo ſtatuitur contra fidem Hiſtoriæ Judaicæ, *Joſ.* XIX. 4, 5. ſecundo contra fidem Hiſtoriæ Sacræ, *abiit in alium locum*, ver. 17. & *Herodes deſcendens è Judæâ in Cæſaream ibi commoratus eſt*, ver. 19.

Poſt brevem hanc perſecutionem Hieroſolymis ortam, Antiocheni ſecundum *propoſitum ſuum* (Act. XI. 29.) collectis jam factis, ſubſidium miſerunt ad Seniores, qui Hieroſolymis manſerant *per manus Barnabæ & Sauli*, ver. 30. Et quidem peropportunè, jam enim fames in Judæâ oriri cœpit, magna quidem illa & diuturna.

Nam Herode Agrippa mortuo, in ejus regnum, in Provinciam redactum, Claudius Procuratorem Cuſpium Fadum miſit. Ille autem & Succeſſor ejus, Tiberius Alexander, Provinciam adminiſtrabant fermè per quadriennium; quorum tempore magnam famem

Claudii 4 *Ær. vulg.* XLIV. mem in Judæâ extitiſſe, narrat Joſephus, lib XX. c. 3. quâ reſpexiſſe Agatum teſtatur Euſebius, l. 2. c. 11.

Cùm Barnabas & Saulus ſubſidium in manus *Seniorum* Hieroſolymis tradidiſſent, nullo Apoſtolo tunc viſo quæ cauſa fuit, quòd Apoſtolus ipſe hujus adventûs non meminit in Epiſtolâ ad Galatas, Antiochiam redierunt, *aſſumpto Joanne, qui cognominatus eſt Marcus*, Act. XII. 25. qui eos ſecutus eſſe videtur, quia aberat Petrus.

Dum ibi Prophetæ & Doctores miniſtrarent Domino, Saulus & Barnabas ſegregati ab illis ſunt *in opus ad quod aſſumpſit eos Spiritus Sanct.* Act. XIII. 2.

Et tum opinor, Saulus raptus eſt in tertium cœlum, poſt quod tempus Anno XIV. ſcripſit ſecundam ad Corinthios Epiſtolam, XII. 2.

Barnabas & Saulus miſſi à Spiritu S. abierunt Seleuciam, & navigaverunt in Cyprum, *Act.* XIII. 4. & pervenerunt Salamina.

5. XLV. Cùm Saulus & Barnabas *veniſſent Salaminam, prædicabant Verbum Dei in Synagogis Judæorum, habentes Joannem in miniſterio*, ver. 5. Et *cùm perambulaſſent univerſam Inſulam* (prædicantes ſine dubio in Synagogis Judæorum, quæ in Cypro plurimæ fuerunt) *uſque ad Paphum.* (Eſt autem Cyprus Inſula inter ampliſſimas numerata.) Et dum in urbe Papho prædicabant, quæ à Salamine, totâ fermè Inſulæ longitudine erat diſſita, Sergius Paulus Cypri Proconſ. Verbum Dei audire cupiebat, eoſque accerſivit: Et cum obſtaret Elymas, Saulus (*qui & Paulus*) eum cœcitate percuſſit, unde Proconſ. ad fidem converſus eſt.

Poſtea Paulus cum ſuis navigavit Papho, & Pergam urbem Pamphyliæ venit; ubi eum deſerit Joannes, & revertitur Hieroſolyma; fortè enim audiverat jam non tantum Herodem mortuum fuiſſe, ſed Petrum è latebris prodiiſſe, & Hieroſolymis liberè

verſatum

verſatum eſſe. Paulus autem & Barnabas ex Pamphyliâ profecti ſunt in Piſidiam. Ær. vulg. *Claudii*

In Piſidiâ diu prædicant (præſertim Antiochiæ) donec Verbum Dei diſſeminaretur per univerſam regionem, *Act.*XIII.49. XLVI. 6.

Piſidiâ pulſi, veniunt in Lycaoniam, ubi adeunt Iconium, in quâ urbe multo tempore demorati ſunt, XIV.3.

Iconio pulſi, confugerunt ad civitates, Lyſtram & Derben, & univerſam in circuitu regionem, XIV. 6. Et illic evangelizantes erant, *ver.*7.

Lyſtris per Antiochenos & Iconienſes ejecti adeunt Derben, ubi evangelizabant, & diſcipulos multos faciebant, *ver.*21.

Derbe revertuntur Lyſtram & Iconium & Antiochiam Piſidiæ, *confirmantes animos diſcipulorum, exhortanteſque ut permanerent in fide.* Et *conſtituerunt illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros,* XIV.22,23. XLVII. 7.

Inde pertranſeunt Piſidiam & veniunt in Pamphyliam.

Poſtquam Pergæ rurſus prædicaſſent, petunt Attaliam, & inde navigantes redeunt Antiochiam Syriæ, ubi itineris ſui rationem Eccleſiæ reddunt.

Paulus & Barnabas Antiochiæ non modicum tempus morati ſunt cum Diſcipulis, *ver.*28. XLVIII. 8.

Tum verò deſcendentes de Judæâ quidam docebant fratres, Quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari, *Act.*XV.1.

Hinc orta eſt *Seditio & quæſtio*, ſive diſceptatio *non parva*, ſive benè longa, inter Paulum, aſſiſtente Barnabâ, & illos Judaizantes.

Antiocheni autem Quæſtionem hanc determinare non valentes, *ſtatuerunt, ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis, ad Apoſtolos & Preſbyteros in Jeruſalem, ſuper hâc quæſtione,* ver.2.

Hoc

Claudii 8. Ær. vulg. XLVIII. Hoc Anno ineunte venit in Provinciam Cumanus Judææ Procurator; & Felix Samariæ; ſi fides Tacito; ſed ſine jure gladii, ut patet ex Hiſtoriâ Joſephi.

9. XLIX. Paulus & Barnabas *deducti ab Eccleſiâ* Antiochenâ per Syriam, *pertranſibant Phœnicen & Samariam*; & per Eccleſias ibi conſtitutas enarrabant Converſionem Gentium, Ipſorum operâ in minori Aſiâ factam. Et Chriſtiani earum Eccleſiarum quæ in Phœniciâ & per Samariam conſtitutæ ſunt, magno gaudio affecti ſunt.

Tandem veniunt Hieroſolyma, ubi *ſuſcepti ſunt ab Eccleſiâ & ab Apoſtolis & Senioribus*; *nuntiantes* Apoſtolis & Senioribus, *quanta Deus feciſſet per illos*, ſive quam magnus numerus Ipſorum operâ, tum ex Judæis, tum ex Gentibus in Cypro & in Aſiâ, converſus eſt.

Surrexerunt autem etiam Hieroſolymis quidam ex Phariſæis Chriſtiani, qui docebant Circumciſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem.

Concilium Hieroſolymitanum

ANNO XIV. à Converſione S. Pauli congregatum. Hunc enim ipſum adventum ſuum narrat Apoſtolus ad *Galat.* cap. II. 1, 2. & tempus ipſum determinatè exprimit. Ubi Grotius ſcribendum vult 4. is tamen agnoſcit hunc ejus adventum ad Concilium. Quod autem Apoſtolus ad Epocham Converſionis ſuæ referat annos, quos ibi numerat, manifeſtum eſt ex ipſo ſcopo Capitis I, & II. Vocat ſe Apoſtolum non ab hominibus, neque per hominem, Cap. I. 1. docet Evangelium ſuum non eſſe ſecundum hominem, neque ſe illud ab homine accepiſſe aut didiciſſe, ſed per revelationem Jeſu Chriſti, *ver.* 11, 12.

Hoc

Hoc verò Galatis demonſtrat ex converſatione ſuâ illis non incognitâ; cujus pars prima fuit profeſſio ſtrictiſſima Judaicæ religionis ſecundum Phariſæos, quæ deſiit in acerrimâ perſecutione Chriſtianorum: Tum demùm pergit & oſtendit, quomodo Deus revelavit ei filium ſuum, & quod tum *continuò non acquievit carni & ſanguini*, ſive non contulit cum homine quopiam, à quo Evangelii doctrinam diſcere potuit, neque venit Hieroſolymam ad Anteceſſores ſuos Apoſtolos, à quibus pleniùs mentem Domini diſcere potuit, *ſed abiit in Arabiam*, ubi per revelationem Evangelium accepit; & reverſus eſt Damaſcum, ubi Verbum Dei prædicavit & confudit Judæos: *Deinde poſt tres annos rediit* (Damaſco ſcilicet) *Hieroſolyma, ut viſeret Petrum.* Ex quibus omnibus clarè patet, hujus triennii Epocham à Converſione Pauli peti debere. Idem dicendum eſt de Epochâ annorum 14. *Deinde poſt annos* 14. *rurſus aſcendi Hieroſolyma.* Idem enim horum verborum ſcopus, eadem annorum Epocha. Vox enim ἔπειτα, (*deinde*) non conjungit hæc verba cum illis de triennio, quaſi à fine illius triennii initium ſumerent; aliud enim ἔπειτα inter hæc & illa intercedit. Cap. I. 21. ubi narrare incipit, quomodo verſatus eſt in Syriâ & Ciliciâ, neque annos, quibus illic tunc erat in iis regionibus, enumerat. Nulla igitur hîc Chronologica connexio cogitari poteſt: Sed Apoſtolus eundem ſcopum perſequens, *deinde*, inquit, & *rurſus*; ſed neque *deinde* reſpicit moram ejus in Syriâ & Ciliciâ, neque hoc *rurſus* ſecundum ejus Hieroſolyma adventum: Nam ſecundò Hieroſolyma venerat cum ſubſidio, appetente fame, & quidem cum Barnaba, ſed non aſſumpto Tito: Sed quia neminem tunc Apoſtolorum vidit, adventum illum omiſit, utpote ad præſentem ſcopum minimè pertinentem.

Ær. vulg. XLIX. *Claudii* 9.

Claudii 9 — *Æg. vulg.* XLIX.

Poſt decretum Concilii, & Epiſtolam à Concilio ſcriptam, Paulus & Barnabas cum Juda & Sila, viris primariis, veniunt Antiochiam, & Eccleſiæ Antiochenæ reddiderunt Epiſtolam ab Apoſtolis acceptam.

Judas etiam & Silas, cum eſſent Prophetæ, verbo plurimo confirmabant fratres.

Judas autem rediit Hieroſolyma, Silas permanſit Antiochiæ.

Interim venit etiam Petrus Antiochiam, & aliquandiu cum Gentibus ad fidem converſis edebat.

10. L. Cùm autem quidam à Jacobo venirent, Petrus ſubtrahebat & ſegregabat ſe; unde Paulus eum reprehendit.

Hoc tempore reprehenſionem illam factam eſſe inde intelligo, quia Paulus indicat ſe fuiſſe Antiochiæ tunc cum Petrus illuc venit: Petrus autem non adiit Antiochiam ullo tempore, quo in eâ urbe Paulus fuit ante Concilium Hieroſolymitanum: Et præterea diſſenſus inter Paulum & Barnabam, qui Petro familiariſſimus erat, hinc ortum traxiſſe videtur.

Et ipſe, aſſumpto Sila, qui interfuit Concilio Hieroſolymitano, perambulavit Syriam & Ciliciam, confirmans fratres, tradenſque iis dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, XV. 41. XVI. 4.

Pervenit autem in Derben & Lyſtram, ubi Timotheum diſcipulum inveniens, circumcidit, & ſecum abduxit, XVI. 1.

11. LI. Dein peragrat Phrygiam & Galatiam, & per Myſiam venit Troadem, ubi ſe illi comitem adjunxiſſe indicat Lucas, XVI. 10. Qui antea etiam Antiochiæ cum Paulo fuit, & jam cum Troade aſſecutus eſt; ut colligere licet ex *Act.* XI. 28. Ubi Codex Cantabr. habet Συνεπαμένων δὲ ἡμῖν· ab Anno igitur 43. per Octennium diſcipulus fuerat Antiochiæ.

Troade

Troade tranſit in Macedoniam. Ær. vulg. LI. Claudii 11.
Moratur Philippis.

Inde itinere facto per Amphipolin & Apolloniam, venit Theſſalonicam, ubi diu prædicat.

Inde miſſus eſt Beræam, ubi aliquandiu mora- LII. 12.
tur.

Interim Judæi hoc Anno ineunte à Claudio Româ pulſi ſunt. Anni hujus expulſionis ſolus Oroſius diſertè meminit, Lib. VII. c. 4. his verbis——*Anno ejuſdem Claudii nono expulſos per Claudium urbe Judæos Joſephus refert:* Sed hæc apertè falſa ſunt: Nihil enim Joſephus de anno nono Claudii, imò nihil omnino de expulſione Judæorum, circa hunc temporis tractum refert; neque ullius Judæorum tumultûs ad eum annum meminit Tacitus.

Sed Joſephum nominat Oroſius, ut conjungat hanc hiſtoriam cum tumultu quem refert Euſebius ex Joſepho.

Præterea Oroſius Prochroniſmi manifeſti reus hîc tenetur, ejuſque Prochroniſmi cauſa ſatis aperta eſt. Dixerat enim *Anno Claudii quinto inter Theram & Theraſiam, Inſula emicuit*; quæ habuit ex Euſebii Chronico: At conſtat hoc contigiſſe Anno Claudii VI. jam exeunte.

Pergit Oroſius——*Anno ejus* VII. *ſub Procuratore Judææ Cumano Hieroſolymis ſeditio in diebus azymorum exorta eſt.* Quæ etiam ex Euſebii Chronico habuit; ſed & ea vera non ſunt: Non enim VII. Claudii Anno, Cumanus, ſub quo ait ſeditionem illam extitiſſe, ſed Tiberius Alexander Procurator Judææ fuit: Neque Cumanus Procurator fuit ante mortem Herodis regis Chalcidis, qui Anno Claudii VIII. obiit: Intereſſe igitur Paſchati Cumanus tanquam Procurator non potuit, ante annum Claudii IX. Sed nec eo Anno ſeditio à Joſepho memorata contigit, ſed Anno Claudii XI, quo tempore Qua-

Claudii 12. Ær. vulg. LII.

dratum ſcimus Syriæ fuiſſe Præſidem: Et cùm Romæ cognita eſt, nulla illius Romanos cura tangebat, cum ad ſolos Judæos calamitas illa pertinebat: Sed quæ illa paulo poſt ſequuta ſunt, Romanos maximè tangebant. Nam eo anno Stephanum Cæſaris ſervum latrones aggreſſi, omnes ejus ſarcinas diripuerunt, & tandem milites Romani cæſi ſunt: Hæc commemorat non tantùm Joſephus, ſed & Tacitus, lib. XII. c. 54. *Cumanus & Felix, gliſcente pernicie, cùm arma militum interjeciſſent, cæſi milites ſunt; arſiſſetque bello Provincia, ni Quadratus Syriæ rector ſubveniſſet.* Et præterea notat Tacitus hunc tumultum poſt illum ſub Caio proximum fuiſſe, ideoque ſub Claudio primum.

Claudius, *cauſis rebellionis auditis*, ineunte Anno regni ſui XII. Judæos Urbe expulit; eodem, opinor, tempore, quo *de Mathematicis Italiâ pellendis factum Senatus-Conſultum atrox & irritum*, ut ait Tacitus, lib. XII. c. 52.

Expulſio autem Judæorum ex Urbe non fuit ex Senatus-Conſultu, ſed tantum ex Edicto Claudii; unde Tacitus illius expulſionis nuſquam meminit.

S. Paulus Beræâ miſſus eſt Athenas, unde ſtatim mittit Timotheum, ut viſat Theſſalonicenſes, 1 *Theſſ.* III. 1. ubi diu moratur. Athenis venit Corinthum: Et *inveniens quendam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui NUPER venerat ab Italiâ, & Priſcillam uxorem ejus, eò quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Judæos à Româ, acceſſit ad eos*, Act. XVIII. 1, 2. *Nuper* ſanè, νεοστὶ, quia hoc ipſo Anno ineunte Edictum Claudii prodierat.

Poſt reditum Timothei ex Macedoniâ ſcribit priorem ad Theſſalonicenſes Epiſtolam, 1 *Theſſ.* III. 1, & 6.

Hoc

Hoc tempore, ut videtur, Paulus multa de Chriſtianis Romanis audierat, & ex eo valdè concupivit Romam videre, Deum ſæpe precatus ut aliquando illuc mitteretur, Ep. ad *Rom.* Cap.I.9,13. & Cap.XV. 22,23. Ær. vulg. LII. *Claudii* 12.

Cùm Cumanus jam condemnatus eſſet, Felix à Claudio Procurator Judææ rurſus factus eſt; quam cum jure gladii provinciam unà cum Samariâ & Galilæa adminiſtraret. LIII. 13.

S.Paulus Corinthi coram Gallione Achaiæ Proconſule ſiſtitur. Erat hic Gallio frater ſenior Annæi Senecæ; unde colligi poteſt, hoc tempus idoneum fuiſſe, quo Procoſ. fieret. Tota Senecarum familia Claudio maximè infenſa fuit, quod Annæum gravi, & diuturno exilio mulctaſſet: à quo tandem liberatus eſt Anno Claudii IX. Pompeio & Vertranio Coſſ. ut tradit Tacitus, lib.XII. c.8. Et ſtatim factus eſt Senator, *Sueton.* in *Nerone* cap. 7. Eique Domitius ab Agrippinâ traditur inſtituendus. Anno Claudii X. Domitius in familiam Claudii & nomen Neronis tranſit. Antiſtio & Suilio Coſſ. *Tacit.* XII. cap.26. Annæus cùm ſemper obſervaſſet Gallionem honorum maximè cupidum eſſe, curavit ut ille Coſ. ſuffectus eſſet Anno, ut videtur, XI. & ſtatim Procoſ fieret Anno Claudii XII. exeunte: Junio & Haterio Coſſ. & quidem Achaiæ. Sic enim interpretor Senecam, Ep.104. *Iſtud mihi in ore erat Domini mei Gallionis, qui cum in Achaia febrem habere cœpiſſet, protenus navem aſcendit, clamitans, Non corporis eſſe ſed loci morbum.* Fratrem enim majorem, poſtquam Conſul & Proconſul fuiſſet, Dominum appellavit.

S. Paulus à Gallione dimiſſus permanſit Corinthi dies multos: ubi ſcribit ſecundam ad Theſſalonicenſes Epiſtolam, Imperante adhuc Claudio: Quod obſervandum, ne concludamus, ——*qui nunc tenet*, fuiſſe

Claudii	*Æra vulg.*	
13	LIII.	fuiſſe Neronem, 2 *Theſſ.* II. 7. Ut *Hieron.* ad *Aglaſiam*, p. 1267. E.
14.	LIV.	Initio hujus anni, poſtquam Corinthi per annum & dimidium prædicaſſet, navigat Epheſum, & relictis in eâ urbe Aquilâ & Priſcillâ, poſt paucos dies inde profectus eſt Cæſaream, unde aſcendit & ſalutavit Eccleſiam & deſcendit Antiochiam, *Act.* XVIII. 22.
		Quo temporis tractu venit Apollos Epheſum, & à Priſcillâ & Aquilâ melius edoctus, inde profectus eſt Corinthum.
		Paulus autem Antiochiâ tranſit per Galatiam & Phrygiam, & cum Apollos eſſet Corinthi, venit Epheſum, *Act.* XIX. 1.
		Ubi diſcipulos quoſdam baptizavit.
		Inde prædicavit in Synagogâ per tres menſes.
Neronis 1.		Claudio Imp. defuncto III. Id. Octob. Nero ſuccedit.
	LV.	Primo Neronis anno, Claudius Felix à Nerone donatus eſt Præfecturâ, quam ſub Claudio obtinuerat, demptis aliquot tantùm Urbibus, Abilâ & Juliade, Tarichæâ & Tiberiade, quas regno Agrippæ addidit Nero: Εἰς δὲ λοιπὸν Ἰουδαίοις Φήλικα κατέστησεν ἐπίτροπον, Joſeph. de bell. Jud. lib. 2. cap. 22. Et Felix qui tempus Præfecturæ ſuæ ſub Claudio in obtinendâ uxore Druſillâ fœminarum pulcherrimâ conſumpſerat, adminiſtrandæ Provinciæ jam diligenter incumbit: ac primò Principem latronum Eleazarum, qui per XX. annos provinciam vexaverat (ab illo, opinor, tempore, quo Samaritanos in apertum bellum prorumpentes Pilatus profligavit, & multis occiſis, reliquos in fugam vertit, A.D. XXXV) captum in vinculis Romam miſit, & magnam latronum multitudinem cruci ſuffixit, atque ita totam regionem pacavit. Hoc primum κατόρθωμα ſub Nerone, ut diſertè tradit Joſephus, lib. XX. cap. 6, 7.

Paulus

Paulus diſſerit in Scholâ Tyranni per biennium. *Ær. vulg.* *Neronis*
S. Petrus venit Corinthum, cùm ibi eſſet Apollos, LV. 2.
ut patet ex Epiſtolâ Clementis.

Ex eo tempore, quo pacata regio eſt, ſicarii in LVI.
Urbe orti ſunt, contra quos Felix nihil fecit.

Sed Jonathanem (qui unus ἐκ τῆς ἀρχιερέων fuit)
nimis liberè eum reprehendentem à ſicariis occidi
curavit. Et poſt eum multi à ſicariis illis Hiero-
ſolymis occiſi ſunt, Feſtis præcipuè diebus.

Paulus diſſerit in Scholâ Tyranni. 3.

Seductores quidam fanatici populum ſub prætextu LVII.
religionis in deſertum congregabant, promittentes
Deum eis oſtenſurum ſigna libertatis. Hos Felix
(quos tanquam femina defectionis eſſe putabat) armis
oppreſſit.

Paulus ſubſtitit in Aſiâ.

Unde præmiſit Timotheum cum Eraſto in Mace-
doniam.

Apollos cum aliis fratribus Corintho venit ad
Paulum, per quos Corinthii miſerunt Epiſtolam.

Scribit primam ad Corinthios Epiſtolam, cum
Soſthene, reſpondens Epiſtolæ Corinthiorum.

Scribit Epiſtolam ad Galatas.

Per Demetrium Epheſo pellitur.

Aſiam relinquens, poſtquam per triennium fermè
totum ibi laboraſſet,

Venit Troadem. Inde tranſit in Macedoni-
am.

Inde ſcribit ſecundam ad Corinthios Epiſtolam.

Ex Macedoniâ proficiſcitur in Græciam.

Paulus Corintho ſcribit Epiſtolam ad Roma-
nos.

Felix Ægyptium Magum cum ſuis ad montem LVIII. 4.
Oliveti profligavit.

Paulus redit ex Græciâ in Macedoniam.

Per

Neronis 4 — *Æræ vulg.* LVIII.

Per dies azymorum manet Philippis.

Venit Hierosolyma cum Collectis post Pentecosten, mense Junio: Ubi tumultu concitato, morte eum eripiens, Tribunus quærit—— *Nonne Tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti & eduxisti in desertum* 4000 *virorum sicariorum?*

Ægyptius enim ille, sociis oppressis, salutem sibi fugâ quæsierat, Jos. XX. 6. Ὁ δὲ Αἰγύπτιος αὐτὸς ἀφανὴς ἐγένετο.

Ad Synedrium adductus cum Ananiâ (Nebedæi filio) qui adhuc fuit Pontifex, orationem habuit, *Act.* XXIII.

Coram Felice Cæsareæ accusatur: Respondens autem ait—— *Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens bono animo pro me satisfaciam,* XXIV. 10. Hi autem anni multi erant 5. cum dimidio, ex quo Judaicæ genti judex impositus est à Claudio: Unde longam sub eo pacem & πολλὰ κατορθώματα illi genti facta agnoscit Tertullus, quæ sigillatim commemoravimus ex Josepho.

S. Paulus in vinculis Cæsareæ detinetur.

Coram Drusillâ iterum auditur.

Magi quidam & Latrones Judæos ad libertatem hortantur, mortem illis minitantes, qui parerent Romano Imperio: & hoc bellum indies ingravescebat, Jos. bell. Jud. l. 2. c. 22.

5.] LIX. Paulus detinetur Cæsareæ in liberâ custodiâ, Felice sperante, quod pecunia daretur à Paulo: *Propter quod & frequenter accersens eum loquebatur cum eo.*

Dum Magi & Seductores Populum per regionem contra Romanorum Imperium sollicitant, inter Syros & Judæos gravis orta est seditio Cæsareæ, quam armis comprimere conatus est Felix, multique à militibus cæsi sunt, sed interventu Nobiliorum Judæorum milites continuit. *Josephus.*

Felix

Felix, manente adhuc ſeditione inter Syros & Judæos, Nobiles utriuſque partis electos miſit ad Neronem de jure diſceptaturos. *Joſephus* de *bell. Jud.* l.2.c.22. *Ex. vulg. Hieron.* LX. 6

Quinetiam Sacerdotes quoſdam ob levem quandam culpam vinctos Romam miſit. *Joſ.* in *Vit.*

Tum verò *Feſtus* ſucceſſor *Felici* datus eſt. *Joſ.*

Felix autem *biennio expleto* (ex quo Paulus accuſatus eſt) *accepit ſucceſſorem Porcium Feſtum; volens autem gratiam præſtare Judæis, reliquit Paulum vinctum*, Act.XXIV.27.

Primores Judæorum poſt deceſſum Felicis Romam profecti ſunt eum accuſaturi; dediſſétque omnino pœnas, niſi Nero eum donaſſet precibus Pallantis, quem tum maximè in pretio habuit. *Joſeph.* l.XX.c.7.

Hinc colligunt Viri docti non diu ab initio Imperii Neronis Felicem Romæ accuſatum, precibus Pallantis donatum, quia Pallas Neroni in pretio non erat diu poſt Imperium ejus: vel ſecundo igitur, vel tertio, vel quarto Imperii ejus Anno Feſtum Felici ſucceſſiſſe volunt. Mihi verò id, quod huic ſententiæ contrarium eſt, vel inde colligendum videtur; nempe Neronem non-niſi diu poſt initium Imperii ſui Pallantem in pretio habuiſſe. Nam ipſo ſtatim initio Imperii Neronis, tædium ſui moverat Pallas. *Tacit.* XIII. 2. Secundo Imperii anno ineunte, à curâ rerum demotus eſt, cap. 14. Tertio ineunte, læſæ Majeſtatis reus fit, & cùm abſolutus eſſet, Innocentia ejus grata non erat, cap.23. Quarto Imperii anno Nero Poppææ amore capitur, Agrippina contemnitur, tanquam ad libita Pallantis provoluta. Quinto, Agrippina ipſâ occiditur, & ſic odii Pallantis apud Neronem, poſtquam potentiâ exutus eſt, unica cauſâ ſublata eſt. Poſt Agrippinæ cædem nulla Pallantis apud Neronem offenſio memoratur.

N. rom. 6. Ær. vulg. LX. ratur. Nono tandem Imperii Anno veneno tollitur nullius criminis reus, nullius novæ apud Neronem offensionis (non enim ille, sed Doryphorus nuptiis Poppææ adversatus est;) sed ex arbitrio *Tigellini*, ac tantummodo quod immensam pecuniam longâ senectâ detineret. *Tacit.* XIV. 65. Qualis fuit paulo ante accusatio Senecæ, tanquam ingentes & privatum modum evectas opes adhuc augeret. *Tacit.* XIV. 52. Quidni igitur VI. Neronis Anno jam exeunte, tantâ Pallas apud eum gratiâ floreret, ut fratrem suum, quem Nero ipse Procuratorem fecerat, à paucis Judæis accusatum liberaret?

Cùm Festus venit in provinciam, Cæsareâ tertio die Hierosolyma attigit; ubi Judæi Paulum accusant. Festus se eos auditurum promittit, postquam Cæsaream regressus est post dies X. Die XI. à Festo auditus Cæsarem appellat. Et cum dies aliquot transiissent, venit Agrippa Cæsaream, *Act.* XXV. Et cum plures dies ibi commoraretur, Paulus coram Agrippâ producitur: Et dimissus tunc fuisset, si non appellasset Cæsarem, *Act.* XXVI. 32.

7. S. Paulus postea missus est Romam, & post dies multos ejectus est, in Melitam Insulam.

9. LXI. S. Paulus postquam per tres menses Melitæ hyemasset per Syracusas, Rhegium & Puteolos, Romam venit, mense Februario, Neronis VII.

Cum Romam venerunt reliqui in vinculis à Centurione traditi sunt τῷ στρατοπεδάρχῃ, Præfecto Prætorio, qui tunc unus erat, scilicet Burrhus. Anno enim sequenti Burrhus mortuus est, & duo facti sunt Præfecti Prætorio. Vincti quidem ex provinciis ad Præfectos Prætorii mitti solebant. *Trajan.* ad *Plin.* ep. 65. Paulo autem permissum manere sibimet cum custodiente se milite, *Act.* XXVIII. 16.

Sicariis

Sicariis Judæam ac præcipuè Hieroſolyma infeſtantibus, Impoſtor quidam ſalutem promiſit omnibus, qui ipſum ſequi vellent in Deſertum; Feſtus autem militaribus copiis eos omnes oppreſſit. *Joſ.* XX. 7. Ær. vulg. LXI. *Neronis* 7.

Interim Agrippa ædificat domum valdè amplam in Regiâ propè porticum, unde perſpexit quæ circa Templum facta ſunt.

Ob hoc Primores Hieroſolymitani erexerunt altum parietem, qui non tantùm Regii triclinii, ſed etiam occidentalis Porticûs (ubi Romani feſtis diebus ſtationes habebant) proſpectum arcebat. Hoc ægrè ferebat Agrippa & præcipuè Feſtus, qui imperavit Judæis, ut parietem diruerent. 8.

Judæi autem à Feſto impetrabant, ut legati de eâ re ad Neronem mitterentur.

Hoc Anno ineunte Legati X. primores cum Pontifice Iſmaele, & Chelcia ærarii cuſtode ad Imperatorem mittuntur. LXII. 8.

Interim Nero Anno VIII. Imperii ſui exturbat Octaviam, & Poppæam uxorem ducit, *Tacit.* XIV. 60. 12 die poſt divortium Octaviæ; *Sueton.* c. 35.

Legati Judæorum Romam veniunt, iiſque Nero permiſit, ut paries ſtaret, Poppææ jam uxori ſuæ gratificatus. *Joſ.* XX. 7.

Poppæa X. Primores redire permiſit. Iſmaelem autem & Chelciam obſides detinuit.

Quod quamprimum intellexit Agrippa, loco Iſmaelis Joſephum Cabi conſtituit Pontificem. *Joſ. ibid.*

Feſtus moritur in provinciâ, menſe Aprili, Agrippa loco Joſephi Ananum Pontificem creat.

Feſto ſucceſſor datus eſt Albinus à Nerone.

Interim Ananus Concilium Judicum conſtituit, & Jacobum fratrem Jeſu Chriſti, aliosque, quaſi Impietatis reos, lapidandos tradit.

Neronis 8. Ær. vulg. LXII. Agrippa Anani loco ſubſtituit Jeſum Damnæi.

Tunc Albinus venit Hieroſolyma ſub initio Auguſti, poſt tres menſes à morte Feſti (quibus Ananus Sacerdotio functus eſt) & ſtatim omnem curam adhibuit, ut pacarit provinciam, interfectis multis ſicariis. *Joſ.* XX. 8.

Adfuit ille Albinus Feſto Scenopegiæ, quo ſcribam Eleazari vivum ceperunt ſicarii.

Ad idem Feſtum venit Jeſus quidam filius Anani, quadriennio ante bellum, & clamavit——*Væ, Væ Jeruſalem!*

Hoc tempore S. Pauli vincula celebria facta ſunt in toto Prætorio, *Philip.* I. 13. & nonnulli ex familiâ Cæſaris Chriſtiani facti ſunt.

9. Jeſus Anani ductus ad Albinum plagis uſque ad oſſa laceratur, & ad ſingulos ictus idem vociferabat: Idque per annos ſeptem & menſes quinque faciebat, donec in ipsâ obſidione lapis tormento emiſſus eum peremit.

Paulus, cum jam facilè perſpiceret ſe eſſe propediem vinculis liberandum ſcripſit IV. Epiſtolas:

Ad Philippenſes,
Ad Epheſios,
Ad Coloſſenſes,
Ad Philemonem.
} In quibus ad eos ſe venturum ſcribit, & ut hoſpitium ſibi paretur, petit.

9. LXIII. Cumque jam per biennium in domo conductâ Verbum Dei liberè prædicaſſet, Româ exiit & in Italiam propriè dictam ſeceſſit, ubi expectans Timotheum ſcripſit Epiſtolam ad *Hebræos*.

10. Adveniente Timotheo ex Italiâ profectus eſt in Hiſpaniam quo iturum ſe dixerat in Epiſtolâ ad Romanos: Et certè eam regionem vidit, quam Clemens Romanus ejus itinera commemorans appellat τὸ πέρμα τῆς δύσεως. Chryſoſt. Orat. 7. in S. Paulum

Tom.

Tom. VIII. p. 59. Καὶ ὑπὲρ σώματος ἕστηκε, ἀλλὰ ψυχῆς ἐκείνου εἰς Ἰουδαίας ὅρμημα. Ær. vulg. LXIII. *Neronis* 10

Theodoret. in *Philip.* I. 25. Καὶ ὁ τῆς πράξεως αὐτὸν ἐπὶ ἡμᾶς ἐπέδεξεν ἱμερος, ὃς δύο ἔτη τὸ πρῶτον ἐν τῇ Ῥώμῃ διήγαγε καθ' ἑαυτὸν ἐν ἰδίῳ μισθώματι· ἐκεῖθεν δὲ εἰς τὰς Σπανίας ἀπελθὼν, ἢ τὸ κηρύττειν τοῦτον τῶν Εὐαγγελίων ἐπαύσατο, καὶ πότε τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη.

Albinus Procurator omni rapinæ genere Provinciam vexat. *Joſ.* de *bell. Jud.* l. 2. c. 13.

Paulus navigat in Cretam.

Paulus poſtquam in Cretâ Verbum Dei aliquandiu prædicaſſet, & Eccleſias conſtituiſſet, Titum Epiſcopum ejus loci ordinavit, eumque ibi reliquit, ut quæ ipſe non fecerat, ille ſuper-diſponeret & ordinaret, conſtitueretque per civitates Presbyteros ſecundum Apoſtoli διάταξιν, *Tit.* I. 5. LXIV. 10

Paulus è Cretâ cum Timotheo in Judæam navigat, *Hebr.* XIII. 23.

Hoc Anno Romæ execrabilis illa Perſecutio Chriſtianorum orta eſt.

Nero Albino Florum ſucceſſorem dat.

Joſephus poſt annum ætatis XXVI. Romam navigat, ut Sacerdotes quoſdam ſibi familiares, quos Felix vinctos Romam miſerat, liberaret. Romam autem illos miſerat Felix ineunte Anno LX. cùm jam annum ageret Joſephus XXIII., & inter eum, & hos Sacerdotes familiaritas interceſſerat per fermè quadriennium: Unde duratio Felicis in officio Procuratoris optimè confirmatur. Nam ſi ſub initio Imperii Neronis, ut volunt, hi Sacerdotes à Felice miſſi fuiſſent, familiares Joſephi dici non poterant. Tunc enim ipſe vix expleverat annum ætatis XVIII.

&

Neronis 10. *Ær. vulg.* LXIV. & tunc in deſerto vixit cùm Bano quodam, quocum ibi verſatus eſt ab anno ætatis ſuæ XVI. per triennium.

Paulus è Judæâ in Aſiam venit. Ubi Timotheus Epheſum venit. Ipſe autem Coloſſenſes viſit, quos antè nunquam viderat, & apud quos permanere ſtatuerat, ut patet ex Ep. ad Philemonem, cum Apphiâ dilectâ, & Archippo commilitone ſuo peculiariter ſcriptâ; quâ illum ſic alloquitur, *Para mihi hoſpitium, nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis*, ver. 22.

11. Florus venit in provinciam, cujus Præfecturæ Anno ſecundo Bellum cœpit.

Paulus jam profecturus in Macedoniam jubet Timotheum permanere Epheſi, 1 *Tim.* I. 3. Nam cùm antea ter tantummodò profectus eſt in Macedoniam, in nullâ ex tribus profectionibus illis juſſit Timotheum Epheſi permanere.

Non primâ; tunc enim Timotheum ſecum aſſumpſit: Non ſecundâ, nam ante eam profectionem Timotheum præmiſerat in Macedoniam. Non tertiâ, tunc enim habuit eum in itinere comitem.

Mox priuſquam Aſiam relinquit, excommunicat Hymenæum & Philetum.

Joſephus operâ Poppææ Sacerdotes vinculis liberat.

11. LXV. Paulus profectus in Macedoniam apud Philippenſes moratur, *Philip.* I. 25, 26. & II. 24.

Joſephus à Poppeâ multis muneribus donatus redit in Judæam, ubi videt omnia ſub Floro ad bellum tendentia.

Paulus ſcribit primam ad Timotheum Epiſtolam.

Paulus ſcribit Epiſtolam ad Titum, cùm ſecum haberet Arteman & Tychicum.

Chryſoſt.

Chryſoſt. in Proœm. Δοκοῦσι δέ μοι χρόνοι εἶναι μέσοι πῶς, ἐν ᾧ τὸ ἀλλὰ Παῦλος οὐ χάριν ἔλεγε, ἀλλὰ νῦν δὲ παρεκάλει φησί. Quam ἄλλως Theophylactus etiam agnoſcit, indeque colligit hanc Epiſtolam ſcriptam eſſe ante illam ad Timotheum, nempe ſecundam. Æræ vulg. LXV. Neronis 11.

Paulus hyemat Nicopoli in Epiro, non in Macedonia, ut ſubſcriptio, aut in Thraciâ, ut Chryſoſtomus & Theodoretus, quod rectè obſervavit Donnæus, p. 544. quem tamen rejicit Hen. Savilius minus rectè aſſentiens Chryſoſtomo & Theodereto, *Utpote de re ſibi compertâ, & urbe vicinâ loquentibus:* At Chryſoſtomus eas Homilias habuit Antiochiæ, quæ longè à Thraciâ diſſita eſt, non Conſtantinopoli, ut rectè obſervavit Haleſius. 12.

Paulus Nicopoli petit Corinthum. LXVI.

Et cùm Corintho deceſſit, ibi reliquit Eraſtum, 2 *Tim.* IV. 20. Sic enim ibi monet Timotheum ——*Eraſtus manſit Corinthi.* Quæ monitio ſcribi non potuit ad Timotheum in prioribus vinculis: Quorſum enim eum tunc moneret, Eraſtum Corinthi manſiſſe, qui cum ipſo Paulo fuit eo tempore, quo Corinthimanſiſſe Eraſtus præſupponitur.

In Judæâ Bellum cœpit Anno Neronis XII. Flori II. menſe Maio.

Nero proficiſcitur in Achaiam.

Exercitus Ceſtii in Judæâ funditur. 13.

Paulus venit Troadem, ubi reliquit penulam, libros & membranas apud Carpum, cujus alibi mentio non fit. Ineptum autem eſt vel cogitare Paulum hæc antea Troade reliquiſſe, cùm tot ſecum haberet comites, & Collectas Hieroſolyma perferendas, & navem ubique conduceret.

Paulus

Neronis 13. Ær. vulg. LXVI. Paulus venit Miletum, ubi reliquit Trophimum ægrotantem, ut monet Timotheum, 2 *Tim.* IV. 20. Quod ſpectare non poteſt tempus illud, quo Mileti fuit, antequam Romam miſſus eſt: Tunc enim Trophimus unà cum Paulo Hieroſolyma venit, *Act.* XXI. 29.

LXVII. Paulus, cùm per biennium & amplius Perſecutio Romæ antea ceſſaſſet, & jam Nero in Græciâ eſſet, Romam petit. Sed Romæ invenit alterum Neronem.

Et quoniam priora ejus vincula in Prætorio celebria erant ante primam Perſecutionem; ideò cum reliquis Chriſtianis notior eſſet, in carcerem conjicitur & arctâ cuſtodiâ tenetur; non ut antéa in domo conductâ omnibus notâ: Unde Oneſiphorus non niſi poſtquam *ſollicitè quæſiviſſet*, *invenit eum*, 2 Tim. I. 17.

Paulus Romæ è carcere in diſcrimen vitæ vocatur ab altero Nerone, & Apologiam habet ſive *defenſionem ſuam*, vel *ſui*, quod in prioribus vinculis factum non eſt; ubi habuit tantùm *defenſionem & confirmationem Evangelii*, adverſus Judæos ſcilicet.

In quâ defenſione tantum erat, & Pauli, & ſuorum periculum, ut omnes ſui eum deſererent, & nemo illi adeſſet, 2 *Tim.* IV. 16. ſed ereptus eſt ex ore *Leonis*, 17. nempe *Helii Cæſareani*, cui omnes in urbe & Italiâ, Nero Græciam petens ut dedititios tradiderat, factâ ei poteſtate bona proſcribendi, in exilium mittendi, & plebeios, & equites Senatoreſque occidendi etiam inconſulto Nerone —— ὅτι μὲν τότε ἡ τῆς Ῥωμαίων ἀρχὴ δύο αὐτοκράτορα ἅμα ἐδύλασσε, Νέρωνι καὶ Ἡλίῳ, ut obſervat Dio. lib. LXIII. p. 720.

Tunc *illi Alexander ærarius multa mala oſtendit, & vehementer obſtitit ſermonibus ejus*, ver. 14, 15.

S. Paulus

S.Paulus poſt hanc Defenſionem ſcribit ſecundam ad Timotheum Epiſtolam, & quidem Romæ, I. 17. & in vinculis Cap. I.8. & II. 9. poſterioribus ſcilicet: Nam Timotheus ipſe Paulo Romæ aderat in prioribus; & cum eo ſcripſerat Epiſtolas, in quibus Apoſtolus ſignificavit ſe brevi vinculis liberatum iri. In hâc autem idem ſignificat Timotheo, *ſe jam delibari, & tempus reſolutionis ſuæ inſtare*, Cap. IV. 6. Et *liberabit me*, inquit, *Dominus* (non à vinculis) ſed *ab omni opere malo, & ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte*, ver.18. Ær. vulg. LXVII. Neronis 13.

Helius feſtinat in Græciam, ut Neronem reducat in Italiam, quo VII. die perveniens Imperatorem terruit, expoſitâ gravi Conſpiratione in urbe factâ. 14.

Unde Nero in ipsâ hyeme Græciâ provectus venit in Italiam, menſe Januario, ut videtur. LXVIII.

Nero manet in Italiâ, necdum Romam venit.

Neapoli in Campaniâ, metu Galliarum, qui paucis poſt Kalendas Martias diebus cœperat, *audivit die ipſo quo matrem occiderat*, circiter Martii 21. *adeóque lentè & ſecurè tulit, ut per* 8. *continuos dies non reſcriberet cuiquam, non mandaret quid aut præciperet: urgentibus dein aliis ſuper alios nunciis Romam prætrepidus rediit* ſub initio Aprilis, *credenſque expeditionem neceſſariam Coſſ. ante tempus privavit honore, atque in utriuſque locum ſolus iniit Conſulatum.* Sueton. cap.43.

S.Paulus (cum Petro) ultimo Neronis Anno Martyrium facit. Factum autem id eſt ſub Præfectis in urbe, ut teſtatur Clemens Romanus, abſente ſcilicet Nerone, Februarii die 22.

De menſe & die teſtis eſt *Sylvius* in Calendario, VIII. *Kal.Martias. Depoſitio S.Petri & Pauli.*

Nero ſeipſum occidit Junii IX.

Qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam nuper accuratè ſcripſiſſe putantur in primordiis Eccleſiæ ſecuti ſunt Scriptores Veteres, aut Veterum nomina ementitos: quorum ſi hiſtoriæ non ſint incertæ, temporum tamen ratio ſanè incertiſſima eſt.

Quinetiam vetera Martyrologia de die Natali Martyrum pertinaciter ſequuntur, & Annalium fidem ad eum anni diem ſuſpendunt; cum certum ſit Sanctorum plerorumque memoriam non ex certa diei quo mortui ſunt ſcientia, ſed ab aliis cauſis ſæpe notatam eſſe.

Quo autem anno Æræ vulgaris prima poſt mortem Chriſti Pentecoſte celebrata eſt, cognitu maximè neceſſarium eſt, præſertim ad annos Apoſtolorum conſtituendos.

Petavius autem de induſtria hujus anni certitudinem labefactare conatus eſt. * * * *

LEC-

LECTIONES

IN

ACTA APOSTOLORUM.

LECTIO I.

I. *Cæpit Eccleſia poſt Chriſti verba S.* Matt. 16. 18. *ante* Act. 2. 47. II. *Ab Epochâ Pentecoſtes.* III. *Tempora Chriſti admodum incerta.* IV. *Paſſus ſub Pilato, teſte Tacito.* V. *Annus Paſſionis per Imperatorem, & Coſſ. deſignandus.* VI. *Annus ille deſignatur.* Ὑπερῶον, *Antiquiſſima Apoſtolorum Eccleſia.* VII. Ὑπερῶα, *Cœnacula, loca ſacris uſibus deſtinata.* VIII. *Judæorum ex omni gente Proſelyti Hieroſolymis Feſti occaſione convenerant.* IX. *S. Petrus omnium Apoſtolorum nomine concionatur.* X. *Coaluerunt converſi in Eccleſiam, primò, recipiendo Baptiſmum.* XI. *Secundò, perſeverando in Doctrinâ Apoſtolorum.* XII. *Tertiò, perſeverando in fractione Panis, i. e. Euchariſtici.* XIII. *Quarto, perſeverando in Orationibus.*

XIV. *Recapitulatio.* XV. *Temporaria duo: primò, Signa.* XVI. *Secundò, Bonorum communitas.* XVII. . . . . XVIII. *Eccleſia Hieroſolymitana prima omnium, & mater.*

An. Period. Julianæ 4746
Chriſti 33
Tiberii 19/20

I. DUM ſæpe mecum reputarem, Auditores optimi, quid potiſſimum vobis prælegendum proponerem; tandem operæ pretium eſſe duxi ſtatum Eccleſiæ Chriſtianæ ab ipſa Origine explicare: Cujus cognitionem ad ſmiendas in Theologia controverſias maximè neceſſariam eſſe ſemper putavi. Eccleſiam autem intelligo eo plane ſenſu quo Chriſtus locutus eſt, cùm Apoſtolo ſuo dixit, *Matth.* 16. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ubi de re adhuc futurâ loquitur; ut S. Lucas de præteritâ, *Act.* 2. 47. *Dominus autem addebat quotidie Eccleſiæ qui ſalvi fierent.* Inter illud igitur tempus, quo iſta Petro locutus eſt Chriſtus, & quo populus Eccleſiæ additus eſt, ipſa Eccleſia de qua loquitur conſtituta eſt. Quo ſenſu S. *Hieron.* Ep. 103. *Actus Apoſtolorum nudam quidem ſonare videntur Hiſtoriam, & naſcentis Eccleſiæ infantiam texere.* Et *Tertullianus* de præſcript. hæret. cap. 22. *Probantibus Actis Apoſtolorum deſcenſum Spiritûs Sancti; Quam Scripturam qui non recipiunt, nec Spiritûs Sancti eſſe poſſunt: Qui necdum Spiritum poſſint agnoſcere diſcentibus miſſum, ſed nec Eccleſiam defendere, qui quando & quibus in cunabulis inſtitutum eſt hoc corpus probare non habent.*

II. Hujus Eccleſiæ ſecundùm Chriſti prædictionem promiſſionémque congregatæ Epocha omnino ſtatuenda in die Pentecoſtes, quæ Chriſti crucifixionem, reſurrectionem, & aſcenſionem proximè ſecuta eſt. Unde eo libentiùs incipio, quòd Viri ex noſtris eruditi Hiſtoriam Eccleſiaſticam magno conatu aggreſſi in ipſo limine hæſerint; & in vita Chriſti explicanda, tum propter rerum copiam, tum ob difficultatem, tantummodo ſe exercuerint.

III. Quis

III. Quis autem ille annus fuerit quo dies iſte Pentecoſtes contigit, ex Sacra Scriptura liquidò conſtare non puto; neque alius quiſpiam Character relictus eſt qui eum certò & determinatè ſignet. Nativitatem Chriſti ſub regno Herodis contigiſſe ſcimus: quot annos ipſe vixerit certò non ſcitur: Et eo quidem tempore natum ſcimus quo à Cyrenio in Judæa cenſus actus eſt: quis autem annus ille fuerit Annales non docent. A vero igitur natali ſalvatoris certa & indubitata Epocha duci non poteſt. Joannem decimo quinto Tiberii anno Baptiſtæ munus inchoaſſe certum eſt; ſed quamdiu illud exercuit antequam Chriſtus ab eo baptizatus eſt; quàm citò Chriſtus poſt baptiſmum Evangelium prædicaverit; quot Paſchata à Baptiſmo ante mortem ejus celebrata ſint; nondum exploratò conſtat. Judæi Rabbinici hîc omnia miſerè confuderunt, &, ut opinor, ex induſtria. Joſephus licet Joannis & Chriſti mentionem fecerit, eorum tamen annos non attingit. Vetuſtiſſimi Patres nihil de annis Chriſti explorati tradiderunt, apud quos ſententia de unius anni prædicatione, quæ apertè falſa eſt, nimis citò orta, diu prævalebat.

IV. Sub Pontio Pilato conſtat Chriſtum crucifixum eſſe, & quidem, teſte Corn. Tacito, ſub Tiberio Imperatore Romano. Ita enim ille Annalium decimo quinto, de iis *quos vulgus Chriſtianos nominabat: Autor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus eſt.* Pilati autem res geſtas in Judæa breviter perſtringit Joſephus, neque ejus tempora diſtinguit.

V. Vulgaris nunc Æra Chriſti obtinet, ſive à Dionyſio, ſive à Beda noſtrate profecta, ſecundùm quam hunc ipſum annum, quem nunc agimus, omnes numerant 1672. Cujus annus primus Periodi Julianæ annus 4714, Romanæ Indictionis 4, Lunaris Cycli 2, Cycli Solaris 10. Sed eam veram non eſſe (quod ad nativitatem Chriſti ſpectat) pro certo habendum: Cum ad regnum Herodis, ſub quo natum

natum eſſe Chriſtum extra controverſiam eſt, aut ad triginta annos ante decimum quintum Tiberii minimè pertingat. Utcunque autem ſe habeat, cum Paſſionem Chriſti certiſſimè antevertat, ſatis eſt ad certitudinem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſi aliquis in ea Æra annus notari poſſit, quo dies iſte Pentecoſtes, quo Eccleſia orta eſt, contigiſſe dicatur. Inde enim ad nos poſtea vera rerum geſtarum ſeries deducetur. Quod quidem eò pleniùs ſatisfaciet, ſi Romanorum Imperatorum ſub quibus omnia in primitiva Eccleſia geſta ſunt, & Conſulum anni ſimul indicentur. Nam & Euſebius annos Imperatorum, tum in Hiſtoria, tum in Canone conſignavit: & Faſti conſulares à Romanis fere ſcriptoribus obſervati ſunt: & ſecundùm Conſules vetuſtiſſima Concilia Seſſiones ſuas notabant.

VI. Statuo igitur, tanquam veritati maximè conſonum, cum Chronico Alexandrino, Chriſtum paſſum eſſe decimo nono anno Tiberii, Æræ Chriſti vulgaris trigeſimo tertio, Periodi Julianæ 4746. Procuratoris officio in Judæa fungente Pontio Pilato, Coſſ. Servio Sulpitio Galba, Lucio Cornelio Sylla. Hoc igitur anno menſis Maii ſecundùm Romanos * viceſimo quarto, centum & viginti homines Hieroſolymis congregati promiſſionem Chriſti jamjam explendam expectabant. *Et cum complerentur dies Pentecoſtes*, *Act.* 2. 1. Cum quinquageſimus dies à reſurrectione Chriſti illuceſceret, *Erant omnes pariter*, 120. ſc. ut plerique interpretantur, vel certe omnes Apoſtoli, ut in Codicibus aliquibus legitur, Πάντες οἱ Ἀπόστολοι, *in eodem loco.* Locum autem eum ὑπερῷον fuiſſe credibile eſt; Cœnaculum illud, cujus meminit S. Lucas 1. 13. ubi ſuo tempore tradit S. Cyrillus Hieroſolymitanus extitiſſe τὸν ἀνώτερον τῆς Σιὼν ἐκκλησίαν, Catechef. 16. quam ab Apoſtolis fundatam, eo quod ibi Spiritum Sanctum acceperint, narrat Beda, de Locis Sanctis. Et quidem antiquiſſima, licèt ab Apoſtolis ipſis minimè fundata, ibi Eccleſia videtur eſſe conſtituta. Nam,

* Pro calculis Uſſerii, qui paſſum dicit Aprilis tertio, aſcendiſſe Maii decimo quarto. Aſſentiuntur Uſſerio Langius, & Labbæus.

Nam, ut narrat Epiphanius, lib. de Pond. cum Adrianus Imperator Hieroſolyma adiret, invenit urbem totam funditùs everſam, & Templum Dei dirutum, παρειλὸς ὀλίγων οἰκημάτων, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας μικρᾶς οὔσης· quam ibi collocatam aſſerit, ubi diſcipuli reverſi, cum Salvator aſcendit à monte Oliveti, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον. Ἐκεῖ γὰρ ᾠκοδόμητο τυπῶσι τὸ τῷ μέρει Σιών. Nicephorus etiam tradit, Helenam Conſtantini matrem ampliſſimum in Sione Templum erexiſſe; in cujus poſtico domum circumcluſit, ubi facta eſt ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος κάθοδος τὸ τῷ ὑπερῴῳ. Lib. 8. c. 30.

VII. Erant autem privata illa ὑπερῷα loca à Judæis ſemper ſacris uſibus deſtinata, ſaltem ex quo Daniel Propheta aſcendiſſe in Cœnaculum ad orandum diceretur: Καὶ αἱ θυρίδες ἀνεῳγμέναι αὐτῷ τὸ τοῖς ὑπερῴοις κατέναντι Ἰερουσαλήμ· ut & Sara filia Raguelis dicitur deſcendiſſe ἐκ τοῦ ὑπερῴου, ubi oraverat. Unde Judæi ſapientes ſuos appellabant בני עליתא *filios Cœnaculi.* In eo celebrabant Paſcha Marci 14. 15. *Et ipſe vobis demonſtrabit* ἀνώγαιον, *Cœnaculum grande ſtratum.* In eo corpora mortuorum lavata prius reponebant, ut de Dorcade legimus *Act.* 9. 37. *Quam cum laviſſent, poſuerunt eam in Cœnaculo.* Unde & Petrum venientem dicuntur adduxiſſe *in Cœnaculum.* Quare Apoſtoli ab Aſcenſione Domini reverſi Hieroſolyma, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον· ubi *erant perſeverantes unanimiter in oratione & ſupplicatione,* Act. 1. 13.

VIII. Cum autem eo loci eſſent, *Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritûs vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum, & repleti ſunt Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Hoc Pentecoſtes miraculum planè novum Hieroſolymitanos

tanos ſtatim convocavit : *Erant autem in Hieruſalem habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione quæ ſub cælo eſt.* Primo, quod dies Pentecoſtes. Secundo, propter opinionem de adventu Meſſiæ. Nam licèt exteri non obligarentur ad apparendum coram Domino, tamen quamplurimæ diſperſiones jam ante ſæpius vigilanti Dei providentia factæ fuerant; quæ ad ſonum Evangelii excipiendum, & in ultimas terras derivandum erant opportunæ. Omnes autem Judæi, quacunque regione aut terrarum ora diſperſi, Hieroſolyma tanquam patriæ ſuæ metropolin ſuſcipiebant. Ut Philo in Flaccum: *Judæos una regio non capit propter hominum multitudinem. Quam ob rem plurimas ac fortunatiſſimas urbes in Europæ Aſiæque provinciis ac Inſulis incolunt, pro Metropoli habentes ſanctam Civitem in qua Templum altiſſimo Deo ſacratum eſt.* Et Agrippa in Epiſtola ad Caium Imperatorem: *Pro ſancta verò Civitate hæc efferre convenit. Hæc quidem mea eſt Patria, metropolis autem non unius regionis Judææ, ſed & plurimarum, propter Colonias quas diverſis temporibus emiſit, vel propiùs in finitimas vel longiùs diſſitas*; quas enumerat, & longè quidem plures, quàm quæ in Actibus Apoſtolorum numerantur. In his Coloniis nati Judæi non pauci, præſertim religioſi, ſedes Hieroſolymis fixas habebant. Unde S. Lucæ, κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι ἄνδρες εὐλαβεῖς ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν· ut Agrippæ, Πόλις μέσαις κατ' ἔκεινον κλίμασι τῆς οἰκουμένης ἱδρυμένη, & οἱ παροικοῦντες τῆς οἰκουμένης Ἰουδαῖοι. Præter eos autem qui Hieroſolymis habitabant, erant tunc temporis etiam οἱ ἐπιδημοῦντες tum proſelyti advenæ qui Hieroſolyma pro variis negotiis ſæpe commeabant, feſtis maximè diebus, qualis erat inprimis hic dies Pentecoſtes.

IX. Hi igitur tum Judæi, tum proſelyti, in variis regionibus nati atque educati, variis linguis ſive dialectis, ſecundùm varietatem Nationum in quibus orti ſunt, utebantur.

bantur. Cum autem convenissent, audito rumore de miraculoso Spiritûs in Apostolos illapsu planè in admirationem rapti atque confusi sunt: *Quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes*, Act. 2. 6. Dum autem ex illis alii dubitabant, alii irridebant, *Stans Petrus cum undecim levavit vocem, & locutus est eis.* Quid autem est, *cum undecim?* inquit S. Chrysostomus, Κοινὴ προεβάλλοντο φωνὴν, ἡ πάντων αὐτῶν ἦν τὸ στόμα· παρειστήκεσι δὲ ἕνδεκα μαρτυρόμενοι τοῖς λεγομένοις. *Communem vocem emittebant, & omnium ille os fuit: Astabant autem undecim, testimonium dictis perhibentes.* Petrus igitur, gravissima concione habita, calumnias refellit, prædictionem explicat de Christo & Resurrectione ejus, & Ascensione, & illapsu Spiritûs disserit: Ad resipiscentiam & baptismum Judæos vocat, & tria auditorum millia ad agnitionem *Veritatis* convertit.

X. Quid hi Judæi ad fidem Christianam Apostolica prædicatione conversi fecerint, quomodo in Ecclesiam recepti, & in ea versati sint, imprimis spectandum: *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt*, Act. 2. 41. Ita S. Petrus, *Primus in Christi baptismo reseravit adytum Cœlestis regni*, ut loquitur *Tertul.* de *Pudicitia*, cap. 21. Ita expressum Christi mandatum hoc die primò expletum est ab Apostolis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Neque aliter adhuc ea verba de docendis omnibus gentibus intellexisse videntur Apostoli, quàm de Judæis omnium gentium. Hi autem tunc per Baptismum recipiebantur in Ecclesiam Christi, neque alio modo unquam recipi potuerunt, aut Christiani fieri, quicquid in contrarium nuper deliravit Socinus.

XI. Secundo, *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum*, Act. 2. 48. Et quidem ὁμοθυμαδὸν, ut MSS. nonnulla, & Chrysostomus: hoc est, Apostoli quotidie eos post baptismum susceptum cognitione Christi imbuebant,

& præcepta ejus ipſis inculcabant, ſecundùm alteram mandati partem à Chriſto Apoſtolis injuncti. Matth. 28. 20. *Docentes eos omnia quæcunque mandavi vobis.* Quorum doctrinæ omnes qui jam converſi ſunt ſummo conſenſu adhærebant, quem *conſanguinitatem Doctrinæ* appellat Tertullianus.

XII. Tertio, *perſeverabant etiam in Communione fractionis panis*, ſive τῇ κοινωνίᾳ, ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, *in Communicatione & fractione panis*; i. e. Syro interprete, *fractione Euchariſtiæ*. Neque enim tantùm bonorum communicationem & communem convictum hîc intelligi, ſed etiam Cœnæ Domini participationem, voluerunt Veteres, S. Chryſoſt. hom. 27. in prim. ad Corinth. Ubi Euchariſtiam S. Paulus κοινωνίαν appellat; Οὐκ ἤκουσας πῶς, ἐν οἱ πεισχίλιοι οἱ τῆς κοινωνίας ἀπολαύοντες ἀφ' ἑνὸς ἄρτου καὶ ἑνὸς ποτηρίου τῇ προσευχῇ, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ; Dixerat S. Paulus Ep. ad Corinth. Cœnam Domini eſſe κοινωνίαν, & fractionem panis in eâ ſimul commemoravit. Τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; S. Lucas Comes S. Pauli, eodem modo hæc verba uſurpaſſe videtur; ut & poſtea S. Ignatius, Epiſt. ad Epheſios: Ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅς ἐστι φάρμακον ἀθανασίας. Neque aliter S. Lucas à veteribus intellectus eſt, in Evangelio, cap. 24. v. 35. Καὶ ὡς ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. Sic etiam Act. 20. 7. ——συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον—— Nam licèt fractio panis poſſit victum communem tantùm ſignificare, tamen cum in Cœnâ Domini panis ſignanter frangi dicatur; cum in vetuſtiſſimis Eccleſiis quotidie Euchariſtiam celebrare moris eſſet; cum ex oblationibus à populo factis ſumi ſolerent panis & vinum ad eum uſum ſacrum: Dubitari vix poteſt, quin hîc ter mille homines in quotidiana Communione & fractione panis Cœnam Domini celebraverint.

XIII. Quarto,

XIII. Quarto, *erant perſeverantes in Orationibus*, publicis nempe atque communibus, in ipſo cœtu ab Apoſtolis etiam factis. Sub lege Moſis nullum de precibus conceptum videtur mandatum: pii tamen ſæpius in Templo orabant, Joannes etiam baptiſta diſcipulos ſuos docuit orare. Unde unus ex diſcipulis Chriſto aliquando dixit: *Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Joannes diſcipulos ſuos.* Unde Chriſtus ipſe orationem eam protulit, quam dominicam vocamus. Apoſtoli igitur, quibus Spiritus S. omnia in memoriam revocavit quæcunque antea Chriſtus illis revelaverat, & ea oratione uſi ſunt, & etiam alias uſurpabant, à quibus vetuſtiſſimæ precum formulæ in omnibus Eccleſiis penè eædem derivatæ ſunt.

XIV. Hæc nobis forma quaſi atque imago primæ Eccleſiæ ab Apoſtolis congregatæ, formatæ, gubernatæ. Fide ſemel Apoſtolico Sermoni habitâ per baptiſmum in Eccleſiam admittebantur. In Eccleſiam admiſſi, cœtus publicos frequentabant, in cœtu publico doctrinæ Apoſtolorum ſedulò attendebant, qui eos viam Domini perfectiùs docebant; ſimul etiam convictum ſumebant, & Euchariſtiæ participes fiebant; publicis denique & communibus orationibus in eodem cœtu factis, Deum colebant, atque ita Eccleſiis omnibus uſque ad conſummationem ſæculi exemplum præbebant.

XV. Reliqua quæ magis temporaria fuere, & iſtius temporis ſtatui maximè convenientia, duo hæc ſunt. Primum Apoſtolos ſpectat, qui informabant & gubernabant Eccleſiam. *Multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Jeruſalem fiebant.* Hæc enim eorum doctrinam cœlitùs patefactam eſſe planè demonſtrabant. Non tantùm Chriſtum poſt mortem reſurrexiſſe, & in Cœlum aſcendiſſe hoc modo oſtendebant, cum non ſua virtute aut pietate, ſed in fide nominis ejus hæc omnia ſe perpetraſſe profeſſi ſint: Sed & palàm faciebant, Deum omnino velle ut omnes homines illis crederent quos potentiâ tam manifeſtè divinâ armarit.

XVI. Secundum ſpectat populum ad fidem converſum: *Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia; poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Ea erat religionis quam amplexi ſunt natura, ut ex æternæ vitæ ſpe hujus ſæculi bona omnia facile contemnerent; ea temporum conditio, ut ſtabilem rerum propriarum poſſeſſionem ſperare vix poſſent; ea denique omnium eandem fidem amplexorum cura; ut quiſque aliorum neceſſitatibus inſervire, & communi Eccleſiæ bono ſtudere neceſſarium ſibi eſſe putarent. *Hæc erat*, inquit Chryſoſt. *Angelica politia, hoc protulit primum germen naſcens Eccleſia.*

XVII. Ita illi perſeverabant *collaudantes Deum, & habentes gratiam apud omnem populum.* . . . . . .

. . . . . .

XVIII. Hæc erat indubitata Hieroſolymitanæ Eccleſiæ prærogativa, quòd fuerit omnium ſine controverſia prima. Antiochena ſeſe efferebat, quòd à Sancto Petro fundata ſit, & Romana multo magis. Cum liquidò conſtet, Eccleſiam Hieroſolymitanam non tantùm Romana, ſed & Antiochena reliquiſque omnibus antiquiorem eſſe, & à S. Petro primò fundatam, imò ab omnibus Apoſtolis ſimul. Rectè S. Cyrillus Ep. Hieroſolymitanus, Catech. 16. Πάντων παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς ἀξιώμασι. Apud Hieroſolymitanos omnes prærogativæ. Sed & *in Hieruſalem primùm fundata Eccleſia totius orbis Eccleſias ſeminavit.* Et pulchre, non dixit in Sion, & in Hieruſalem erit, & manebit Verbum, & Lex Domini, ſed *egredietur*; ut de illo fonte omnes nationes doctrinâ Dei ſignificet irrigandas. Hanc igitur *matrem omnium Eccleſiarum* appellat Concilium Conſtantinopolitanum, Epiſtola Synodica ad Epiſcopos Romæ congregatos; Τῆς δέ γε μητρὸς ἁπασῶν τῆς ἐκκλησίας,

τῆς

τῆς δὲ Ἱεροσολύμεως τὸν ἁγιωτάτου, καὶ φιλοχρίστου Κλεύλλου ἐπίσκοπον εἶναι γινώσκομεν. Hanc igitur *matrem Christiani nominis* vocavit Justinus Imperator, Epistola ad Hormisdam: *Ad colligendas & adunandas ubique venerabiles Ecclesias, & Hierosolymitanam præcipuè; cui tantum omnes favorem impendunt, quasi matri Christiani nominis, ut nemo audeat ab eâ sese discernere.* Et Hieron. Ep. 17. *Totum mysterium nostrum istius provinciæ urbisque vernaculum est.* Quicquid igitur aliæ Ecclesiæ pro Primatu obtendant, prima & mater omnium Ecclesiarum Hierosolymitana fuit.

LECT.

LECT. II.

I. *SS. Petrus & Joannes præcipui Apoſtoli.* II. *Horæ Orationis apud Judæos receptæ.* III. *Incertum, an illas obſervârint primi Sæculi Chriſtiani.* IV. *Primi earum apud Chriſtianos meminerunt Tertullianus & Cyprianus.* V. *Quinque Millia converſi, ut intelligendi.* VI. *Præſidium in arce Antoniâ. Quinam Annas, Caiphas, Joannes, Alexander.* VII. *Hi Apoſtolorum Judices.* VIII. *Sequuntur geſta Anni Tiberii* XIX. *poſt Aug.* 19. IX. *Bonorum communium diſtributio penes Apoſtolos.* X. *De Barnabâ, & ejus Epiſtolâ.* XI. *De morte Ananiæ & Sapphiræ. Defenditur S. Petrus adversùs Porphyrium.* XII. *De umbrâ S. Petri. Argutatio Baronii pro Imaginibus.* XIII. *Ejuſdem alia ſimilis argutatio pro poteſtate Pontificis Romani.* XIV. *Romanenſium artes in novitatum ſuarum Antiquitate aſtruendâ.* XV. *Rerum dogmatumque Origines in Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ obſervandæ.*

An. Period. Julianæ 4746
Chriſti 33
Tiberii 20

I. CUM prima Eccleſiæ membra ſuprà jam tria hominum millia Hieroſolymis omnia ex præſcripto Apoſtolorum peragerent; cum multa prodigia & ſigna per Apoſtolos fierent; unum præcipuè memorabile fuit. Petrus & Joannes, magnum par, *aſcendebant in Templum ad horam orationis nonam.* Petrus qui maximè diligebat

diligebat Christum,& Joannes quem præcipuè diligebat Christus,qui ad parandum ultimum Pascha à Christo simul missi sunt, *Luc.*22. 8. qui Christum comprehensum & ligatum in aulam Pontificis secuti sunt, *Jo.* 18. 15. qui ad Sepulchrum Christi simul perrexerunt, *Jo.* 20. 3. quos in Samariam postea reliqui Apostoli miserunt: Hi, inquam, duo simul ascendebant ad Templum. Ita παρὰ χῦ φαίνονται ὄντες πολλὴ ἴζοντες πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν. ut observat S. Chrysostomus.

II. Ascenderunt autem ad Templum, *ad horam orationis nonam.* Quamvis Moses preces nullas diserte in lege præscripserit, tamen pii inter Judæos preces fundebant, eo præsertim tempore quo Sacrificia oblata sunt. Juge sacrificium matutinum, & vespertinum fuit. Vespertinum post horam nonam incipiebat, & ab illa incipiebant preces. Apostoli igitur ad eam horam Templum adibant, ut locum & tempus à Judæis observatum ipsi etiam in orationibus observarent.

III. Hinc arcessunt statarum in Ecclesiasticis Orationibus horarum, quas Canonicas vocant, exordium. Et quidem tres volunt ab ipsis Apostolis initio observatas, & Ecclesiæ commendatas esse. Sed hæc traditio non adeò firma est. Apostoli Hierosolymis ad Templum accedebant, & Orationum horas Judæis consuetas illic observabant. Christiani primitivi Apostolis alibi quàm Hierosolymis viventibus, & iisdem etiam defunctis, simul eodem loci congregabantur. Sed horas easdem semper observâsse non leguntur. Ut S. Paulus monet Hebræos ne deserant ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, *collectionem*, sive *congregationem* sui, nullâ horarum mentione factâ. S. Barnabas, *Non separatim debetis seducere vos, tanquam justificati; sed in unum convenientes inquirite, quid communiter dilectis conveniat & prosit.* S. Ignatius, Ep. ad Magnesianos, Ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτὸ μία προσευχὴ, μία δέησις· πάντες εἷς ἐστὲ ὡς ναὸν συν-

πνέχετε

πρὸς τὸν Θεὸν, ὡς ὅτι ἐν φυτασίεσι. Eodem tempore obſervavit Plinius, Chriſtianos ſuæ provinciæ *ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.* Diem illum ſtatum non diu poſtea Juſtinus Martyr teſtatus eſt eſſe diem ſolis.

IV. Primus qui horarum meminit eſt Tertullianus, & quidem jam adultus Montaniſta, cum contra Eccleſiam acriter diſputaret, & Catholicos ſtationes ad nonam finire doceret: Quod ab hâc re alienum. Poſt Tertullianum S. Cyprianus meminit horarum tertiæ, ſextæ, nonæ: Sed à Daniele hæc arceſſit, nonam ab Apoſtolis obſervatam non commemorat. Poſtea qui Monaſticis maximè inſtitutis adhærebant, omnia Scripturæ loca adducebant, ut horas Orationum quamplurimas ſtatuerent; ut S. Baſilius, Hieronymus, Caſſianus, & Autor homiliæ de Virginitate ſub nomine Athanaſii.

V. Hora igitur nona cum Veſpertinum Sacrificium pararetur, & pii ex Judæis orationibus operam darent, Petrus & Joannes ſimul Templum adierunt. Cum vir qui erat claudus ex utero matris ſuæ bajulabatur, quem ponebant quotidie ad portam Templi quæ dicitur Specioſa. Hic cum omnibus notus eſſet, S. Petrus eum ſtatim ſanavit. Cum ille teneret Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos in porticum quæ appellatur Solomonis, ſtupentes. Petrus autem liberrima oratione circumſtantes Judæos perſtringens, docet claudum hunc ſanatum eſſe per fidem in Chriſtum eum quem illi crucifixerant. *Multique eorum qui audierunt Verbum crediderunt, & factus eſt numerus virorum quaſi quinque millia*, aut cum ter millibus qui priori concione converſi, ut nonnulli opinantur, aut etiam præter eos, ut alii ſentiunt.

VI. Loquentibus autem illis, ad populum, ſupervenerunt Sacerdotes, & Magiſtratus Templi, & Sadducæi. In arce enim Antonia Templo adjuncta, κατὰ καιρὸν ἐν τάγμα Ῥωμαίων. Milites

Milites illi Romani τὸν ὄχλον ὡς μὴ στασιάσειν παρεφύλαττον, ut testatur *Josephus, Bell. Jud.* l. 5. c. 15. Horum militum præfectus confluente populo statim accessit, cavens ne seditio oriretur. Adjunxerunt se illi Sacerdotes, ægrè ferentes quòd Petrus & Joannes, privati Judæi, populum docerent. Accesserunt & Sadducæi omnium maximè commoti, quòd annunciarent Apostoli in Jesu resurrectionem mortuorum, quam illi prorsus negabant. Injecerunt igitur in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum. *Tum autem congregati sunt Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Jerusalem: Et Annas Princeps Sacerdotum & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot aderant è genere sacerdotali.* Tanti enim hæc putabantur, ut proximo die Synedrium cogeretur. Hujus Synedrii majestas describitur, non tantùm eorum, qui Synedrium complebant dignitate notatâ, quòd constaret ex principibus populi, Senioribus, Scribis, omnibusq; qui essent ex genere Pontificio; sed nominatis etiam viris inter eos præcipuis. Hujus igitur Synedrii Præses erat Annas, sive Ananus, qui ipse antea Summum Pontificatum administraverat; sed à Valerio Grato Romano Judææ Præside dejectus, maximam tamen inter Judæos autoritatem obtinebat, & Synedrii Princeps fuit, quem נשׂיא *Nasi*, vel ראש *Rosh* vocabant. Huic adjungitur Caiphas, qui per septem jam annos officio summo Sacerdotii gaudebat. Quod postquam pro arbitrio Præsidum transferri ea dignitas soleret, nemini præter eum contigit, qui alibi diceretur Pontifex ejus anni; non quòd illo tantùm anno Pontifex fuerit; sed quod aliqui ante eum, & post eum plures in unum tantùm annum Pontifices creari sint. Huic tertio loco adjungitur Joannes, Annæ, ut creditur, filius. Quartus autem est Alexander, ut videtur, Lysimachus, Philonis Judæi scriptoris celeberrimi frater. Josephus Antiq. l. 18. c. 10. Φίλων ὁ σοφιστὴς τῶν Ἰουδαίων τῆς πρεσβείας, ἀνὴρ τὰ πάντα ἄριστος, Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ Ἀλαβάρχου ἀδελφὸς ὤν.

De fratre ejus Hieronymus in Catalogo: *Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum.* Fuit igitur Alexander de genere Sacerdotum, & quidem Judæorum ditiſſimus: Scil. Procurator fuerat Antoniæ matris Claudii Imperatoris, ut teſtatur Joſephus Antiq. lib. 19. cap. 4. Et Templi Hieroſolymitani novem portis argentum & aurum infudit, ut Joſephus quinto Ἀλώσεως, cap. 14. Non Tiberius Pater ejus, ut falsò tradit Baronius, ſed ipſe Pater alterius Tiberii.

VII. Hi igitur in magno Synedrio congregati, & in Semicirculari forma conſidentes, Petrum & Joannem in medio ſtatuerunt, interrogantes quâ virtute aut quo nomine hæc fecerint? Cum Petrus reſpondiſſet, Nomine Jeſu Chriſti hoc factum fuiſſe, additis minis eos dimiſerunt.

VIII. Hæc mihi geſta videntur decimo nono Tiberii anno, intra tres menſes à die Pentecoſtes; tum verò incepit annus Tiberii viceſimus, ipſo decimo nono menſis Auguſti; eo enim die obierat Auguſtus, referentibus Dione atque Suetonio. Reliqua per quatuor menſes geſta ad viceſimum Tiberii; ſed eundem triceſimum tertium Æræ Chriſti vulgaris annum pertinent.

IX. Erant quidem tum Hieroſolymis duo genera Judæorum; quorum hi οἱ πιστεύοντες dicebantur, qui nempe in Chriſtum ab Apoſtolis prædicatum credebant, *Act.* 2. 44. Πάντες δὲ οἱ πιστεύοντες ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, Cap. 5. 14. Μᾶλλον δὲ προσετίθετο πιστεύοντες τῷ Κυρίῳ, Cap. 15. 5. Τινὲς τῶν ἐξ αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων πεπιστευκότες, Cap. 21. 20. Vides, frater, quot ſint millia Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων. Neque alio nomine tunc temporis à Judæis reliquis diſtinguebantur: *Erat autem horum, multitudinis,* ſc. τῶν πιστευσάντων, *cor & anima una. Nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat.* Nec tamen omnia ita habebant communia, quaſi quiſque qui vellet re alterius frueretur; ſed in commune Eccleſiæ bonum omnia adminiſtrabantur: Idque

Idque ex arbitrio ſive judicio Apoſtolorum, quibus gubernandæ Eccleſiæ poteſtas fuerat concredita: *Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes adferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.* Ut ſc. in eorum poteſtate eſſet omnia ad communem fidelium ſuſtentationem diſponere. Quod & ab iis factum eſt: *Dividebantur enim ſingulis prout cuique opus erat.* Unde etiam factum, ut poſtea Epiſcopis, tanquam Apoſtolorum ſucceſſoribus, bona Eccleſiæ concrederentur. Hieronymus Ep. 8. *in Actis Apoſtolorum: Quando Domini noſtri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in credentibus fides, vendebant omnes poſſeſſiones ſuas, & pretia eorum ad Apoſtolorum deferebant pedes, ut oſtenderent pecunias eſſe calcandas: dabaturque ſingulis, prout cuique opus erat.*

X. Hujus rei duo exempla maximè inſignia à S. Luca referuntur. Primum: Joſeph autem qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, quod eſt interpretatum, Filius Conſolationis, Levites, Cyprius genere, cum haberet agrum vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum. Judæus igitur hic ex Judæis parentibus ortus, & quidem ex Tribu Levi, non autem in Judæa, ſed in Inſulâ Cypro natus; primò *Joſeph*, ſive ut aliqua exemplaria habent, *Joſes*, à parentibus nominatus, poſtea ab Apoſtolis ipſis cognominatus eſt Βαρνάβας, hoc eſt, interpretante ipſo Luca, ὑὸς παρακλήσεως. S. Hieron. de Nom. Hebr. *Barnabas, filius Prophetæ, vel filius venientis, aut, ut plerique putant, Filius conſolationis.* Ita ille, omnes Etymologias proferens; ut בר vel נבי *Propheta*, vel à בוא *venire*, vel à ברה *conſolari*, ut à Syro Interprete redditur רבואא ברא *Filius conſolationis.* Quando hic Joſephus primùm fidem Chriſti amplexus, non docent Sacræ Literæ. Veteres autem eum unum ex LXXII. Diſcipulis fuiſſe tradunt. Clem. Alexandrinus Strom. lib. 2. Οὐ μὴν ἀλλ' πλείοσι λόγοις παρεισάγω μάρτυρα τὸν ἀπόστολον

Βαρνάβας· ὁ δὲ τῆς ἑβδομήκοντα ἦν, ἃ Συνεργὸς ὁ Παύλου. Quod & in ſeptimo Hypotypoſeων, primo eum tradidiſſe teſtatur Euſebius, Hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 1. unde & ipſe l. 1. c. 12. Τῶν δὲ ἑβδομήκοντα μαθητῶν κατάλογον μὲν ὑμεῖς ὑδαμοῦ φέρεται· λέγεται γε μὴν εἷς αὐτῶν Βαρνάβας γεγονέναι. Sub hujus nomine extat Epiſtola tum Græcè tum Latinè ex MSS. eruta. Sed neque Græca neque Latina integra ſunt. Latina ex Codice Corbeienſi tranſcripſit Menardus; quibus Græca à Turriano ante deſcripta adjunxit, & annotationibus illuſtravit. Græca ex tribus MSS. Iſaacus Voſſius paulo integriora reddidit. Apparet autem hanc Epiſtolam eandem eſſe quam Veteres in manibus habuerunt. Multa enim ex illâ citant Clem. Alexandrinus, Origenes, & Autor Conſtit. Apoſtolicarum. Euſebius eam inter Apocrypha numerat; Nicephorus, inter eas Scripturas quæ ἀνηλέγκτους. S. Hieron. in Catalogo: *Barnabas Cyprius, qui & Joſeph Levites, cum Paulo gentium Apoſtolo, unam ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem Epiſtolam compoſuit, quæ inter Apocryphas Scripturas legitur.* Et rurſus, in cap. 43. Ezekiel. *Vitulum autem qui pro nobis immolatus eſt, & multa Scripturarum loca, & præcipuè Barnabæ Epiſtola, quæ habetur inter Scripturas Apochryphas, nominat.* Nemo certè fuit qui hanc Epiſtolam Barnabæ non tribuerit, neque in eâ quidquam apparet quod eam ætatem non ferat.

XI. Præclarum ſanè primum hoc Barnabæ exemplum: quod ſequitur infelicius eſt. Vir enim quidam, nomine Ananias, cum Sapphira uxore ſua vendidit agrum. Et fraudavit de pretio agri, conſciâ uxore ſuâ, & adferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit. Sed dum Petrus fraudem eorum detegit, & quòd contra Spiritum Sanctum peccaverint oſtendit, ſolo ejus verbo & increpatione ſtatim exanimati ſunt, & à fidelibus ſepulti. Crudelem in hâc pœnâ S. Petrum fuiſſe clamabat Porphyrius, unde Veteres ſæpe eum excuſant. S. Hieron. Ep. 8.

Apoſtolus

Apoſtolus Petrus nequaquam imprecatur iis mortem, ut ſtultus Porphyrius calumniatur; ſed Dei judicium prophetico Spiritu annunciat, ut pœna duorum hominum ſit doctrina multorum. Ita S. Auguſtin. contr. Parmenianum, l. 3. c. 1. Caſſian. & Iſidor. Peluſiota, & ante ipſam Porphyrii objectionem Origenes Comment in Matthæum.

XII. Hoc ſeveritatis exemplum ſecutus eſt populi timor. Et adhuc per manus Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe. Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum. Qui hinc antiquitatem cultûs imaginum arceſſunt, oſtendunt quantâ argumentorum penuriâ laborant. Baronius autem in Annalibus Eccleſiaſticis, ita diſputat: *Quid inſuper umbra Petri, niſi imago expreſſa corporis Petri? Certè quidem non aliunde quàm ex ejuſmodi imaginibus umbra formatis picturam duxiſſe originem ferunt; ut ex his videas imaginum pium cultum in umbra Petri à Deo primitùs in primori illa Eccleſia tot tantiſque miraculis eſſe divinitùs conſecratum.*

XIII. Secundò, Baronius ex eodem miraculo deducit doctrinam de poteſtate Pontificis Romani. *Cum*, inquit, *eandem Deus virtutem umbræ Petri indiderit, quam & corpori Petri; illud certè typicè expreſſum eſſe videtur, tantam à Deo Principi Apoſtolorum gratiarum copiam eſſe collatam, ut eadem dona Petri perſonæ conceſſa ſic in umbram tranſtulerit, ut eadem in ſucceſſoribus, qui referunt perſonam Petri, feliciter propagare voluerit: Nimirum ut quamvis non omnes æquè Sancti ac Petrus, ſed ex ipſis aliqui moribus eſſent futuri diſſimiles; tamen quia ejuſdem gererent perſonam Petri, eandem etiam retinuerint à Deo illi traditam poteſtatem; ſcirentque omnes reſpublicæ Petri in honore habendos eſſe, qui umbram ſaltem Petri hac ex parte referrent.* Quæ tanquam egregia in breviarium ſuum tranſcripſit Franc. Longus.

XIV. Con-

XIV. Contendunt quidem Pontificii omnia Dogmata quæ nunc tuentur eſſe per traditionem ab ipſis temporibus Apoſtolicis derivata. Mirum hoc nobis videtur, qui multorum origines in ſequioribus Sæculis obſervamus. Sed habent illi Annales Eccleſiaſticos Illuſtriſſimi Cardinalis Baronii, in quibus omnium ferè natales antiquiſſimi perhibentur. Duplici autem artificio ille utitur, quo ſummam rebus novitiis antiquitatem & venerationem conciliet. Primò, autoritatem eorum ſcriptorum affert, qui ſub antiquiſſimorum nominibus ſuorum temporum doctrinas evulgant. Quales ſunt inprimis Conſtitutionum Apoſtolicarum conſarcinator, qui poſt quinque Sæcula ſuæ ætatis Dogmata, & ritus quaſi ab Apoſtolis ipſis præſcriptos tradit. Qualia ſunt Clementina ferè omnia, quæ tanquam ab Apoſtolorum comite profecta exoſculatur. Talia ſub Dionyſii Areopagitæ nomine quarto demum Sæculo concepta, & publicata ſunt. Tales Epiſtolæ ſub nominibus primorum Romæ Pontificum poſt ſeptem Sæcula conſcripta. Tales Epiſtolæ aliquot S. Ignatio falsò attributæ, & interpolationes verarum Epiſtolarum quinto vel ſexto Sæculo conſcriptæ. Ex his & ſimilibus ſcriptis tanquam veris & indubitatis, omnium temporum ritus, & dogmata proponit tanquam verè Apoſtolica. Secundò, cum quædam ſint adeo ſeris temporibus in Eccleſiam introducta, ut ne quidem impoſtoribus illis ſuâ ætate cognita fuerint; ex ipſa Scripturâ eruere conatur. Qualis inprimis eſt doctrina illa de pio imaginum cultu, de quo in fictitiis etiam illis libris quos nominavimus, altum ſilentium. Hunc igitur cultum ex Actis Apoſtolorum deducit, & quidem ab umbra Petri.

XV. Ita ſumma in totam Eccleſiam Catholicam Romani Pontificis Poteſtas tam acriter à Græcis ſemper negata, ab eâdem umbrâ Petri deducitur, & quidem diù antequam Petrus Romæ fuit; cujus juriſdictionis dum Romæ eſſet, nullum monumentum relictum eſt; imò antequam Romæ Chriſti nomen auditum eſt. Hæc igitur aliaque hujuſmodi

in

in Annalibus Eccleſiaſticis ſparſa facile deteguntur; & fraudes eorum qui ementitâ vetuſtate ſuperbiunt, nullo negotio propalantur. Et hæc quidem maxima hiſtoriæ Eccleſiaſticæ utilitas, ut vera origo cujuſque opinionis notetur: ut non tantùm hæreſeon & ſchiſmatum, ſed etiam Dogmatum & rituum in Eccleſia ipſa ortus obſervetur. Aliquot anni erant ſub quibus Apoſtoli ipſi putabant, ſolos Judæos in Eccleſiam recipiendos eſſe; notum eſt tempus quo primùm gentes admittebant: Quærebatur primo etiam inter ipſos, an Gentiles converſi circumcidi deberent: Scimus & tempus quo Circumciſio rejecta eſt. Omnes primò Chriſtiani à ſolis Apoſtolis gubernabantur, illi poſtea præfectos unicuique Eccleſiæ præſtituerunt, quales duraturi erant ad conſummationem Sæculi. Primò, fideles à Judæis non diſtinguebantur, poſtea Antiochiæ primùm Chriſtiani appellati. Quibus igitur gradibus aucta & perfecta eſt Eccleſia Dei, quando ſana primùm verba introducta, quo tempore & modo regimen Eccleſiaſticum conſtitutum eſt, quæ primò dogmata fidelibus inculcabantur, quomodo Catholici pullulantibus hæreſibus ſe oppoſuerunt; hæc, inquam, hiſtorici Eccleſiaſtici eſt ſine partium ſtudio palam facere, & ex indubitatis Eccleſiæ monumentis ordine depromere: quo nihil ad ſedandas in Theologia Controverſias poteſt eſſe efficacius.

LECT.

LECT. III.

I. *Fueritne Gamaliel Chriſtianus?* II. *De Theodâ S. Lucæ cum Joſepho conciliandi variæ Eruditorum ſententiæ.* III. *Hinc geſta Anni Ær. vulg.* 34. IV. *De Actis Pilati.* V. *Helleniſtæ quinam.* VI. *Diaconatûs Officium ſacrum.* VII. *Hoc tempore ab Apoſtolis inſtitutum.* VIII. *Nulla tamen erant illis temporibus, quod vult Baronius, Diaconis inferiora Miniſteria.*

An. Period. Julianæ 4746
Chriſti 34
Tiberii 20 — 21

I. CUM fama multorum hominum ab Apoſtolis Sanctorum Hieroſolymis ad finitimas regiones perveniſſet, concurrebat etiam multitudo vicinarum Civitatum Jeruſalem, adferentes ægros & vexatos à Spiritibus immundis, qui curabantur omnes. Princeps autem Sacerdotum, & cum eo Sadducæi poſuerunt Apoſtolos in cuſtodia publica. Noctu Angelus carcere eos liberavit, qui ejus juſſu diluculò in Templo prædicavit. Facto Synedrio, Apoſtolos in carcere fruſtra quærunt; in Templo perorantes apprehendunt, & ſtatuunt in Concilio. Mandata ſua repetunt: Sanctus Petrus & Apoſtoli mandatum Dei præferunt. Denique Gamaliel ſalubre conſilium dat, ut dimittantur Apoſtoli, & expectetur exitus. Docent hîc veterum aliqui Gamalielem fuiſſe animo Chriſtianum, qualis Nicodemus fuit. Et quidem Autor Recognitionum ſub Clementis Romani nomine, lib. 1. cap. 65. ita Petrum loquentem introducit: *Quod cum vidiſſet Gamaliel princeps Populi, qui latenter frater noſter erat in fide, ſed conſilio noſtro inter eos erat.* Ac ſi tam vafri tunc eſſent Apoſtoli, ut

ut diſcipulum in Synedrio alerent. Et tamen hoc tam certum eſſe credit Baronius, ut à Chriſtianis apud Stephanum Martyrem ſepultus ſit Gamaliel. Scilicet, quod quatuor penè poſt Sæcula corpus Gamalielis cum corpore Stephani ſimul inventum eſt. Mihi quidem videtur Gamalielem pertinaciſſimum Phariſæum, ideo conſilium dediſſe ut dimitterentur Apoſtoli, quod Sadducæi eos accuſarent, quodque ipſi tam ſtrenuè reſurrectionem tuerentur.

II. In Oratione Gamalielis maxima occurrit, quod hiſtoriam & Chronologiam ſpectat, controverſia. *Ante hos*, inquit, *dies extitit Theodas*, *& poſt hunc extitit Judas Galilæus in diebus deſcriptionis.* Et Theodam quidem quendam exortum eſſe teſtatur Joſephus; ſed ſub Fado Procuratore Judææ, & duodecim annis poſt hanc Gamalielis Orationem in Synedrio habitam. Reſpondent Viri docti, ut autoritatem S. Lucæ tueantur, Joſephum aut mentitum aut hallucinatum eſſe, & Theodam illum diu ante Fadum turbas concitâſſe. Alii verò putant duos fuiſſe Theodas, unum à Gamaliele, alium ei ſimilem à Joſepho nominatum: alii denique putant, unum tantum Theodam, & eum quidem qui à Joſepho deſcribitur, extitiſſe: S. autem Lucam hîc κατ' οἰκονομίαν locutum eſſe narrationem illam quaſi ex ſua perſona interſerentem; eo quòd præſenti argumento aptiſſime congruebat. Quod quidem difficultatem facile ſolvit, ſi admittatur; ſed ægrè, opinor, admittitur.

III. Atque hæc geſta videntur poſteriore parte triceſimi tertii anni Æræ vulgaris Chriſti, priore vigeſimi Tiberii, ſequitur annus trigeſimus quartus incipiens à Calendis Januarii, quo Coſſ. creati ſunt Paulus Fabius Perſicus vel Priſcus, Lucius Vitellius Nepos, teſte Tacito. [am. & Dion.]

IV. Hujus anni initio referenda maximè videntur quæ de Pontio Pilato, non ex Scriptura, ſed ex Eccleſiæ veteſtis ſcriptoribus perhibentur. Ut enim actus Senatûs, & acta diurna populi Romani conficiebantur; ſic & in Provinciis Romanis idem à Præſidibus & Cæſarum procuratoribus factum eſt: Qui ad Imperatores ſæpiſſimè de rebus alicujus momenti Epiſtolas ſcripſerunt, ut paſſim obſervare eſt in hiſtoriis Romanis. Unde Euſeb. hiſt. l. 2. c. 2. Παλαιῶ κεκρατηκότος ἤδη τοῖς τῆς ἰθνάδι ἄρχουσι τὰ περὶ σφισι κρατυνόμενα, τῷ τῆ βασιλέως ἀρχῆ ἐπικρατῆσαι σπουδής. Pontius igitur Pilatus, & acta conficienda curâſſe, & Epiſtolam de Chriſto ad Tiberium miſiſſe fertur. De Actis clarè loquitur Juſtinus Martyr in Apologia quam ad Imperatorem Romanum ſcripſit: ad illa enim appellat; Καὶ ταῦτα ὅτι γέγονε μαθεῖν ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων ἄκρων. De Actis aut Epiſtola Tertullianus, Apologet. cap. 21. *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus Cæſari tunc Tiberio nunciavit.* Et rurſus Juſtinus eâdem Apologiâ: Ὅτι δὲ ταῦτα ἐποίησεν, ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων αὐτῷ μαθεῖν δύνασθε. Ubi pro αὐτῷ legendum eſſe ἄκρων rectè monuit Iſaacus Caſaubonus. Et Euſebius: Τὰ περὶ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀναστάσιν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς πᾶσαν ἤδη καθ' ὅλης Παλαιστίνης βεβοημένα Πιλάτου βασιλεῦ Τιβερίου κοινῆσαι. Epiſtolam ipſam Pilati Hegeſippus (ſcriptor, ut videtur, quarti aut quinti Sæculi) in Anacephalæoſi ſua repræſentat. Sed ſine dubio commentitia eſt. Acta etiam falſa, & fictitia à male feriatis Chriſtianis aut potius hæreticis conficta ſunt; qualia oſtentabant Quartadecimani. De quibus Epiphan. hæreſi 50. Ἀπὸ τῶν ἄκρων ἀπῆγεν Πιλάτου αὐχοῦσι τινὲς ἀκρίβειαν αὐτοὺς ἔχειν· οἷς οἷς ἐμφέρεται τῇ τοῦ ὁσίου Καλανδίου Ἀπριλλίου

λίου

λίαν τὸν σωτῆρα πεποιῆσαι. Et in homilia octava in Paſcha, Sancto Chryſoſtomo adſcriptâ: Τὰ γὰρ ὑπομνήματα τὰ ὄντα Πιλάτου γραχθέντα, ἃ τοῖς ἔθνεσι πρόκειται τῷ Πάσχα. Ἱστοροῦσι γὰρ ὅτι τῇ ὀγδόῃ καλανδῶν Ἀπριλλίων ἔπαθε ὁ σωτήρ. Codices autem Actorum ſua ætate variâſſe obſervat Epiphanius: Ἔτι δὲ εὑρομεν ἀντίγραφα ἐκ τῶν (pro ἐκ τῶν ſcribendum videtur ἄκρον) Πιλάτου, ὃν ὅτε σημαίνει τῇ δεκατρίτῃ καλανδῶν Ἀπριλλίων τὸ πάθος γεγενῆσθαι. Sed & præter hæc fuerunt etiam alii Pilati acta à Romanis ipſis Chriſtianæ religionis inimicis conficta, plena impietatis adversùs Chriſtum, quæ ex mandato Maximini Tyranni publicè tum in agris tum in Civitatibus proponebantur, & à Ludi-magiſtris pueris diſcenda tradebantur, ut tradit Euſeb. lib. 9. cap. 5. Quorum falſitatem ex Conſulatu Tiberii detexit Euſebius, l. 1. c. 9. Sed non vi argumenti quod ipſe protulit. His tamen Romani utebantur ſub Diocletiano & Maximino, ad Chriſtianos à Martyrio revocandos, ut teſtantur verba Maximini in paſſione SS. Tarachi, Probi, & Andronici: *Iniquiſſime, non ſcis quem invocas, Chriſtum hominem quendam factum, ſub cuſtodia Pontii Pilati poſitum, cujus acta repoſita ſunt.* Omnino igitur credendum eſt aliqua fuiſſe Pilati acta, ipſius autoritate confecta, & ad Tiberium tranſmiſſa; quæ pro libitu tum Hæretici tum Gentiles interpolabant, cum vera non apparerent. Quis autem exitus hujus relationis ad Tiberium fuerit, poſtea ſuo loco dicendum eſt.

V. Interim creſcente Hieroſolymis fidelium numero, & creſcentibus etiam opibus, quæ curâ Apoſtolorum cuique diſtribuebantur, *factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in quotidiano miniſterio viduæ eorum.* Græci hi qui opponuntur Hebræis, non Ἕλληνες, ſed ἑλληνισταὶ, vocantur à Luca: Ἐγένετο γογγυσμὸς

τοῦ, ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους. Et quidem ἕλληνας eos non fuiſſe, h. e. Gentiles certum eſt. Nondum enim tales adhuc in Eccleſiam admiſſi ſunt. Cum autem ſoli Judæi, Gentiles autem nulli, adhuc admitterentur, maxima hujus diſtinctionis difficultas oritur, quomodo ex Judæis aliqui dicerentur Ἑβραῖοι, alii autem Ἑλληνισταί. & quænam hæc inter eos differentia eſſet ex qua ortum eſt murmur. Præſertim cum multa extet hujus diſtinctionis apud veteres memoria. Sunt qui putant omnes Judæos, extra Judæam habitantes, vulgo vocatos olim Helleniſtas, eos autem qui Hieroſolyma & Palæſtinam incolerent, Hebræos & Hebraiſtas; acſi hæc diſtinctio differentiam generis indicaret. Sed hæc ferri non poſſunt. Eſt enim ἑλληΐζειν, *Græcè loqui*, unde ἑλληνιστὴς, *qui Græcâ linguâ utitur*, & ἑλληνιστὶ, *Græcé*. Ita Judæi omnes extra Palæſtinam orti non utebantur Græca lingua, ſed ejus gentis Sermone, in qua nati ſunt; ut apparet ex miraculo die Pentecoſtes facto. Et Judæi Hieroſolymis aut in Palæſtinâ nati non multi Græcam linguam uſurpabant. Sanctus Paulus, Tarſo oriundus, & in Græcis peritus, vocat ſe tamen Ἑβραῖον, & quidem ἐξ Ἑβραίων *. Sic & Hebræi Alexandriæ vel Antiochiæ nati appellabantur Ἰουδαῖοι Ἀλεξανδρεῖς, vel Ἀντιοχεῖς. Hic autem Ἑλληνισταὶ opponuntur Ἑβραίοις, & alibi apud S. Lucam opponuntur Ἰουδαίοις. Neque igitur Hebræi, neque Judæi erant, h. e. genere †; non Hebræi ex Hebræis, non Judæi ex Judæis: ſed Judæi tantùm Religione, i. e. Proſelyti. Cùm autem duplex eſſet Proſelytorum genus, hi quidem, quorum hîc mentio facta eſt, non erant ſimpliciter οἱ σεβόμενοι ſive Proſelyti portæ, ſed potiùs circumciſi ſive Proſelyti Juſtitiæ. Illi enim προσήλυτοι portæ nondum in Eccleſiam recepti ſunt, ut patet ex Cornelii exemplo. Hi igitur Proſelyti, cum antequam circumciderentur, Ἕλληνες, ſive Gentiles fuerint,

* Vide Joſeph. l. 624. c. 1.

† Joſeph. γένει Ἑβραῖος, 657. c. 12.

rint, etſi jam Religione facti Judæi, & totius Legis impletionem in ſe ſuſcipientes, tamen à Judæis ſeu Hebræis, ſtirpe & genere ab Abrahamo deducto ſuperbientibus inferiori loco habebantur. Unde neglectus viduarum, & ex eo neglectu murmur, ſeu γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν.

VI. Cum autem hoc murmur jam ortum eſſe perciperent Apoſtoli, *convocantes multitudinem Diſcipulorum*, quæ jam ad non pauca millia excreverat, *dixerunt*, *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei*, & *miniſtrare menſis. Conſiderate ergo*, *Fratres*, *viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem*, *plenos Sp. Sancto*, *quos conſtituamus ſuper hoc opere.* Et elegerunt Stephanum virum plenum fide & Sp. Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenan, & Nicolaum Proſelytum Antiochenum. Ex quorum Græcis nominibus apparet Helleniſtarum in hâc electione rationem præcipuam habitam fuiſſe, inter quos & Nicolaus diſertè appellatur προσήλυτος Ἀντιοχεύς. Non quod omnes Helleniſtæ eſſent, ſed quòd Judæi qui cum Græcis verſabantur, nomina ſibi Græca adſciſcere ſolerent, ut ex Joſepho paſſim conſtat. Hos autem conſtituerunt ante conſpectum Apoſtolorum; & (Apoſtoli ſcilicet) impoſuerunt eis manus. Ita ordo quidam in Eccleſiâ ſingularis jam tum impoſitione manuum inſtitutus eſt. Actus quidem, ad quem inſtituti ſunt, nihil aliud eſt quàm ἀρχαὶ παραθέσεως, & conſtituti ſunt ἐπὶ ταύτης τῆς χρείας, quæ conſiſtebat ἐν τῇ ἀρχαίᾳ τῇ καθημερινῇ. Officium tamen non fuit merè civile aut œconomicum, ſed ſacrum etiam, ſive Eccleſiaſticum. Menſæ enim Diſcipulorum tunc temporis communes & ſacræ etiam fuere: hoc eſt, in communi convictu Sacramentum Euchariſtiæ celebrabant. Clarum autem eſt hos viros ſeptem ad ſacrum officium fuiſſe electos atque ordinatos. Eligebantur enim non alii viri quàm qui erant pleni Spiritu Sancto & ſapientiâ; ordinabantur autem per manum

manuum Apostolicarum impositionem non aliter quàm Presbyteri, aut etiam Episcopi, & ii qui præter duodecim Apostoli dicebantur. Quin & Stephanus paulò post prædicavit Evangelium, & Philippus catechizavit, & baptizavit Eunuchum. Qui quidem ἀπὸ τῶ ἁγιασμῶ dicti sunt ab omnibus postea διάκονοι, de quibus sæpe in Epistolis Apostolicis legimus, quorum officium nullibi quam in hoc loco legitur institutum. Ut autem hi septem viri Apostolis adjuncti sunt in procurando ministerio quotidiano, ita in Primitivâ Ecclesiâ Diaconi semper Episcopis Apostolorum Successoribus adjuncti sunt. Clemens Romanus in Epistolâ ad Corinthos, de Apostolis loquens, Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίζανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. Hermæ Pastor Visione secundâ, Lapides quadrati & albi sunt Apostoli, & Episcopi, & Doctores, & Ministri, hoc est, διάκονοι. S. Ignatius Epistolâ salutat τοὺς συνδούλους μου διακόνους. Eorum officium describit in Epist. ad Trallianos, Δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ πάντα τρόπον πᾶσι ἀρέσκειν· οὐ γὰρ βρωμάτων καὶ ποτῶν εἰσὶ διάκονοι ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται. S. Polycarpus Ep. ad Philippenses, Ὁμοίως διάκονοι ἄμεμπτοι κατενώπιον αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης, ὡς Θεοῦ καὶ Χριστοῦ διάκονοι, καὶ οὐκ ἀνθρώπων. . . . . πορευόμενοι κατὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ Κυρίου ὃς ἐγένετο διάκονος πάντων.

VII. Dubitare igitur non oportet quin hoc ipso tempore ab Apostolis institutus sit Ordo sacer Diaconatûs, & hæc munera Officii sui in initio nascentis Ecclesiæ præstiterint Diaconi.

VIII. Sed

VIII. Sed quod addit Baronius, "Diaconos non omnia "Miniſteria Eccleſiaſtica per ſe obiiſſe, ſed alios complures "habuiſſe ordine ſub ſe poſitos Miniſtros, ex his quæ idem "S. Ignatius ſcribit ad Antiochenos, ſatis exploratum ha-"betur, dum ait, *Saluto ſacros Diaconos*; Et paulo poſt, "*Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores,* "*Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores. Saluto cuſtodes* "*ſacrorum veſtibulorum Diaconiſtas*; Antiquitatem plane larvatam redolet. De horum enim plurimis altum in primævis temporibus ſilentium. Et Epiſtola illa ſub Ignatii nomine ad Antiochenos ſcripta, 400 poſt S. Martyris obitum annis conficta eſt. Et quæ Baronius ad explicandum hunc Impoſtorem commentatur alieno plane loco inſulta ſunt.

LECT.

LECT. IV.

I. *Verbum Domini creſcebat.* II. *S. Jacobus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfectus.* III. *Is frater Domini, & Juſtus cognominatus eſt.* IV. *Non alius ab Apoſtolo filio Alphæi.* V. *Singulari quâdam inter Apoſtolos Autoritate præditus.* VI. *Adhuc Synagogis interſunt Apoſtoli.* VII. *Libertini Judæi quinam.* VIII. *Martyrium S. Stephani, quæque de eo obſervat Baronius.* IX. *Refutantur.* X. *Sauli Perſecutio.* XI. *Cur, reliquis fugatis, ſoli Hieroſolymis remanſerint Apoſtoli, Veterum Traditio.* XII. *Fabuloſa multa de hac Perſecutione prætermittuntur.* XIII. *Quos in locos conceſſerint Diſcipuli hac occaſione diſperſi.* XIV. *De relatione Pilati ad Tiberium refutatur Tanaquillus Faber.* XV. *Cur Deus decretum Senatûs de Chriſti Divinitate impedierit.*

I. CUM ſeptem Diaconi à Diſcipulis electi, & ab Apoſtolis ordinati eſſent, Apoſtoli autem Orationi & Miniſterio verbi inſtarent; Verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus Diſcipulorum in Ieruſalem valde: multa enim turba Sacerdotum obediebat fidei.

II. Hoc autem anno, i. e. Paſſioni Domini proximo, in Chronico Euſebii leginus, *Eccleſiæ Hieroſolymitanæ primus Epiſcopus ab Apoſtolis Ordinatur Jacobus frater Domini.* Hæc Euſebius ex conjecturâ, ut opinor, aut ex traditione non

non admodum certâ, quod ad tempus attinet. Cum autem nullus temporis certus character exiſtat, huic anno non incommodè aſſignari poteſt.

III. Multa de hoc Jacobo variè diſputantur. Nos ea quæ certiora videntur ex vetuſtiſſimis monumentis eruemus. Primò appellatur hoc loco ab Euſebio frater Domini, ab aliis poſtea ἀδελφόθεος, atque eo charactere ab initio deſcriptum eum fuiſſe conſtat ex Joſepho, qui ipſi Synchronus fuit. Antiq. lib.20. cap.18. de Anano Pontifice ita loquitur, Καθίζει συνέδριον κριτῶν· καὶ προσαγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβον ὄνομα αὐτῷ. Hegeſippus lib. 5. Commentariorum, Διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν Ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου, Ἰάκωβος, ὁ ὀνομαζόμενος ὑπὸ πάντων δίκαιος, ἀπὸ τῶν τοῦ Κυρίου χρόνων μέχρι καὶ ἡμῶν. Tradit Hegeſippus, & quidem primus, eundem Jacobum qui frater Domini fuit, appellatum etiam conſtanter fuiſſe Jacobum Juſtum. Nam quòd Origenes aſſerat, Joſephum teſtari Hieroſolyma everſa eſſe κατ' ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ἐπειδήπερ δικαιόβατον αὐτὸν ὄντα ἀπέκτειναν, non ita intelligendum eſt, quaſi Joſephus eum appellâſſet Jacobum Juſtum, aut juſtitiam ejus prædicâſſet. Hoc enim in libris Joſephi non extat. Poſt Hegeſippum Clemens Alexandrinus, Hypotyp. l. 6. tres Apoſtolos Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων ἐλέσθαι. Euſebius, Τοῦτον δὴ φησὶν αὐτὸν Ἰάκωβον, ὃν καὶ δίκαιον ἐπίκλην οἱ πάλαι διὰ ἀρετῆς ἐκάλουν τετιμήκασι, πρῶτον ἱερῶσθαι τῆς τῶν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας τὸν τοῦ ἐπισκοπῆς ἐγχειρισθῆναι θρόνον. *Hunc Jacobum, qui ob eximiam virtutem Juſtus ab antiquis cognominatus eſt, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum primum accepiſſe perhibent.* Idem igitur Jacobus fuit, qui nunc frater Domini, nunc Jacobus Juſtus cognominatus eſt.

IV. Quis autem hic Jacobus Juſtus frater Domini fuerit, utrum unus ex Apoſtolis, an à duodecim diſtinctus, poſtea in Eccleſiâ quæſitum eſt. Quantum ego quidem obſervare poſſum, ſententia illa quæ ſtatuit Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopum non fuiſſe unum ex Apoſtolis è fictitiis ſcriptis Clementi attributis profecta eſt. Nam apud conſarcinatorem Conſtitutionum Apoſtolicarum de induſtriâ ab Apoſtolis ſæpe diſtinguitur: neque aliter in Libris Recognitionum eidem Clementi aſcriptis repræſentatur. At Euſebius l. 2. Hiſt. c. 1. poſtquam quid veteres de illo dixerant recitâſſet, ſtatim addit, Δύο δὲ γεγόασιν Ἰάκωβοι, εἷς ὁ δίκαιος, ὁ κατὰ τῆς πτερυγίου βληθείς, καὶ ξύλῳ πλησὶον ἐπὶ τοῦτον κατὰ τῆς κεφαλῆς ξύλῳ πληγεὶς εἰς θάνατον· ἕτερος δὲ ὁ κρεμασθείς. Cum duos tantùm memorat, quorum unus capite truncatus ſit, qui fuit ſine controverſiâ Apoſtolus filius Zebedæi, videtur innuere alterum etiam fuiſſe Apoſtolum, cum omnes ſciant Jacobum Alphæi Apoſtolum fuiſſe. Tum verò locum S. Pauli adjungit, qui huic ſententiæ maximè favere videtur: Αὐτῷ δὲ δικαίῳ, καὶ ὁ Παῦλος μεμαρτύρηκε γεγράφων· ἕτερον δὲ τῶν Ἀποστόλων οὐκ εἶδον, εἰ μὴ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ Κυρίου.

V. Utcunque ſit, ſive Jacobus ille Juſtus frater Domini fuerit unus ex Apoſtolis, ſcilicet Jacobus Alphæi, (quod maximè probabile eſt) ſive Chriſto affinis, ſed à duodecim diverſus; pleno omnium conſenſu traditum eſt, eum ab Apoſtolis vel ab ipſo Domino conſtitutum fuiſſe Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopum: & quæ in Actis de eo commemorantur clarè oſtendunt ſingularem quandam in rebus ad eam Eccleſiam pertinentibus Autoritatem inter Apoſtolos exercuiſſe, ut ſuo loco videbimus.

VI. Interea Hieroſolymis Stephanus, *plenus gratiâ & fortitudine*, faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Et jam videntur diſcipuli non tantùm ad Templum horis

horis Sacrificiorum & Precum acceſſiſſe, & κατ' οἶκον congregati, ſed etiam Synagogis interfuiſſe.

VII. Surrexerunt enim quidam de Synagogâ, quæ dicitur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Ciliciâ & Aſiâ, diſputantes cum Stephano. Synagoga autem hæc erat Judæorum exterorum, id eſt, in aliis regionibus natorum, ſed Hieroſolymis tunc habitantium qui omnes hîc patriâ denominantur. Inter autem variarum gentium nomina primò recenſentur *Libertini*, quod gentis nomen non eſt. Cum tamen Libertini ne Græca quidem vox ſit, ſed Latina, ſatis indicat gentem ex quâ illi Hieroſolyma confluxerant, ſcilicet Romanam; ſed & ſimul exprimit eorum Judæorum conditionem Chryſoſtomus: Λιβερτῖνοι δέ, οἱ Ῥωμαίων ἀπελεύθεροι ὄντω καλοῦνται. Imò ἀπελεύθεροι liberti ſunt libertini à libertis orti. In alias regiones Philo Judæos narrat colonias ſuas deduxiſſe, non item in Italiam. Qui illic patriam Religionem colebant erant ex Judæis orti, qui captivi ducti ſunt, & primò ſervi facti, mox liberti. Ita de Imperio Auguſti loquitur Philo, in Legatione ad Caium, Πῶς δ' ἂν ἀπελίχθη τὸν πέραν τοῦ Τιβέριος ποταμοῦ μεγάλην τῆς Ῥώμης ἀποτομὴν, ἣν οὐκ ἠγνόει κατοικοῦσαν καὶ οἰκοῦσαν πρὸς Ἰουδαίων. Ῥωμαῖοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους ἀπελευθερωθέντες· αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν ὑπὸ τῶν κρατησάντων ἐλευθερώθησαν, ὑπὸ τοῦ παρ' αὐτοῖς ἐθους χαριζόμενοι βιασθέντες. Horum progenies erant Judæi Libertini. Quamvis etiam ante ea tempora erant tales Libertini Judæi in Imperio Romano, qualis erat Q. Cæcilius Niger, Verris Quæſtor in Siciliâ, ut refert Plutarchus in vitâ Ciceronis. Cyrenenſes (ut Jaſon ille Cyrenæus è cujus Scriptis ſecundus Liber Maccabæorum excerptus eſt, 2 Macc. 2. 24. & Simon Cyrenæus qui Chriſti crucem tulit, Matt. 27. 32. & Lucius Act. 13. 1.) Judæi erant ex illis

nati quos Ptolemæus Lagi in Cyrenen tranſtulit, & Alexandrini ex iis quos idem in Alexandriâ collocavit. Joſ. l. 2. contra Appionem p. 1063.

VIII. Cum igitur Romani & Cyrenenſes, & Alexandrini, & Cilices, & Aſiani Judæi cum Diſcipulis, & præſertim Stephano Diacono diſputarent, non potuerunt reſiſtere, Sapientiæ & Spiritui quo loquabatur. Quare eum fiſtunt coram Synedrio, &, ſubornatis teſtibus, de blaſphemiâ & ſolutione Legis accuſant. Stephanus autem concione perquam egregiâ habitâ eos magis irritavit. Exclamantes autem magnâ voce continuerunt aures ſuas, tanquam blaſphemiæ plena verba protuliſſet, & impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra civitatem lapidabant. Teſtes autem juxta legem Deuteronomii primos in eum lapides jacturi pallia ſua ad pedes juvenis cujuſdam Sauli depoſuerunt, qui cum cædi Martyris conſentiret, ea cuſtodiebat. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. Ante hæc quidem verba refert Lucas Perſecutionem ortam eſſe, & omnes fuiſſe diſperſos per regiones Judææ & Samariæ præter Apoſtolos. Id ex eâ causâ factum fuiſſe obſervat Baronius, quòd non eâ die quâ necatus eſt ſepulturæ traditus ſit, id prohibentibus Judæis, ſed poſtea cum ea quam refert facta eſt perſecutio in Eccleſiâ. Quorſum, quæſo, hæc obſervatio?

Primò, ut Traditionem quandam miram ſane introducat quâ die ac nocte Stephani corpus jacuit projectum, & inſepultum, ac poſtea vehiculo Gamalielis portatum eſt in Caphargamalam, 20 milliaribus ab Hieroſolymis diſtantem, ubi planctus fiebat diebus 70. Neſcivit hæc S. Lucas quæ de cœlo revelata ſunt poſt plures quàm 300 annos. Scilicet,

Secundò, ut hinc traheret exemplum omnis funebris pompæ quæ poſtea in Eccleſiâ uſurpata eſt.

Tertiò,

Tertiò, ut notet hanc fuiſſe Apoſtolicam Traditionem, ut cadavera mortuorum remanerent dierum duorum vel trium ſpatio inſepulta, ut ſacræ hymnodiæ cantarentur, & preces fierent pro defunctis, & crederetur Ignis Purgatorius.

Qui ſic ſacram paginam interpretantur, qui ſic Annales Eccleſiaſticos ſcribunt, qui ſic Traditiones à primævâ Antiquitate deducunt; neſcio quid ſit quod Apoſtolicum efficere non poſſint. Hoc autem in Baronio magis mirandum qui ſui inſtituti profitetur eſſe Doctrinam ex Traditione, non Traditionem ex Doctrinâ deducere.

IX. Simpliciter dicit S. Lucas, Συνεκόμισαν τὸν Στέφανον, ἄνδρες εὐλαβεῖς, *Religioſi quidam viri Stephani corpus* jam exanimatum *ſimul portabant*, ſcilicet ad ſepulchrum. Et multò cordatior eſt Cardinalis Cajetani obſervatio. " Et hinc " apparet non incœpiſſe ſolennitates Martyrum in illâ pri- " mitivâ Eccleſiâ: Non enim dedicaverunt Martyrium " Stephani, ſed fecerunt planctum magnum, curantes " corpus illius Hebræo more. Sed nec illa cura corporis Hebræo more ullum fundamentum hîc habet, ad quam omnes ſepeliendi ritus à Judæis in funerum pompâ uſurpatos reducere conantur nonnulli; ſed tantummodo veteris Latini Interpretis verſioni innititur, qui Συνεκόμισαν tranſtulit, curaverunt, quod nihil aliud ſonat quàm comportârunt.

X. Gravis autem eâ die Perſecutio orta eſt. Erat enim quidam nomine Saulus ex Synagogâ Cilicum, qui cum Stephano diſputabant, eumque ad Synedrium traxerunt, ex Tarſo in Ciliciâ oriundus, Sectâ Phariſæus, Gamalielis diſcipulus, juvenis, ad cujus pedes teſtes, Stephanum lapidibus perituri, poſuerunt veſtimenta ſua, quique cædi Martyris conſentiens fuit. Hic autem ultra modum ſæviens, exiſtimans adversùs nomen Jeſu Nazareni debere ſe multa contraria agere, extra modum perſequebatur & vaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros

ac

ac mulieres in cuſtodiam, & ut ipſe coram Feſto & Agrippâ profeſſus, *multos ſanctorum in carceribus incluſit, à principibus Sacerdotum poteſtate acceptâ, & cum occiderentur, detulit ſententiam.* Adeo autem gravis erat Perſecutio in Eccleſiâ quæ erat Hieroſolymis, ut omnes diſperſi ſint per regiones Judææ & Samariæ præter Apoſtolos.

XI. Mirum cuipiam fortaſſe videatur omnes Diſcipulos, ſæviente Perſecutione, diſperſos eſſe; Apoſtolos autem omnes & ſolos Hieroſolymis manſiſſe. Ratio ex contextu nulla aſſignatur, ex Hiſtoriâ hæc una huc applicari poſſe videtur. Apollonius, Autor ſecundi Sæculi, qui contra Montani hæreſin ſcripſit, in illo Opere mandatum Apoſtolis datum tradidit, Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 18. Ἐπὶ δὲ ὡς ἐκ θεσπίσεως τὸν Σωτῆρά φησι παραγγέλλειν τοῖς αὐτοῦ Ἀποστόλοις καὶ δώδεκα ἔτεσι μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ. Eadem traditio continebatur in Petri Prædicatione, libro quidem Apocrypho, ſed valdè antiquo. Ex eo enim Clemens Alexandrinus, Strom. l. 6. refert Dominum dixiſſe Apoſtolis, Ἐὰν μέν τις φιλήσῃ τὸν Ἰσραὴλ μετανοήσας ἀφ' ἑαυτοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν ἐπὶ τὸν Θεὸν ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι. Μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν. *Si quis igitur ex Iſraele pœnitentiâ ductus per nomen meum in Deum velit credere, remittentur ei peccata. Poſt duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Hæc pravâ interpunctione in editis laborant, quæ ſenſum hactenus obſcuravit. Jam autem, ſi hæc vera ſint, ſi Chriſtus mandatum dederit Apoſtolis ut per duodecim annos Hieroſolymis remanerent; mirum non erit, cum omnes Diſcipuli metu graviſſimæ Perſecutionis ſe ſubduxiſſent, Apoſtolos omnes Hieroſolymis manſiſſe, mandati memores, & protectione Divinâ fretos.

XII. Multa

XII. Multa posterioribus Sæculis excogitata sunt, & huic dispersioni ascripta, dum quælibet fere Ecclesia pro antiquitate certaret; quæ omnia aut apertè falsa, aut adeo incerta sunt, ut locum in Historiâ Ecclesiasticâ nullum omnino mereantur. Quæ certa sunt, trademus.

XIII. Jam verò qui dispersi erant, pertransibant Evangelizantes verbum Dei, non tantùm per regiones Judææ & Samariæ Hierosolymis finitimas, sed etiam usque ad Damascum Syriæ Metropolim. Inter quos erat Ananias, Discipulus, Act. 9. 10. vir secundùm Legem religiosus, & testimonium habens ab omnibus ibi habitantibus Judæis, Act. 22. 12. Alii usque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam perambularunt, cum dispersi essent à tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, Act. 11. 19. Credibile est etiam Discipulorum aliquos Romam tunc pervenisse, atque inter eos Andronicum & Juniam, Saulî cognatos, nobiles in Apostolis, quos ante se fuisse in Christo testatur S. Paulus, Rom. 16. 7. Atque hæc fere sunt quæ de istâ dispersione nobis cognita sunt.

XIV. Hic jam considerandæ veniunt quæ de exitu relationis Pilati ad Tiberium tradita sunt. Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum ut inter Cætera Sacra reciperetur, inquit Eusebius in Chronico. S. Chrysostom. Hom. 27. in 2 Cor. Σύγκλητος Ῥωμαίων ταύτην οὐχ ἧττον τῶν ἀξίων χειροτονῆσαι, καὶ ἐγκρίναι θεόν. Ὅτι γὰρ τὰ περὶ Χριστοῦ ἀπηγγέλη πάλαι, ἔπεμψαν ὁ τῶν ἐθνῶν ἄρχων πυνθανόμενον αὐτὰ δηλονότι αὐτῆς, ἢ αὐτὸν χειροτονῆσαι θεόν. Idem postea tradiderunt Orosius, Cedrenus, Gregorius Turonensis, Nicephorus. Illud autem præcipuè quærendum, quis primus hujus Traditionis Autor sit. Quod ab Eusebio diligenter notatum est. Primus scilicet nos hæc docuit Tertullianus, rerum Romanarum peritissimus, cujus hæc verba sunt Apologet. cap. 5. *Tiberius ergò, cujus tempore nomen Christianum in Sæculum intravit, annunciata sibi ex Syriâ Palæstinâ quæ illic*

illic veritatem iſtius Divinitatis revelârant detulit ad Senatum cum prærogativâ ſententiæ ſuæ. Senatus quia non in ſe probaverat, reſpuit. Hæc ab omnibus tanquam vera ex Tertulliani teſtimonio accepta ſunt. Sed Tanaquillus Faber, Ep. 12. lib. 2. non recipit, leviſſimis Objectionibus autoritatem tanti viri elevans. Primò enim quærit unde Tertullianus ipſe id habuit. Et Reſpondet, Ex illis Pilati Actis hauſerat, quorum ſæpenumerò Veteres meminerunt. Prorsùs abſurdè. Acta Pilati tantùm ea continebant quæ in Paleſtinâ geſta ſunt. Tertullianus narrat quid à Tiberio, quid à Senatu, Romæ factum ſit; ex Actis igitur Pilati in Judæa conſcriptis hæc haurire non potuit. Acta autem erant diurna Senatûs, ex quibus Tertullianum hæc hauſiſſe ut probari, ita negari, non poteſt. Secundò, non putat Tiberium, Religioni minimè addictum, de Chriſto tantopere curâſſe, ut de illo retulerit ad Senatum. Sed nimis hoc dilutum eſt, cum referat Suetonius, ſub Tiberio neque tam parvum quidquam neque tam magnum publici privatique negotii fuiſſe, de quo non ad P. C. referetur. Tertiò, *Hem! Reſpuit Senatus quod Tiberio placuit?* Qui ſic rejicit hoc teſtimonium nec Tiberium, nec Senatum, nec Tertullianum, intellexit. Id Tiberii ingenium fuit, ut Senatus ex Relatione ad ipſum factâ, etiam addito ſuffragio ſuo, quid ipſe voluerit, minimè intelligeret. *Quædam*, inquit Suetonius, *adversùs ſententiam ſuam decerni ne queſtus quidem eſt. Senatus*, inquit Tertullianus, *quia in ſe non probaverat, reſpuit.* Ubi optima facti ratio redditur. Senatus antea Tiberio Divinitatem obtulerat, quam ille ſibi oblatam reſpuit. Templa, Flamines, Sacerdotes, decerni ſibi prohibuit, etiam ſtatuas atque imagines, niſi permittente ſe poni; permiſitque eâ ſolâ conditione ne inter ſimulacra Deorum, ſed inter ornamenta ædium ponerentur, ut refert Suetonius. Quia igitur Divinitatem in ſe non probaverat Tiberius, ſed oblatam rejecerat, tutiſſimum putabat Senatus alium neminem in Deos ſuos referre, ne eum Tiberio majorem efficere viderentur.

Quartò,

Quartò, Negat tantum in aulam rumorem de Chriſto deferri potuiſſe, Tiberio vivente, quia nomen Chriſtianum poſtea apud Antiochiam ortum. At hic non agitur de nomine diſcipulorum Chriſti; ſed de Chriſto ipſo, cujus Opera, mors, Reſurrectio & Aſcenſio, & à Pilato cognoſci, & credi potuerunt, & Tiberio illius miniſterio innoteſcere. Imò non potuit Pilatus officii ſui rationem tantopere negligere, ut tantæ rei in ſuâ Provinciâ geſtæ notitiam Imperatori non impertiretur. Denique, cum rem ipſam incredibilem reddere nullo modo poſſit, Tertulliani ipſius autoritatem elevare conatur, atque eum in iis Scriptoribus eligendis quibus uteretur non ſemper diligentem ſpectatorem fuiſſe, dum interim ipſe maximè indiligens Tertulliani ſpectator fuit. Longam enim ῥῆσιν ex tertio adv. Marcion. l. tranſcribit, & Ethnicos quoſdam Scriptores illic reperiſſe ſe putat, ubi nullus Scriptor nominatur, aut innuitur, ſed tantùm recens fama à militibus qui in Orientali expeditione proximè, i. e. nuperrimè fuerunt, in Africam allata.

XV. Nihil igitur eſt quod in hac Hiſtoriâ refelli poſſit. Et cum Tertullianus adeo gravis, adeo antiquus Autor, adeo rerum Romanarum peritus fuerit, tutius multò eſt iſtam Tiberii ad Senatum de Divinitate Chriſti relationem amplecti. Non paſſus autem eſt Deus ut Divinitas filii ſui decreto Senatûs ſanciretur, Ὅτι μηδὲ τῆς ἐξ ἀνθρώπων ψηφίσεως, καὶ συγκλήτου ἡ σωτήριος τοῦ θεοῦ κηρύγματος ἰδεῖτο διδασκαλία, ut Euſebius: Τοῦτο δὲ φιλονεικῶν, ἐξ ἀκόπου αὐτῆς ὅτι μὴ ἐξ ἀνθρώπων ἤρθη τὸ θεῖον ἀναπεμφθείσης τοῦ Χριστοῦ, μηδὲ ἵνα τῆς πολλοῦ, αὐτὸν ἴσως νομοθεσίας τῆς ὑπ' ἐκείνου χειροτονήσεως, ut Chryſoſtomus.

LECT. V.

I. *Convertuntur à S. Philippo Diacono Samaritani.* II. *Simon ab eo victus.* III. *Ad Samariam mittuntur ex Hierosolymis Apostoli.* IV. *Qui Spiritum S. jam baptizatis conferunt.* V. *Ab Apostolis nimirum solis conferendum, & Apostolorum successoribus Episcopis.* VI. *Impositionis manuum & Crismatis usus in Confirmatione.* VII. *Impositio manuum antiquior.* VIII. *Ludi decennales an. Tiberii vicesimo certus Coss. character.* IX. *Hæresis Simonianæ ortus.* X. *Gaza deserta.* XI. *Candace hoc in loco vix eadem esse potuit cujus meminit Strabo.* XII. *De loco ubi baptizatus est Eunuchus.* XIII. *Æthiopas convertit.* XIV. *Raptus Philippi.* XV. Ἡ ὁδὸς, *quid.* XVI. *Sauli conversio.* XVII. *A conversione quid fecerit.* XVIII. *Secessit in Arabiam Desertam.*

An. Period. Julianæ 4746
Christi 34
Tiberii 21

I. INter eos qui Samariam adierunt, erat Philippus, ex septem Diaconis unus, atque etiam Evangelista (Act. 21. 8.) Hic in urbem ipsam Samariæ descendens prædicabat illis Christum. Attendebat autem populus iis quæ prædicavit. Ad confirmationem etiam Doctrinæ multa miracula edidit. *Spiritus enim immundi ex multis qui iis tenebantur clamantes voce magnâ exibant: multi autem Paralytici & claudi sanabantur. Unde factum est gaudium magnum in illâ civitate, & baptizabantur multi, tum viri, tum mulieres.*

II. Vir

II. Vir autem quidam erat inter eos, nomine Simon, maximè obſervandus, quem Juſtinus Martyr, & ipſe genere Samarita, vocat, Apol. ſecundâ, Σίμωνά τινα Σαμαρέα τὸν ἀπὸ κώμης λεγομένης Γιττῶν. Γίτθα autem Stephano Urbs Paleſtinæ. Epiphanius, Ἀπὸ Γιττῶν δὲ ὡρμᾶτο τῆς πόλεως τῆς ἐν τῇ Σαμαρείᾳ, τινὲς δὲ κώμης ὑπαρχούσης, ut & ætate Juſtini. Antequam autem Philippus Samariam adiret, erat in eâ civitate artes Magicas exercens, & gentem Samaritanam obſtupefaciens, dicens ſe eſſe μέγαν τινά. Adeo ut omnes illi auſcultarent, dicerentque, *Hic eſt virtus Dei quæ vocatur magna.* Sed cum videret Samaritanos, & doctrinâ Philippi, & miraculis ad fidem converſos; tum Simon & ipſe credidit, & cum baptizatus eſſet, adhærebat Philippo. Videns etiam ſigna & virtutes maximas fieri, ſtupens admirabatur. Ita qui populo Samaritano antea ſtuporem ſuis nefariis artibus injecerat, victus ſermonibus & miraculis Philippi non minori ſtupore ipſe affectus eſt.

III. Cum hæc in Urbe Samariâ gererentur, quæ unius dici itinere ab Hieroſolymis diſtabat, Apoſtoli qui erant Hieroſolymis ſtatim audierunt, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei. Apoſtoli igitur, quibus cura & poteſtas in Eccleſiâ ſumma à Chriſto concredita eſt, ex ſuo corpore duos elegerunt, Petrum & Joannem, eoſque ad Samaritanos miſerunt.

IV. Qui cum ad Samaritanos veniſſent, percepiſſentque Spiritum Sanctum nondum in illos veniſſe, quippe quòd baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu; oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum Sanctum. Et poſtquam orâſſent, imponebant manus ſuper eos, & eum quem Apoſtoli petiverant acceperunt Spiritum Sanctum. Duo Apoſtoli baptizatis Samaritanis præſtiterunt. Primò orabant, & dein manus ipſis imponebant; illis autem ita

orantibus, & manus imponentibus baptizatis Deus Spiritum Sanctum infudit.

V. Et hîc quidem à Veteribus obſervatum eſt, Philippum Diaconum & Evangeliſtam, licèt multa miracula ediderit, non tamen potuiſſe Spiritum Sanctum conferre, aut manus baptizatis in eum finem imponere: ſolos Apoſtolos id præſtare aut potuiſſe, aut ſane debuiſſe. Ita Chryſoſtomus in locum. Epiphanius, Ὁ Φίλιππος Διάκονος ἦν οὐκ εἶχεν ἐξουσίαν τῆς χειροθεσίας τοῦ δι' αὐτῆς διδόναι πνεῦμα ἅγιον. Hæreſ. 21. Simon. Unde etiam collegerunt hanc officii partem poſtea in Eccleſiâ ad ſolos Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores ſpectâſſe. S. Cyprianus Ep. 73. ad Jubaianum, de his Samaritanis: *Et iccirco quia legitimum, & Eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant, baptizari eos ultrà non oportebat; ſed tantummodò quod deerat id à Petro & Joanne factum eſt, ut, oratione pro eis habitâ, & manu impoſitâ invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſiâ baptizantur Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manûs impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Idem Cyprianus Ep. 74. *Non per manûs impoſitionem quis naſcitur quando accipit Spiritum Sanctum, ſed in Baptiſmo, ut Spiritum natus accipiat.* Urſinus, ſive quis alius Scriptor Africanus, poſt Cypriani tempora, libro de Baptiſmo Hæreticorum: *Nam cum per manûs impoſitionem Epiſcopi datur unicuique credenti Spiritus Sanctus, ſicut Apoſtoli Samaritanis poſt Philippi baptiſma manum eis imponendo fecerunt, & hac ratione Spiritum Sanctum in eos contulerunt: Quod ut fieri poſſet ipſi pro eis oraverunt.* S. Hieronymus: *An neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum.* S. Auguſtinus de Trin. l. 15. c. 26. *Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipſi eum*

eum dabant. Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.

VI. Hinc certè profectus eſt ritus Confirmationis in Eccleſiâ noſtrâ retentus, & invitis Presbyteranis ſoli Epiſcoporum functioni reſervatus, qui ſemper & ubique Epiſcopis tantùm antiquo jure competebat. Idque facilè probari poteſt, ſi hoc tantummodò obſervetur; Chriſma ſtatim poſt Apoſtolorum tempora in Confirmatione, ſeu ſimul cum manuum impoſitione adhibitum eſſe, unde hic ritus Confirmationis aliquando ſub Chriſmatis, aliquando ſub Impoſitionis manuum nomine innoteſceret. Unde Græci Chriſmationi magis addicti, de quâ in Sacris Literis, quod ad hanc rem pertinet, nihil legimus, Impoſitionem manuum paulatim neglexerunt. Sed illius Chriſmatis confectionem Archiepiſcopis aut Patriarchis reſervabant, uſum autem jam confecti, & Epiſcopis & Presbyteris permittebant. Latini verò primò obſignationem, ſive unctionem frontis in Baptiſmo Presbyteris permittebant, ſed Impoſitionem manuum ſoli Epiſcopo reſervabant.

VII. Nimis longum eſſet de hiſce rebus accuratam diſputationem inſtituere: Illud unum obſervatu dignum, originem Confirmationis ab Impoſitione manuum profectam eſſe, ex Chriſmatione ſuperadditâ Eccleſiam in varias partes diſtractam fuiſſe, omnes Epiſcopo in hâc re præcipuas partes tribuiſſe, Eccleſiam Anglicanam ſolis Epiſcopis poteſtatem Confirmandi tribuere, & ſolam manuum Impoſitionem in Confirmatione uſurpare.

VIII. Romæ viceſimo Tiberii anno jam exeunte, L. Vitellius, & Fabius Priſcus, Conſules, ludos decennales celebraverunt, tanquam ei ut Auguſto tunc Imperium prorogarent, Dio l. 58. p. 636. Viceſimus igitur Tiberii annus ſub his Conſulibus deſiit, & viceſimus primus incepit. Nam ut loquitur Dio, l. 54 pag. 526. b. de Auguſto, Πρῶτον μὲ αὐτὸς πάντα τῆς ἀρχῆς ἔτη, ἐπειδὴ ὁ δεκέτης λῆξιν ἔσχον ἦν, ἐποιήσατο. Et l. 55. p. 551. E.

Μετὰ

Μετὰ δὲ ταῦτα, τῶν ὑπατειῶν, καίτοι ἀρτίως, ὡς ἔλεγον, ἐκ τῶν ἀρχῶν τῶν τοῦ θεάτρου ἐξελυθέντων, ἄκρως λήξας αὐτῶν ἐστίν. Cùm igitur hi Conſules à Tiberio ſtatim pœnâ affecti ſint, cùm ludi peragerentur, certiſſimus hic eorum Conſulatûs character eſt.

IX. Cùm autem Simon Samaritanus, & baptizatus, & Philippo adhærens, vidiſſet quòd per Impoſitionem manûs Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, quem miri effectus, quos in Philippi Diſcipulis non viderat, ſecuti ſunt, obtulit Apoſtolis pecuniam, non ut ipſe Spiritum Sanctum ab iis acciperet, ſed ut darent illi poteſtatem ut cuicunque ipſe imponeret manus Spiritum Sanctum acciperent. S. Petrus non tantùm pecuniam rejecit, ſed & pronunciavit ei neque partem neque ſortem in eo negotio eſſe. Adhortatus tamen eum eſt ut ad obtinendam remiſſionem reſipiſceret. Ille ab Apoſtolis petit, ut pro ipſo Dominum precarentur. Quid autem Apoſtoli, aut quid Simon illa fecerit ulteriùs in Actis non explicatur. Conſtat autem Simonem hunc ab Apoſtolis ex Eccleſiâ ejectum, & primæ, & peſſimæ Hæreſeos autorem extitiſſe. Ille enim ad Magicas artes quibus antea pollebat converſus, & doctrinâ Chriſti leviter imbutus, ſeipſum pro Chriſto vendicabat, & Hæreticorum omnium princeps extitit. Qui tantùm Magicis artibus invaluit, & doctrinæ ſuæ novitate oculos hominum perſtrinxit, ut quamplurimos à fide Chriſtiana ad ſua placita ſeduxerit. Nam Juſtinus Martyr, poſt annos centum, ipſe patriâ Samaritanus, ita teſtatur, Καὶ σχεδὸν ἅπαντες Σαμαρεῖς, ὀλίγοι δὲ καὶ ἐν ἄλλοις ἔθνεσι, ὡς τὸν πρῶτον Θεὸν ἐκεῖνον ὁμολογοῦντες πεφυκιῶσιν. Ut autem ille erat πάσης αἱρέσεως ἀρχηγὸς, ita ὅπου ποτὲ ἂν ὦμεν ἢ ὀλιγονυχόμενοι κακῶς μιαρώτερον, τοῦτο πᾶν ὑπερβάλλουσιν ἡ τοῦδε μιαιφονωτάτη αἵρεσις. *Nihil tam impurum aut eſſe, aut excogitari unquam poſſit, quod flagitioſiſſima illorum Secta longo intervallo non ſuperet.* De hac

hac autem Hæresi quæ primùm Apostolica, mox & sequentia tempora contaminavit, sæpiùs, ut se offeret occasio, dicendum erit distinctiùs atque copiosiùs.

Interea Petrus & Joannes, ejecto Simone, & confirmatis Samariæ civitatis Discipulis, per reliquos Samariæ vicos & pagos transibant, & Evangelium prædicabant.

X. Cum autem Philippus, redeuntibus Apostolis, adhuc Samariæ consisteret, Angelus Domini ita cum allocutus est, *Surge, & vade contra meridianum*, seu potiùs, *versùs meridiem, ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam, hæc est deserta.* Mira hæc Angeli directio non docet in quem finem iter susciperet, non nominat locum ad quem iret: sed tantùm viam quæ satis longa erat. Urbem quidem nominat ad quam ea via deduceret, Gazam scilicet desertam. Signanter autem desertam, quam paulo ante hæc Strabo etiam desertam vocaverat, l. 16. Ἐπὶ δὲ τῇ Γαζαίᾳ λεγόμενα πλησίον, ὑπέρκειται δὲ ἡ πόλις οὐ πολὺ ἀπέχουσα· ἔνδοξος ποτὲ γενομένη κατασκαφεῖσα δὲ ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, ἡ νῦν ἔρημος. Fuit enim & florentissima civitas, sed ab Alexandro Magno primùm vastata, dein etiam ab Alexandro Jannæo, desertæ nomen habuit. Unde Hieronymus in Locis Hebraicis; *Quæritur autem quomodo in quodam Propheta dicatur, Gaza futura tumulum sempiternum. Quod solvitur ita, Antiquæ Civitatis locum vix fundamentorum præbere vestigia; hanc autem quæ nunc cernitur in alio loco pro illâ quæ corruit ædificatam.* Hæc de suo Hieronymus, non ex Eusebio qui dixerat, Μένει δὲ καὶ νῦν ἔρημος πόλις τῆς Παλαιστίνης.

XI. In viâ autem ab Hierosolymis ad Gazam ducente, Ecce vir Æthiops Eunuchus potens, seu dynastes, Candaces Reginæ Æthiopiæ qui erat super omnes gazas ejus. Καὶ γὰρ γαζοφύλακας ἐκάλουν τὸ παλαιὸν, ut observat Chry-

Chryſoſtomus. Et ante eum Euſebius: Κατὰ τὴν παροῦσαν ἡμῶν ἔτι καὶ γυναικὸς τῷ ἔθνους εἰσέτι νῦν βασιλευομένων. Et quidem in Æthiopiâ Reginæ hoc præcipuè nomine gaudebant. Plinius Hiſt. l. 6. c. 29. de Meroe: Regnare fœminam Candacen, quod nomen multis jam annis ad Reginas tranſiit. Et Strabo 23 annis ante Æram Chriſtianam, 57 ante hunc Eunuchi adventum, Τότε δὲ καὶ ἡ τῆς βασιλίσσης γραμματεὺς τῆς Κανδάκης ἡ καθ' ἡμᾶς ἦρξε τῆς Αἰγύπτου ἀπελθὼν τις γυνὴ, l. 17. Et Νάπατα tradit fuiſſe τὸ βασίλειον Κανδάκης. Dio Ταπάτην vocat. Napata autem, tradente Stephano, Civitas Libyes juxta Æthiopiam, quam Neronis exploratores à Meroe diſtantem prodiderunt CCCLX. M. ut teſtatur Plinius. Hæc igitur eadem eſſe vix potuit Candace quæ cum Auguſto pacem iniit ſed certè quæ ei proxima Æthiopiæ Regina. Æthiopiæ ſcilicet Ægypto conterminæ: In Meroe igitur Æthiopiæ Ægypto conterminæ regnabat Candace, cujus gazis præerat Eunuchus quidam Æthiops, qui Religionis causâ Hieroſolyma, ut fieri ſolebat, pervenerat. Ab urbe autem reverſus Gazam tendebat, ut inde Ægyptum ab Ægypto Meroen peteret.

XII. Occurrit huic Philippus in curru ſuo Iſaiam legenti, locumque de agno occiſo expoſuit, & evangelizavit ei Jeſum; ipſum, profitentem ſe credere filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum, baptizavit. Unde Hieronymus Ep 103. *O mira docteris virtus! Eâdem horâ credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis & ſanctus ſalus eſt, ac de Diſcipulo Magiſter, plus in deſerto fonte Eccleſiæ quàm in aurato Synagogæ templo reperit.* Fontem autem in quo baptizatus eſt, tradunt fuiſſe prope Bethſurun. Ita certè Euſebius τῷδε τόπῳ. Καὶ ἔστι νῦν κώμη Βηθσοῦρα ἀπὸ Αἰλίας εἰς Χεβρὼν σὺν ἕξκοντα σημείοις, ἔνθα ἡ πηγὴ ἀπὸ ὅτε ἐβαπτίσατο ὁ εὐνοῦχος Κανδάκης βεβαπτισμένου ὑπὸ Φιλίππου. Hoc eſt, Interprete S. Hieronymo; *Et eſt hodie*

hodie Bethsoron vicus euntibus nobis ab Ælià Chebron in vicesimo lapide; juxta quem fons ad radices montis ebulliens ab eàdem à quà gignitur sorbetur humo. Et Apostolorum Acta referunt Eunuchum Candaces Reginæ in hoc esse baptizatum à Philippo. Ubi duo notanda sunt, primò Hieronymum addidisse, *ab eàdem in quà gignitur sorbetur humo*, quod ipse ex suà notitià addere potuit; Secundò *Apostolorum Acta* hoc *referre*, quod nec Eusebius dixit, nec in Actis reperitur. Atque ita Eunuchus Discipulus Christi jam factus ibat viam suam gaudens, nempe in Æthiopiam profectus est, Religione Christi imbutus, & tantà felicitate exultans.

XIII. Et quidem Veterum nonnulli tradiderunt eum non tantùm Discipulum, sed & Doctorem & Apostolum evasisse, adeoque per totam Æthiopiam Evangelium prædicâsse. Primò Irenæus, ut solet, prudenter, l. 3. c. 12. *Ipse Eunuchus credens, & statim postulans baptizari, dicebat, Credo filium Dei esse Jesum. Qui missus est in regiones Æthiopiæ prædicaturus quod & ipse crediderat.* Hunc etiam, inquit Eusebius, πρῶτον κατήχει λόγος ἔθνη τινὰ πάλαι ποτὲ προσήκοντα ἤδη εὐαγγελίσασθαι τῷ Θεῷ γνῶσιν, ἐν τινὶ ζωστικῷ, εἰς ἀληθῶς τῷ σωτῆρι ἡμῶν θεοσέβειαν. S. Hieronymus in Isai. cap. 53. *Eunuchus Apostolus genti Æthiopum missus est.* Sed quid Eunuchus Æthiopibus prædicaverit, omnino ignoratur: nam post tria Sæcula nulla in Æthiopiâ Christianæ Religionis vestigia inventa sunt.

XIV. Eunucho ab aquis redeunte Spiritus Domini rapuit Philippum, inventusque est in Azoto: unde pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis donec veniret Cæsaream.

XV. Interea Saulus etiam Damasci aliquos ad fidem conversos fuisse audiverat, inter quos Ananias fuit: *Et adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos Domini venisset ad principem Sacerdotum. Et petiit ab eo Epistolas in Damascum ad Synagogas, ut siquos invenisset hujus viæ viros ac mulieres vinctos perduceret. Hujus*, inquam, *viæ*, ut loquitur vetus Interpres; ut Beza, *hujus Sectæ*. Sed Græcè tantùm τ ὁδοῦ τούτου. Nam qui Christo credebant, antequam Christiani appellarentur Antiochiæ, variis nominibus describebantur, ut nunc οἱ πιστεύοντες, nunc οἱ μαθηταί, ita etiam aliquando οἱ τ ὁδοῦ. Doctrinam enim Christi appellabant viam Domini, ut Act. 18. 26 Ἀκριβέστερον αὐτῷ ἐξέθεντο τὴν τ Θεοῦ ὁδόν, atque etiam. simpliciter viam, ut *Act.* 19. 9. Κακολογοῦντες τ ὁδὸν ἐνώπιον τ πλήθους. 28. ejusdem Capitis, Ἐγένετο πόλεμος οὐκ ὀλίγος περὶ τ ὁδοῦ. Denique ita ipse S. Paulus locutus est, Cap. 22. ver. 4. Ταύτην τὴν ὁδὸν ἐδίωξα ἄχρι θανάτου.

Quærit, in Margine, *Cestriensis*, An potiùs Sauli conversio ad annum sequentem pertineret, *Jan.* 25. propter Martyrologia? Sed hanc sententiam sequitur in *Annalibus Paulinis*.

XVI. Cum autem Saulus hâc autoritate armatus Damascum pergeret, subito de cœlo fulgore circumfusus prostratus est, & voce etiam auditâ jussus est Damascum proficisci. Gloriâ autem lucis circumfusæ occæcatus, & à suis manuductus venit Damascum, ibique per triduum [mansit] cæcus & jejunans. Tum verò Ananias ad eum à Domino missus, visum illico restituit, eumque baptizavit. Itaque factus est ex Persecutore Apostolus, hoc est, Testis apud omnes homines eorum quæ vidit & audivit. Hic enim erat officii Apostolici peculiaris character, ut iis quæ ipsi viderant atque audiverant de Christo testimonium perhiberent, tanquam & oculati, & auriti.

XVII. Quid Damasci Saulo jamjam converso à Domino revelatum sit, in Actis minimè legimus: sed ex iis quæ ipse in Epistolâ ad Galatas, de Apostolatu suo agens, immediatè

post

post conversionem se fecisse testatur, apparet; fecit enim sine dubio id quod à Domino ei tum præceptum est. Hoc autem erat ut non conferret cum carne & sanguine, hoc est, cum homine ullo; neque iret Hierosolyma ad eos qui ante ipsum fuerunt Apostoli, sed in Arabiam potiùs, ubi Evangelii scientiam acciperet, non ab homine edoctus, sed ex revelatione Jesu Christi.

XVIII. Secessit itaque Saulus in Arabiam aliquantisper, hoc est, in loca Damasco proxima, quæ Arabiæ deserta vocabantur.

Imprimatur.

Sept. 9. 1686.

JO. BATTELY.

DE

SERIE

ET

SUCCESSIONE

PRIMORUM

ROMÆ EPISCOPORUM

DISSERTATIONES DUÆ:

PRIOR,

De origine, veritate, & utilitate, hujus Succeſſionis: Et de incertitudine temporum quæ prioribus Romæ Epiſcopis, vel à Græcis, vel à Latinis, aſſignata ſunt.

POSTERIOR,

De Annis eorundem Epiſcoporum ſigillatim, ex vetuſtis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis, & receptâ Arabum Chronologiâ rectiùs diſponendis.

A *Johanne Pearſonio*, Ceſtrienſi nuper Epiſcopo.

Lacunas novis Additionibus ſupplevit Henr. Dodwellus, *A.M. Dublinienſis.*

LONDINI,

Typis *S. Roycroft*, LL. Orientalium Typographi Regis; & Impenſis *R. Clavell*, & *B. Tooke*, in Cœmeterio Divi *Pauli*, MDCLXXXVII.

DISSERTATIO PRIMA,

DE

Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum in genere.

CAP. I.

I. *Vera ſeries Pontificum Romanorum ſuis temporum terminis recte diſpoſita ad intelligendam Hiſtoriam Eccleſiaſticam perquam neceſſaria eſt.* II. *Chronologi Pontificii qui lucem majorem expectabant, aut profeſſi ſunt, nihil in ea re effecerunt.* III. *Proteſtantium Chronologi, eam partem Chronologiæ aut penitus omiſerunt, aut confuſè tradiderunt.* IV. *Solus Heinſchenius eam partem cum curâ tradidit, nihil tamen certi attulit.* V. *Nobis igitur alia tentanda eſt via.*

I. SERIES Pontificum Romanorum ſuis temporum terminis ritè digeſta ad intelligendam Hiſtoriam Eccleſiaſticam plurimùm valet. Eadem verò, præſertim ubi alii characteres temporis deſiderantur, haud rectè diſpoſita, miram confuſionem ut pariat neceſſe eſt; cùm Religio Chriſtiana tam citò Romæ radices egerit, & ab Urbe rerum dominâ in alias regiones penetraverit.

Per

Per priora autem Eccleſiæ ſæcula ii temporum characteres à Scriptoribus Eccleſiaſticis minimè uſurpati ſunt, quos poſteriores adhibuerunt; quales ſunt anni à Chriſto nato, Conſules Romani, Imperatorum, ſimiléſque. Antiquiſſimi quidem Scriptores Chriſtiani nunc fortaſſe Imperatorem, nunc Romanum Pontificem obiter nominant; ſed plerumque ſine anno Imperii, ſemper autem ſine anno Pontificatûs: & quod maximè dolendum, non invenimus ab eodem antiquo Autore, & Pontificem, & Imperatorem, ſimul & in eadem re, nominatum. Quoniam verò Imperatorum tempora ſatis certò nobis aliunde innoteſcunt, ubi eorum nomina proferuntur; ſi anni etiam addantur, ſatis certi reddimur; & ſi non addantur (aliquâ circumſtantiâ rectè obſervatâ) multum aberrare non poſſumus, cum prioris Imperatoris exitum, & ſequentis initium, ſatis certò cognoverimus. At ubi Pontifex tantummodo indigitatur, cùm Romæ Epiſcoporum tempora ab initio aut cognita aut agnita hactenus non fuerint, neque deceſſoris obitus, neque ſucceſſoris ordinatio, ſatis nobis innoteſcat, gravis error in Annalibus facilè admitti poteſt, quoties res geſtæ ad eorum Pontificatus rediguntur; plurimóſque hujuſmodi errores & inveteratos adhuc in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ retineri ego quidem exiſtimo.

Belg. Rom. l. 6. c. 3. II. *Romana*, inquit Bucherius, *Eccleſia licèt continuam texat Paſtorum ſuorum ſeriem, lucem tamen in eorum prioribus majorem ſe requirere* non diſſimulat. Unde hanc lucem ea Eccleſia quærat, neſcio; certè nullam hactenus obtinuit; neque ipſe, qui hoc faſſus eſt, quamvis temporum examinator cætera diligentiſſimus, ullam affundere conatus eſt. Dionyſius Petavius, Vir ſanè doctus, & in rebus Chronologicis maximè verſatus, in Animadverſionibus ad Epiphanium Hæreſi xxviii. caſtigatam horum Pontificum ſeriem, & ad veros annos redactam ſe dediſſe profitetur: ſed eam ſeriem ad veros annos minimè caſtigavit, unum aut alterum annum in Ærâ Chriſtianâ correxit, adeóque nihil effecit; dum eorum tempora ſigillatim perſcrutari

plus

plus moleſtiæ quam utilitatis habere putavit, aut potiùs, ut ſe excuſaret, putare voluit. Imò Chronologi ex eâ Eccleſiâ nuperi, ut Labbæus & Acciolius, dum maximè inſudàrunt ut anni vulgares Chriſti, Imperatorum anni, & Conſules, rectè ſibi invicem reſponderent; de annis Pontificum illorum ordini reſpondentibus minimè ſoliciti fuerunt, aut leviter tantùm eam partem attigerunt. Una nobis cogitantibus hujus diſcriminis ratio ſuccurrere ſolebat; quòd ſcilicet, ſi veri primorum Pontificum anni eruerentur, autoritas omnium ferè Eccleſiaſticarum Tabularum (ut loquuntur) & Martyrologiorum (quod ad duo priora ſecula pertinet) prorſus convelleretur.

III. Sed neque Joſephus Scaliger neque Calviſius, uterque Emendator Temporum, quicquam hîc tentavit, etiamſi eâ ratione minimè ducti ſint. Nam Scaliger in Canonum Iſagogicorum Lib. 2. hunc titulum habet, Epiſcopi *Urbis Romæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Ieroſolymorum, Conſtantinopoleos*, & præterea nihil. In Animadverſionibus autem ad Euſebii Chronicon, aut parùm aut potiùs nihil de annis Pontificum ſcripſit. Calviſius nullâ curâ eoſdem diſponit, ſed nunc ex Damaſo, nunc ex Euſebio, nunc ex Onuphrio, nonnunquam ex Baronio, ad annos diverſos collocat, ſuam ſententiam nunquam interponit. Adeò ut ſi Epiſcoporum Romanorum tempora ſpectemus, hoc Calviſii opus Scaligeri encomium minimè mereatur. Hæc igitur Chronologiæ pars aut obiter tantùm & leviter tacta, aut penitus neglecta, mihi videtur neceſſariò ventilanda, enucleatè penſitanda, & ad origines Eccleſiaſticas eruendas corrigenda atque penitus reformanda. Nam, ut rectè ab Ill. Cardinale obſervatum eſt, *Si in ordine & tempore primorum Romanorum Pontificum quempiam errare contigerit, in multos alios errores ferri omninò cogetur.*

IV. Sed poſtquam hæc aliaque quamplurima à nobis ſcripta ſunt, & ad finem quem mihi præſtitueram producta, Vir eruditiſſimus Heinſchenius edidit Diatribam Præliminarem in Catalogos veteres Romanorum Pontificum, ad

Acta.

Acta Sanctorum Aprilis. Illâ Diatribâ, quæ tandem ad manus meas pervenit, totam de hac Chronologiæ parte doctrinam accuratè & copiosè explicat; quæ ante ab eo in Tomo primo dicta fuerant, cùm antiquitatis ſuccum nondum imbiberat, revocat & amota eſſe vult; quæ nunc edoctus melius magiſque exercitatus edit, ſola eorum loco ſubſtituenda decernit. In quibus cum ſæpiſſimè errores Baronii rectè caſtigat, ita tamen Tabulas Romanas omnes defendit, etiam ubi vitioſiſſimæ ſunt, & earum diſcrepantias tam miris modis conciliare conatur, ut poſt ejus magnam diligentiam ad veritatem eruendam, aut parum, aut nihil, adhuc peractum eſſe videatur. Nobis igitur ea provincia, quam non paucis abhinc annis in nos receperamus, etiamnum integra relicta eſſe videbatur, neque magna Viri doctiſſimi induſtria propoſito noſtro viam præcluſit, ſed potiùs animum addidit, & deſiderium illius lucis conſequendæ accendit, quam Eccleſia Romana per Bucherium quæſivit, per Heinſchenium non invenit. *Placuit*, inquit Papebrochius, *hæc opera circa Romanos Pontifices in Aprili, & profuit multis.* Mihi certè nondum placuit, multo minus profuit. Et credo equidem Autori ipſi minus jam placere, cùm profiteatur ſe habere paratam prælo ante tres Tomos Junii dividendam univerſam Pontificiam Chronologiam, quam ſtudioſiùs elaborans alia multa cognovit. Nam quòd ſe putet ex diebus obitûs poſſe initium cujuſque Pontificatûs eruere, hoc eſt, ex incertioribus certiora producere, & duos parietes eadem fidelià dealbare: nihil unquam maximo conatu & ſolertiſſimâ indagine efficiet aut extundet, quod cuipiam veritatis cupido ſatisfaciat; licet ei in hoc negotio Blondellus diu ante in Præfatione & Apologiâ viam ſtraverit. Nam cùm Martyrologium, quod Romanum dicitur, poſt Librum Pontificalem ſcriptum ſit, ex diebus obitûs in illo Martyrologio deſcriptis nihil autoritatis Ordinationibus in Pontificali deſcriptis accedet.

V. Quare adhuc diligentiæ noſtræ qualicunque locus relictus eſt; alia nobis via tentanda, & ab illa cui hactenus

nus viri docti inſtiterunt planè diverſa. Neque enim tot viros eruditos falli potuiſſe putandum eſt, ſi eam methodum profecuti eſſent, quæ veritatem oſtendere poterat, aut eos autores in conſilium adhibuiſſent, qui ipſos ad lucem aliquam perſpiciendam dirigere atque deducere valuerant. Sed cum illi tantummodo ad Catalogos & Chronica priorum temporum nimis incerta, & ſibi ipſis plerumque contraria reſpicerent tanquam omnium oculis expoſita; & interim Hiſtoriam eorundem temporum tanquam minimè ad annos ſupputandos, aut neceſſariam, aut utilem prætermitterent atque negligerent, nihil ex antiquitate certius colligere potuerunt quam quod Autores, quos ante oculos habuere, quoſque pro judicio quiſque ſuo tanquam veraciores ſequutus eſt, ipſis exhibebant. Primo igitur loco illorum Catalogorum, Geſtorum, Chronicorum, autoritas examinanda, diſcutienda, & ubi opus eſt reſellenda eſſe videtur, ex quibus nulla hactenus veritatis certitudo, quamvis & diligenter, & à multis quæſita, emicuit, & ex quibus, ut arbitror, qualitercunque evolvendis, terendis atque retractandis nulla unquam emicabit aut extorquebitur. Quæ examinatio in anteceſſum viſa eſt mihi in hoc Opere prorſus neceſſaria, tum ut rationem reddam æquis Lectoribus ſanè probabilem, quare hactenus ea tempora viris perſpicaciſſimis minùs intellecta fuerint (quod nudè propoſitum aut affirmatum ægrè fidem habiturum apud pleroſque facilè prævideo) & ſimul oſtendam quàm neceſſarium ſit aliam viam experiri, & in eum finem noſtra proponere, ſi forte illa prioribus & veriora, & clariora, & denique firmiora judicari, debeant.

CAP. II.

I. *Duo Romanorum Pontificum hactenùs recepti Catalogi veteres erronei.* II. *Græcus prior Euſebii. Refellitur Valeſius. Quindecim primorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcoporum nuda nomina, non item tempora, in Archivis Eccleſiaſticis conſervata reperit Euſebius.* III. *Sed & recentiorum Hadriano ejuſdem Urbis Epiſcoporum tempora admodùm incerta.* IV. *Horum tamen Epiſcoporum nonnullorum tempora, nullo prorſus Autore, deſignavit Euſebius.* V. *Male itaque ex Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Succeſſione collegit Valeſius, tempora primorum Epiſcoporum in Eccleſiæ Primævæ monumentis fuiſſe conſervata. In reliquarum Sedium primariarum Succeſſionibus conſervata fuiſſe veriſimilius eſt, non tamen ita certum ut omnem prorſus excludat dubitandi rationem.*

I. DUO ſuperſunt Romanorum Pontificum veteres Catalogi annis uniuſcujuſque Pontificatûs conſignati, ſed non parùm diverſi, quorum unus à Græcis, alter à Latinis prodiit. Et quidem Viri docti, aut hunc, aut illum paſſim ſequuntur; alterum enim eorum ſatis probant, nec de alio aliquo hactenus cogitarunt: Unde nunc huic, nunc illi adhærentes, veritatem aſſequi minimè potuerunt. Ego verò, quod ad duo priora ferè ſpectat ſæcula, neutrum probandum, utrumque à veritate longè alienum, & à Ducis autoritate removendum ſentio; quod tum ad minuendam maximorum virorum in hoc negotio exiſtimationem (quam in aliis maximam eſſe debere libenter profiteor) tum ad tol-

tollendum totius Operis noſtri præjudicium omnino neceſſarium eſſe judico: quodque niſi præſtitero, & apertis rationibus evicero, aut nullum, aut minimum ex induſtriâ noſtrâ emolumentum ſperare potero.

II. Ut ab antiquiori, Euſebiano ſcilicet, quo Epiſcoporum quatuor Sedium præcipuarum Succeſſiones diſtinctè proponuntur, incipiam: meritò nobis conſideranda ſunt, quæ Vir undequaque doctiſſimus Henricus Valeſius obſervavit: Ille autem ad Cap. 12. lib. 5. Hiſtoriæ Euſebii hæc habet; *Nobiles Eccleſiæ, & præſertim quæ ab Apoſtolis inſtitutæ fuerant, Epiſcoporum ſuorum ſucceſſionem in Archivis reconditam diligentiſſimè ſervabant; eorum nomina & diem obitûs ex diptychis perſcribentes. Hujuſmodi libros accuratè excuſſerat Euſebius noſter, ſicuti ex hoc loco apparet, qui præcipuarum Sedium Epiſcopos non aliunde quàm ex hujuſmodi Tabulis digeſſit.* Utinam Vir doctiſſimus hæc aliunde de Archivis Eccleſiarum, & ſucceſſionibus Epiſcoporum reconditis, & de die obitûs in diptychis ſcripto docuiſſet, & Euſebium ſua ex hujuſmodi tabulis digeſſiſſe probaſſet; nam quod ex hoc loco apparere ait, mihi minimè probatur. Docet hoc loco Euſebius Narciſſum poſt obſidionem Judæorum ſub Hadriano decimum quintum ſucceſſionis locum tenuiſſe, eorum quindecim ex gentibus primum fuiſſe Marcum. Μεθ' ὃν Ἐπισκοπεύσαι Καισαρείας τῆς αὐτῆς διαδοχὰς τρεῖς ἔχων, ὧν μετὰ τοῦτον, Πύρρων, εἶτα Μάξιμος, ὁ ἐπὶ τούτοις Ἰουλιανός. Quæ verba ſic tranſtulit Valeſius, *Poſt quem Epiſcopatu functum eſſe Caſſianum, deinde Publium, poſtea Maximum, ac deinceps Julianum, Epiſcoporum ſeries, quæ in Archivis illius Eccleſiæ ſervantur, oſtendunt.* Habemus igitur Archiva illius Eccleſiæ, & ſucceſſiones in illis conſervatas, ſi Latina Valeſii ſpectemus; ſed in Græcis nihil horum. Apud Euſebium ſimpliciter poſitæ αἱ τῆς αὐτῆς διαδοχαὶ id non docent. Optimus ſui interpres Euſebius, l. 4. c. 5. τῆς γὰ μὴν εἰ Ἱεροσολύμοις ἐπισκόπων τὰς ἀρχὰς γραφῇ παραδεδομένας εὗρον.

Eorum autem Epiſcoporum tempora, qui Hieroſolymis præfuerunt, Scripto conſervata, (quæ verba in Verſione Valeſii malè omittuntur) *nuſquam reperi.* Τοσοῦτοι δὲ ἐξ ἱσγράφων παρείληφα, ὡς μέχρι τῆς κατ' Ἀδριανὸν Ἰουδαίων πολιορκίας, πεντακαίδεκα τὸν ἀριθμὸν ἀυτῶν γεγόνασιν ἐπισκόποι μέχρι δοχαί. *Illud tantum ex ſcriptis accepi, ad illam uſque obſeſſionem Judæorum, quæ imperante Hadriano contigit, quindecim numero Epiſcoporum ibidem ſucceſſiones fuiſſe.* Ecce quindecim Epiſcoporum ἀυτῶν δοχὰς ſcriptas ſanè, ſed à neſcio quo; & in eo ſcripto numerum quidem, & nomina conſervata, ſed præterea nihil. Eorum enim tempora ſive annos, aut obitus, nullibi reperit ſcripto conſervatos Euſebius. Idem Euſebius ipſe etiam docet Demonſtrationis Evangelicæ Lib. 3. cap. 5. Καὶ ἡ ἱστορία κατέχει, ὡς ἡ μεγίστη τις τοῦ ἐκκλησία ἐκ τῶν Ἱεροσολύμοις ἀπὸ Ἰουδαίων συγκροτηθεῖσα μέχρι τῆς λεγομένης κατ' Ἀδριανὸν πολιορκίας. Λέγονται γοῦν οἱ τοῦτο τὸ δοχεῖον τοτε τῶν ἐπίσκοποι Ἰουδαῖοι γεγενῆσθαι, ὧν καὶ ὀνόματα παρὰ τῶν ἐγχωρίων μνημονεύεται. *Hiſtoria etiam continet maximam quandam Chriſti Eccleſiam Hieroſolymis fuiſſe ex Judæis conflatam uſque ad Hadriani obſidionem. Unde Epiſcopi primi qui per ſucceſſionem ibi præfuerunt, Judæi fuiſſe dicuntur, quorum etiam nomina ab incolis etiamnum memorantur.* Quindecim igitur primorum Epiſcoporum Hieroſolymæ nomina apud Chriſtianos provinciæ illius remanſerunt, & præterea nihil.

III. Quindecim autem Epiſcoporum, qui poſt illam Adriani obſeſſionem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfuerunt, crederes ex ipſius verbis Euſebium majorem notitiam habuiſſe; ſed ipſe de iis etiam nihil aliud quàm numerum & nomina in Hiſtoriâ profert. Imo nec in Chronico eorum tempora diſtinguit; ſed potius, cum ad Narciſſum Epiſcoporum triceſimum quartum pervenit, hæc vel ipſe, vel Hieronymus addidit: *Tantis apud Hieroſolymam conſtitutis Epiſco-*

Epiſcopis non potuimus diſcernere tempora ſingulorum, eò quòd in præſentem diem Epiſcopatûs eorum anni minimè ſervarentur. Ætate igitur Euſebii, ſub initio quarti ſæculi, nulla erat annorum diſtinctio ſcripto aliquo conſervata, quæ tempora 33 priorum Epiſcoporum, qui Hieroſolymis præſidebant, diſtingueret. Fateor Epiphanium Hæreſi LXVI. Epiſcoporum Hieroſolymitanorum tempora promiſiſſe; ubi autem Catalogum texit, nullius annos ſingulatim aſſert, paucorum exitus ad annos Imperatorum deducit, Jacobum tradit paſſum ſub Nerone, Symeonem ſub Trajano, Joannem deducit ad undeviceſimum Trajani, Juſtum ad decimum nonum Hadriani. Unde apparet, ne quidem ætate Epiphanii, annos priorum Hieroſolymitanorum Epiſcoporum vulgo cognitos fuiſſe. Indiculus quidem Nicephoro tributus poſt ætatem Epiphanii ſcriptus ſuos annos cuique adjungit, ut etiam Eutychius, ſed unde eos habuerint, neſcitur.

IV. Illud potius obſervandum fuit, Euſebium aliquando certum annum aſſignare, etiam ubi nullum ſcripto aliquo aſſignatum viderat. Ipſe enim fatetur quindecim prioribus Hieroſolymorum Epiſcopis annos aſſignatos reperiri minimè potuiſſe, & tamen Symeonis Cleopæ Martyrio decimum Trajani annum attribuit. Nullâ autoritate, ſed tantummodo, ut obitum ejus ad perſecutionem eam reduceret, quâ S. Ignatius paſſus eſt, ut putabat. Didicerat enim ab Hegeſippo Symeonem imperante Trajano crucifixum eſſe; quod Epiphanius ſic expreſſit, Συμεὼν ἐπὶ Τραϊανοῦ ἐσταυρώθη, *Symeon ſub Trajano crucifixus eſt.* Quodque potius ad initium imperii ejus referri debuit, ut autor Indiculi Nicephoro tributi nos docet; qui quinque Epiſcopis Symeoni proximè ſuccedentibus octodecim annos aſſignat, quorum ultimus ad decimum nonum Trajani annum vixit, referente Epiphanio. Juſto etiam Symeonis ſucceſſori quatuor annos tribuit Euſebius ad annum Trajani XIV. his verbis in Chronico, *Poſt Juſtum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopatum quartus ſuſcipit Zacchæus.* Hæc ille, nemine præeunte; ſicque

ſicque undecim reliquis ex circumciſione Epiſcopis vix viginti quatuor annos reliquit.

V. Ex hoc certè loco, unde obſervationem ſuam hauſit Valeſius, concludi non poteſt primis Eccleſiæ temporibus memoriam Epiſcoporum in Archivis conſervatam, aut dies obitûs eorundem in diptycha fuiſſe relatos, aut etiam tempora & annos poſteritati tranſmiſſos, ſi aut Euſebii hiſtoriam, aut etiam Latinorum Catalogos conſideremus. Neque opus eſt ut de Diptychorum ratione & antiquitate hîc diſſeramus, cùm eorum uſus nullus in Eccleſiâ illis temporibus, quæ nos tractamus, mentio nulla appareat. Illud quidem ſuſpicari quis poteſt, Euſebium habuiſſe Catalogos reliquarum Eccleſiarum nobiliſſimarum præter Hieroſolymitanam, cum uniuſcujuſque Epiſcopi annis ſcripto conſignatis, & cum ſucceſſionibus ab initio ad ſuam ætatem derivatis, certos & illibatos. Sed hæc mera eſt conjectura, & in eo tantum fundari poteſt, quòd Euſebius teſtetur ſe non habuiſſe tales Catalogos ab initio de Epiſcopis Hieroſolymitanis, de aliis autem nobiliſſimis Eccleſiis idem non teſtetur. Sed hanc conjecturam vaniſſimam eſſe, quod ad Eccleſiam Romanam attinet, de quâ nunc agitur, copiosè probabimus; poſtquam de antiquiſſimis Succeſſionibus, earumque naturâ, vi & origine diſputavimus, eaque adduximus, quæ ſunt ad hanc Chronologiæ partem prorſus neceſſaria. Interim hanc inanem conjecturam eſſe, & hanc conſequentiam minime admittendam eſſe patet; quia nec in reliquis Eccleſiarum illuſtrium, Antiochenæ nempè & Alexandrinæ, Succeſſionibus certa ratio temporum ab Euſebio obſervatur. Quod uno & altero exemplo breviter oſtendam. In Chronico hæc ad annum Marci Antonini nonum legimus, *Antiochiæ* VI. *Epiſcopus ordinatur Theophilus.* Et rurſus ad annum Marci decimumſeptimum, *Antiochiæ* VII. *Epiſcopus conſtituitur Maximinus.* Agnovit Euſebius hujus Theophili *plurima ingenii opera* ſuâ ætate extitiſſe, & inter illa ad Autolycum tria volumina: ex iſtis autem ſatis conſtat hanc Epiſcoporum Chro-

Chronotaxin eſſe erroneam. Nam Theophilus ad Autolycum poſt mortem Marci ſub imperio Commodi ſcripſit. Libro enim tertio annos Imperatorum Romanorum affert ex Chryſero, Nomenclatore, Marci liberto, quem ait omnes deſcripſiſſe uſque ad Domini ſui obitum. Poſt obitum Marci ſcripſit Chryſeros, poſt Chryſerum Theophilus, ſed ante mortem Commodi, cujus annos ipſe non addit.

* * * * * * * * * * * * * * * *

H. D.

*Hucuſque Pater Eruditiſſimus. Reliqua, per otium ſubjunctu*rus, *non abſolvit tamen. Sunt mihi fateor ſuſpecta quæ de hoc* Theophilo *tradit. Alius enim videtur qui ſcripſit ad* Autolycum, *ab eo qui* ſextum *ab Apoſtolis in ſede* Antiochenâ *locum tenuerit. Scripti illius ad* Autolycum *tempus verba, ni fallor, illa deſignant:* Præterea *Chriſtianos* qui verum Deum venerantur, hactenus ſunt perſecuti, nec adhuc hodie perſequi ceſſant, τὸ καθ' ἡμέραν διώκεσθαι. *Et paucis interpoſitis:* τὸς δὲ ἀπιθοῦντας πρὸς ἀρετὴν, καὶ ἀσκοῦντας βίον ὅσιον, ὡς μὴ ἐλεηθῆναι, ὡς δὲ ἰδεῖν ἀπεσθαι, καὶ ἕως τοῦ ΔΕΥΡΟ ἀμαῦς ἀμισμοῖς προσβάλλεσι. *E vocibus illis* καθ' ἡμέραν, *&* ἕως τοῦ νῦν *facilè colligimus, Perſecutione etiamnum vigente, noſtrum hæc ſcripſiſſe* Theophilum. *Nec verò aliam illam quàm* Severi *fuiſſe Perſecutionem illud Argumento eſt, quòd vim ejus* ἀπειθοῦντες πρὸς ἀρετὴν *præcipuè ſuſtinuerint,* Proſelyti *nimirum. Illorum enim, non aliorum, illam* Severi *fuiſſe Perſecutionem alibi probavimus. Nec antiquiorem aliquam Perſecutionem legimus, quæ in illos præcipuè ſævierit. Et verò* Antiochiæ *illam* Severi *Perſecutionem cæpiſſe manifeſtum eſt, ut proinde illam aptè reſpicere potuerit* Theophilus, *licèt ipſe non Epiſcopus,* Antiochenus *tamen. Idem indicare videntur & verba illa,* ἀσκοῦντας βίον ὅσιον. *Nempe Philoſophicam illam* ἄσκησιν *denotat, quo nomine celebres erant eâ ipſâ Perſecutione* Origenes, *ejuſque Diſcipuli Martyres*

Alius erat *Theophilus* qui Libros ſcripſit *ad Autolycum*, ab Epiſcopo *Antiocheno* cognomine *ſexto* loco ſucceſſit ab Apoſtolis Vid. Diſſ. II. ad *Iren.* § 44. L. III. ad *Autol.* fin.

Diſſ. *Cypr.* XI.

Euſeb. H. E. VI. 3. 4.

Martyres Philoſophi, *quos proinde habuerit ob oculos* Theophilus. *Hos enim ipſos præ aliis impetebat eadem illa Perſecutio. Sic poſt Annum Ær. vulg.* CCIII *ſcripſerit illa* Theophilus. *Nec enim ad* Theophili, *ſed* Chryſerotis *tempora referenda ſunt, quæ ad finem uſque* Marci *deſcripſit è* Chryſerote Theophilus. *Atqui eâ ipsâ Perſecutione ſedem* Antiochenam *adeptus eſt* Aſclepiades *tertius ab Antiocheno* Epiſcopo *ſucceſſor. Succeſſit enim* Theophilo Maximinus, Maximino Serapion, Serapioni *ille tandem* Aſclepiades. *Hæc ex Epiſtolâ* Alexandri *diſcimus, qui Chriſtum in vinculis eodem tempore confeſſus eſt. Fallitur itaque* Euſebius *qui duos hoſce* Theophilos Antiochenos *in unum confuderit, aliiſque demum recentioribus pleriſque in errore præiverit. Nec tamen propterea ſedis* Antiochenæ *adversùs Autorem noſtrum Archiva* Chronologica *defenderim. Numeros profectò annorum quibus ſedem illam Epiſcopi ſinguli tenuerint, nullos in* Hiſtoriâ *exhibet* Euſebius, *cum tamen aliorum tempora magis explorata idem exhibeat accuratiſſimè. Sed ne quidem in* Chronico, *ſi unum excipias* Erota *proximum* Theophilo *deceſſorem, cui annos tribuit* XXIV. *Nec cum anno* Imperatoris *eorum initia conjungit, niſi forte ubi alterius ſedis anni ad certum eſſent Imperatoris annum referendi, quaſi verò eodem tempore ſedes iniiſſent diverſarum Sedium Epiſcopi. Quare meritò ſuſpecta erit eorum diſpoſitio in* Chronico, *ſeu ab ipſo fuerit* Euſebio, *ſeu à recentioribus* Euſebii deſcriptoribus. *De ſede verò* Alexandrinâ *Viro maximo adeo facilè aſſentire non poſſum. Quæ enim de illius Sedis Epiſcopis deſignat* tempora, *ſunt illa invicem, & cum aliorum Autorum Catalogis plerunque conſentientiſſima. Interim ſatis aptè facit ad Autoris noſtri conſilium, quòd vel ex illis, quæ producta ſunt, exemplis conſtet, certum in* Chronico *locum multis eſſe aſſignatum, quorum tamen teſtes nullos proferre potuerit in* Hiſtoriâ, *ſecundis licèt poſt Chronicum curis elaboratâ. Quæ tamen an ad Sedis Romanæ ſucceſſionem referenda ſint, infrà melius videbimus.*

Apoſt. III. F. VIII.

CAP.

CAP. III.

I. *Ab Epiſcoporum Succeſſione Argumentari ſolebant ſecundi tertiique Seculi Patres adversùs ſui temporis Hæreticos.* II. *Item quarti Seculi & quinti.* III. *Qui tamen ubi Succeſſionis illius Catalogos referunt, temporis nullam faciunt mentionem.*

I. ERant quidem Succeſſiones Epiſcoporum in Apoſtolicis Eccleſiis à Veteribus obſervatæ, & ad Catholicæ doctrinæ traditionem adversùs Hæreticorum deliria comprobandam uſurpatæ; ex quibus Argumentum à Patribus confectum eſt irrefragabile, cui Hæretici directè nunquam reſpondere auſi ſunt. Primus omnium, quos novimus, S. *Irenæus* Succeſſiones eas aſſeruit, & contra Hæreticos uſurpavit, Lib. 3. c. 3. *Habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt in Eccleſiis, & Succeſſores eorum uſque ad nos.* Et lib. 4. c. 63. Γνῶσις ἀληθὴς ἡ τῶν Ἀποστόλων διδαχὴ, καὶ τὸ ἀρχαῖον τῆς ἐκκλησίας σύστημα καὶ πάσης τοῦ κόσμου, *& character corporis Chriſti ſecundum ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ pervenit uſque ad nos.* Non aliter Tertullianus, qui Irenæum ſequi amat, de Præſcriptionibus Cap. 32. *Edant ergò origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit autorem & anteceſſorem: Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum à Joanne collocatum refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum itidem. Perinde utique & cæteræ*

exhibent,

exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Origenes Præf. in lib. περὶ Ἀρχῶν. *Servatur verò Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, uſque ad præſens in Eccleſiâ permanens.* S. Cyprianus Ep. ad Lapſos: *Inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit.* Et hic eſt ille *ordo Epiſcoporum ad originem recenſus*, de quo Tertullianus contra Marcionem l. 4. c. 5. Firmilianus in Epiſtola ad Cyprianum, *Poteſtas ergò peccatorum remittendorum Apoſtolis data, & Eccleſiis, quas illi à Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis, qui eis ordinatione vicariâ ſucceſſerunt.* Hæc Patres ſecundi tertiique ſæculi.

II. Eadem teſtantur Patres quarti, quintique ſæculi. S. Epiphanius Hæreſi LXXIX. de Jacobo fratre Domini agens, Ἐξ ὧν προεκόπτων, ἡ τῶν περιφημιῶν Ἀποστόλων καταξιωθεὶς διαδοχὴ ἐπισκόπων, καὶ πρωτοθρονίαν τὸν οἶκον Θεοῦ. *A quo Epiſcopo, & prædictis Apoſtolis ſucceſſiones Epiſcoporum & Presbyterorum in domo Dei conſtitutæ ſunt.* Ut & Hæreſ. XLI. meminit, Τῆς τοῦ περὶ Ἰακώβου, καὶ Πέτρου, καὶ Παύλου Ἀποστόλων διαδοχῆς. *Succeſſionis Jacobi, & Petri, ac Pauli Apoſtolorum.* Sic poſtea contra Donatiſtas diſputatum eſt. Optatus Libro ſecundo, cum de Cathedra Petri diſſeruiſſet, & ſucceſſionis tabulam uſque ad Damaſum, aut Siricium deſcripſiſſet, his verbis Donatiſtas in arenam provocat, *Veſtræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare.* Erat quidem tunc Macrobius in urbe Donatiſtarum Epiſcopus, ſed ejus ordinem ad originem recenſens Optatus, brevem hanc tantummodo Succeſſionem dare potuit. Primus Donatiſtarum Epiſcopus in Urbe Victor Garbienſis, cui ſucceſſit Bonifacius Ballitanus, Bonifacio Encolpius, Encolpio Macrobius. Et Victor illorum primus *erat*, inquit, *illic filius ſine patre, tyro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente.* Addit quidem poſtea Macrobio ſucceſſorem Lucianum,

cianum, Luciano Claudianum. Quod obiter notandum eſſe putavi, utpote neceſſarium ad verum tempus ſcriptionis & editionis illius Operis eruendum. S. Auguſtinus in Pſalmo contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes ab ipsâ Petri Sede, & in ordine eorum Patrum quis cui ſucceſſit, videte.* Idem lib. contra Epiſtolam Manichæi, cap. 6. *Tenet ab ipsâ Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* Idem Ep. 42. *Videtis certè multos præciſos à radice Chriſtianæ ſocietatis, quæ per ſedes Apoſtolorum & ſucceſſiones Epiſcoporum certâ per orbem propagatione diffunditur, de ſolâ figurâ originis ſub Chriſtiano nomine quaſi areſcentia gloriari, quos hæreſes & ſchiſmata nominamus.* Autor Libri Quæſtionum utriuſque Teſtamenti, c. 110. *Nam & ordinem ab Apoſtolo Petro cœptum, & uſque ad hoc tempus per traducem ſuccedentium Epiſcoporum ſervatum perturbant, & ordinem ſibi ſine origine vendicantes, hoc eſt, corpus ſine capite profitentes.* S. Fulgentius lib. de Trinitate, cap. 1. laudat fidem, *quæ uſque nunc per ſucceſſorum ſeriem in Cathedra Petri Apoſtoli Romæ vel Antiochiæ, in Cathedra Marci Evangeliſtæ in Alexandriâ, in Cathedra Joannis Evangeliſtæ Epheſi, in Cathedra Jacobi Hieroſolymæ, ab ipſorum Epiſcopis prædicatur.* Hæc ſucceſſio adeò celebris fuit, ut ipſi Epiſcopi qui in Eccleſiâ ſuccedebant, Apoſtolorum *Succeſſio* dicerentur. Sic intelligo Vincentium Lirinenſem cap. 9. *Sed ne longum fiat, unum aliquid ab Apoſtolicâ potiſſimùm ſede ſumemus, ut omnes luce clariùs videant, beatorum Apoſtolorum beata Succeſſio, quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſceptæ ſemel religionis integritatem.* Neque aliter intelligendus eſt Ruffinus Hiſt. Eccleſiaſticæ lib. XI. ubi de Baſilio & Gregorio agens hæc habet; *Solis divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, eorumque intelligentiam non ex propriâ præſumptione, ſed ex Majorum ſcriptis & autoritate ſequebantur, quos & ipſos ex Apoſtolicâ ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat.*

III. In his Succeſſionibus habemus Ordinem perpetuâ ſerie continuatum, & præterea nihil. Talem nobis exhibet Tabulam Irenæus, lib. 3. cap. 3. qualem etiam alii poſtea; ut Epiphanius, Optatus, Auguſtinus, in quibus nomina tantùm Epiſcoporum, & numerus & ordo repræſentantur; de diſtinctis eorum temporibus, de die ordinationis, aut obitûs nulla fit mentio. Pſeudo-Tertullianus de Succeſſione Romanâ loquens Lib. 5. videri poteſt Epiſcoporum tempora & annos indigitâſſe, dum ait,

> *Majorum natu cum nomine tempora, luſtri*
> *Tempora ſervavi, ſceleris cui paruit autor*
> *Ignotus*———•———

Lego enim *ſervavi*, non *ſervati*, ut libri editi præferunt. Sed ille tantùm ad ea reſpicit, quæ Lib. 3. ſcripſerat de Succeſſione, ubi dixerat Marcionem ſub Aniceto Romam veniſſe, & per *luſtrum* nihil aliud voluit quàm ſpatium temporis, quo quiſque Epiſcopus ſedit, quod nullibi definivit; ut cùm ait,

> *Sextus Alexander Sixto commendat ovile,*
> *Poſt expleta ſui quì luſtri tempora tradit*
> *Teleſphoro*———•———

CAP.

CAP. IV.

I. *In primis Epiſcoporum Catalogis nulli memorantur dies emortuales. Serior illa* depoſitio Epiſcoporum *Bucheriana.* II. *Recepta de primis Romæ Epiſcopis pleriſque Martyribus ſententia erronea eſt.* III. *Notarios colligendis Martyrum geſtis primus inſtituit Fabianus.* IV. *Nec ultra Fabiani memoriam ſurgunt geſta Eccleſiaſticis monumentis inſerta.* V. Depoſitionis *tam* Epiſcoporum, *quàm* Martyrum *Bucherianæ tempus eruitur.*

I. ILlud certe ulteriori conſideratione dignum eſt, quod Valeſius tradidit de diebus obitûs Epiſcoporum in Eccleſiæ diptychis quaſi ab initio conſervatis, unde Succeſſiones apud Euſebium magni faciendas putat. Nam ſi dies illi ab initio conſervati, & illis, qui Succeſſiones tradiderint, cogniti fuiſſent, magna lux Hiſtoriæ & Chronologiæ Eccleſiaſticæ inde affulſiſſet. Sed ut de Diptychorum primorum ætate hic nihil dicam, nemo qui ante Euſebium ſcripſit, de die obitûs alicujus Epiſcopi in Eccleſiâ Romanâ, de quâ nunc agimus, quicquam tradidit. In illâ Succeſſione, quam primus memorat Irenæus, ordo tantummodo Epiſcoporum per ſeriem quandam ſive ſequelam continuatus, obſervabatur; ut apud ipſum Irenæum legimus, lib. 3. cap. 3. Τῇ αὐτῇ τάξει, ἡ τὴν αὐτὴν διαδοχήν. Ita legendum, non διάδοχῇ, ſecundum Euſebii codices. Vetus Interpres, *Hac ordinatione, & ſucceſſione.* Ut apud Epiphanium, Ἡ τῶν ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπων διαδοχὴ ταύτην ἔχει ἀκολουθίαν. *Succeſſio Romæ Epiſcoporum hanc habet ſeriem.* Nondum

Nondum autem horum Epiſcoporum, quorum nomina & numerus, & ordo in ſucceſſionibus repræſentabantur, tempora & anni, nondum dies ordinationis, aut obitûs ſingulorum ullo modo innotuiſſe noſcuntur. Neque verò Euſebius diem obitûs cujuſpiam Epiſcopi Romani commemorat. Extat quidem apud eum S. Polycarpi dies obitûs, quia maximè illuſtris inter Martyres fuit, cujúſque Martyrium ab illâ Eccleſiâ, cui præfuit, conſcriptum eſt. Reliqua Martyria eo modo edita in unum volumen ab eo hinc inde collecta periêre. In libro de Martyribus Palæſtinæ, qui ſub Diocleſiano paſſi ſunt, dies plerumque exprimitur, ſed inter eos vix unus Epiſcopus memoratur. Certè in aliquibus Eccleſiis Epiſcopi diu Martyres non fuêre; & *ex quo Carthagini Epiſcoporum ordo memoratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis Sacerdotibus, ad Paſſionem (ante Cyprianum) veniſſe memoratur*, ut tradit Pontius. De die quidem obitûs Epiſcoporum habemus aliquam memoriam in Eccleſiâ Romanâ, de quâ agimus, in Opuſculo apud Bucherium edito, quæ *Depoſitio Epiſcoporum* indigitatur. Sed quod ad diſquiſitionem noſtram pertinet, nimis hæc ſera ſunt. Nam nullus ibi Epiſcopus ante Lucium nominatur, qui ſub Gallo & Voluſiano mortuus eſt An. Dom. CCLIII. ut reliquorum, eorum ſaltem qui Martyres non erant, dies obitûs ætate Liberii Pontificis minimè conſignati fuiſſe videantur, nequidem Teleſphori, qui glorioſiſſimè Martyrium fecit.

Iren. verba l. 3. adv. Hæreſ. c. 3.

II. Si credamus Martyrologio Romano, & Breviariis, & Libro Pontificum, priores omnes Romæ Epiſcopi Martyrium ſubiêre; coſque magna ex parte vitam Martyrio finiiſſe in confeſſo eſt, inquit Blondellus, qui contra Succeſſionem Epiſcopalem in Eccleſiâ Hieroſolymitanâ diſputans etiam addit, *Primos Romanæ Eccleſiæ Præſules, quos dira ſeculi furentis rabies, vitâ pro Chriſto profuſâ, exegit, ad paucos nonnunquam menſes præfuiſſe nihil mirum.* Sed inter primos illos Præſules Anterus ſanè primus fuit, cujus Pontificatus menſibus numeratur, qui deceſſit Anno Dom. CCXXX;

CCXXX; ſecundus autem Xyſtus, qui paſſus eſt An. Dom. CCLVIII. Et ſi vetuſtiſſimos ſcriptores conſulamus, non inveniemus Martyrem inter eos Præſules ante Teleſphorum, nec poſt eum ante Pontianum. Alia hujuſmodi rerum apud Veteres ratio habetur. Verba quidem Onuphrii in Annotationibus ad Platinæ Hyginum hæc ſunt: *A S. Petro uſque ad Teleſphorum omnes Pontifices ob Chriſti confeſſionem capitis pœnas dediſſe*, Damaſus autor eſt: quæ tamen ita intelligenda ſunt, non quaſi iſta ſcripſerit Damaſus, quæ nuſpiam ſcripta leguntur; ſed quòd Onuphrius ipſe ex libro Pontificali obſervaſſet ſingulos Pontifices uſque ad Teleſphorum Martyres dictos fuiſſe. Quæ tamen obſervatio non adeò certa eſt, ut ſtatim recipi debeat. Nam in vulgatis Codicibus iſtius libri Cleto Martyrium non tribuitur, & iſta verba *Martyrio coronatur* à Labbeo in margine adduntur, ut opinor, ex Anaſtaſio. De Anacleto ibidem traditur eum *ſepultum eſſe in pace*, Martyrium ſubiiſſe non traditur. Alexander, ut idem inquit, *Martyrio coronatur*. Sed ea verba cum ſequentibus abſunt à C. H. ut Labbeus teſtatur. Et nullius hæc ponderis ſunt ex Pontificali deſumta, cùm in ſecundo Catalogo, libro Pontificali antiquiore, nec Anacletus nec Euariſtus, Martyrium ſubiiſſe memoratur.

III. Neque hoc mirum cuiquam videri debet: Nam, ut ego quidem puto, ante tempora Fabiani Epiſcopi Romani nulla talium rerum publica & conſtans conſignatio Romæ habita eſt. De eo Pontifice in Vetuſtiſſimo Catalogo legimus, *Hic regiones diviſit Diaconibus*: & in ſecundo Catalogo, *Hic regiones diviſit Diaconibus, & fecit ſex vel ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis immanerent, ut geſta Martyrum fideliter colligerent.* Et in Pontificali, *Hic regiones diviſit Diaconibus, & fecit ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis immanerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent.* Et Pſeudo-Iſidorus Epiſtolâ Fabiani primâ: *Septem ergò Diaconos in urbe Româ per ſeptem regiones civitatis, (ſicut à Patribus accepimus) habeamus.* Et paulo poſt,

poſt, *Denique ſeptem ſimiliter Subdiaconos ordinavimus, qui ſeptem Notariis imminerent, & geſta Martyrum veraciter in integro colligerent, nobiſque rimanda manifeſtarent.* Ita ille ex Geſtis Pontificalibus; ſed hæc vera fuiſſe de Fabiano ego quidem credo, nam Cornelius, qui Fabiano ſucceſſit, notat ſub ſuo Pontificatu Romæ fuiſſe cum ſeptem Diaconis, ſeptem Subdiaconos, apud Euſeb. Hiſt. lib. 6. cap. 43. & non multo poſt Fabiani mortem, idem ut fieret, præcepit S. Cyprianus in Eccleſiâ Carthaginenſi, Ep. 37. vel potiùs aliquid amplius: Nam de Confeſſoribus loquens, qui fortè in carcere morerentur, *Denique*, inquit, *& dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Morem enim eum memorias Martyrum celebrandi tunc, & antea in uſu fuiſſe idem indicat Ep. 34. & idem ante eum Tertullianus, & poſt eum Pontius. Et Gregorius Thaumaturgus, Cypriano ſynchronus poſt Decii perſecutionem, Προσθήκην ἐποιοῦντο τοῖς ἀπαρχῶν λαοῖς ἡ περὶ τὸ θεῖον σπουδὴ, πάντ' ἐπὶ τὴν ὁσημέραι τῇ πίστει Πανηγύρεις νομοθετήσασα. Καὶ μεταβάσεις ἄλλοθεν ἀλλαχῆ τῶν Μαρτύρων τὰ Σώματα, καὶ τῷ ἐτησίῳ τοῦ ἡλιακοῦ κύκλου περιόδῳ, Συνόδους ἠγάλλοντο, τῇ τιμῇ τῶν Μαρτύρων Πανηγυρίζοντες. *Additamentum faciebat ubique ſtudii erga Deum, Martyrum Panegyres lege ſanciens. Et alio in alium locum Martyrum corpora deducente, per annui Circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ſolennes conventus celebrantes.* Quod tanquam magnæ ſapientiæ Thaumaturgi argumentum laudat Gregorius Nyſſenus in ejus vitâ.

IV. Quòd autem idem tribuit libri Pontificalis Auctor Clementi, temporibus Galbæ & Veſpaſiani, omnem fidem ſuperat; & miror Baronium Martyrolog. Rom. c. 8. aſſerere potuiſſe Protonotarios initio naſcentis Eccleſiæ ſub Clemente Romano Pontifice res geſtas Martyrum locupletiùs & diligentiùs ſcripſiſſe, quàm ipſe ſcripſit Euſebius; atque

à

à temporibus S. Clementis Martyrologium Romanum originem deducere, & initium auſpicari. Dies obitûs Calliſti, & Pontiani in Depoſitione Martyrum, ut & Anteri in Vetuſtiſſimo Catalogo, memorantur; ſed hi facilè à Notariis Fabiani ex recenti memoriâ conſignari potuerunt. Teleſphorus autem quem gloriosè Martyrium ſubiiſſe teſtatur Irenæus, quoniam pluſquam integro ſeculo Fabianum præceſſit, in Depoſitione Martyrum non memoratur. Ego planè ſentio Fabianum Pontificem, qui ſub Imperio Maximini poſt relegationem Pontiani, & mortem Anteri, Prædeceſſorum ſuorum ordinatus eſt, ſtatim poſt Perſecutionem eam, quæ breviſſima fuit, pacatiſſimo tempore Regiones diviſiſſe Diaconis, & Subdiaconos inſtituiſſe, & multas fabricas per cœmeteria fieri juſſiſſe, & ſimul inſtituiſſe, ut geſta Martyrum colligerentur circa An. Dom. CCXXXVI. Nec enim mihi placet moroſa illa Rigaltii, Eccleſiaſticis Viris ſæpiùs iniquioris, obſervatio; qui Subdiaconos primum inſtitutos fuiſſe ait ex ſuperbiâ & inertiâ Paſtorum Eccleſiæ. Utcunque ſit, Succeſſiones iſtæ circa medium ſecundi Seculi primò literis conſignatæ diſtinctionem temporum & annorum præ ſe non ferebant.

V. Hæc de initio Epiſcopatûs Fabiani ſententia noſtra, & de publicâ dierum obitûs in Eccleſiâ Romanâ obſervatione, ne quis eam ex arbitrio noſtro nos poſuiſſe, aut ex ſolâ interpretatione locorum hactenus adductorum hauſtam propoſuiſſe ſentiat, particulariùs explicanda, illuſtranda, & ſic fortiùs probanda eſt. A tempore Perſecutionis Maximinianæ dies obitûs Romæ Epiſcoporum, qui Martyrium ſubiere, ſine dubio publicâ curâ conſignati ſunt; & proinde in Eccleſiæ Romanæ Archivis conſervati, ut dies obitûs Pontiani, qui ſub eâ Perſecutione primò *diſcinctus* eſt; & Anteri, qui eodem Anno, quo ordinationem ſuam Fabianus accepit, & quidem paulo antè, Martyrio coronatus eſt. Ex his Eccleſiæ Archivis, quòd præcipuè Romanos Epiſcopos ſpectat, confecta eſt *Depoſitio Martyrum* apud Bucherium extans; quæ circa annum Æræ Vet. Pontifical.

vulgaris CCCLX. ſcripta eſſe videtur. Sed & eâdem operâ, Epiſcoporum qui Romæ deceſſerunt, etiamſi cruentam mortem non ſubierant, dies obitûs poſtea conſignati ſunt, & conſervati. Eam *Depoſitionem Epiſcoporum*, ut nunc exſtat, ſub Julii Epiſcopatu primò collectam, ſub Liberio perfectam eſſe, ſive ultimam manum accepiſſe ſentio. Ratio diſtinguendi, tempora collectionis, & perfectionis in eâdem *Depoſitione*, hæc mihi ſatis idonea, imò perquam neceſſaria videtur. Dies enim *Depoſitionis* non diſpoſiti ſunt ſecundum ſeriem ſucceſſionis Epiſcoporum qui deponebantur; ſed ſecundum ordinem menſium quibus quiſque obiit, incipiendo à Januario, & in Decembri deſinendo. Inter quos cùm Marcus, qui deceſſor Julii fuit, memoretur ſecundum ordinem menſis quo obiit, Octobri ſcilicet, illa collectio fieri non potuit ante Epiſcopatum ſucceſſoris ejus Julii. Rurſus cùm Julii, qui poſt omnes Præſul fuit, Depoſitio extra & infra ordinem menſium poſita ſit; & poſt Decembris mentionem pridie Idus Aprilis facta eſſe memoretur, vel inde conſtat priorem *Depoſitionis* partem cum Decembri finientem, ſub Julio collectam fuiſſe, & hanc unicam additionem poſt Julii mortem ſub Liberio acceſſiſſe. Harum *Depoſitionum*, ſive *Martyrum*, ſive *Epiſcoporum* Romæ, nec vola, nec veſtigium ante Epiſcopatum Pontiani, ſive Perſecutionem Maximinianam, extat: & quod maximè ſententiam noſtram confirmat, Autor antiquiſſimi Catalogi Pontificum Romanorum à Pontiano & Antero incipiens, dies obitûs ſuccedentium Epiſcoporum plerumque annotat, nullum diem emortualem cuiquam ante Pontianum aſſignat.

CAP.

CAP. V.

I. *Hæreticis (ſub Seculi ſecundi initium) Traditionis Apoſtolicæ Succeſſionem venditantibus, inde facta eſt Catholicis occaſio, ut & ipſi Succeſſorum in Eccleſiis, præſertim Apoſtolicis, tabulas conficerent.* II. *Iſtiuſmodi tabulas primus collegit Hegeſippus, cujus vera, adverſus Valeſium, lectio defenditur.* III. *Item adversùs Halloixium.* IV. *Vera loci interpretatio ulteriùs confirmatur.* V. *Etiam ex Hieronymo.*

I. HArum Succeſſionum naturam multo penitius cognoſceretur, ſi eorum originem reperire poſſemus; veriſimile enim non eſt apud Eccleſias celeberrimas in Archivis Tabulas aliquas conſervatas eſſe, in quibus nomina Epiſcoporum ſcriberentur; neque puto eum Eccleſiarum ſtatum ab initio fuiſſe, ut de talibus, aut rebus, aut ſcriptis, aut Reconditoriis cogitarent. Multo probabilius mihi videtur, tales Tabulas confectas eſſe, poſtquam Eccleſiæ videbantur neceſſariæ. Vetuſtiores enim Hæretici dogmatibus ſuis ab ipſo initio ſecundi Sæculi patrocinium ex eo quærebant, quòd illa ab Apoſtolorum diſcipulis didicerant: Ut Baſilides Glauciam Petri interpretem, Magiſtrum ſuum fuiſſe gloriatus eſt: Et Valentinus profeſſus eſt ſe audiviſſe quendam nomine Theodadi, diſcipulum S. Pauli. Quare Catholici hoc argumento levi & imbecillo preſſi, ad certos & indubitatos Apoſtolorum ſucceſſores provocabant; adeoque Tabulas in Eccleſiis præſertim Apoſtolicis conficiendas curabant: Certi autoritatem ab Epiſcopis per Apoſtolos conſtitutis, eorumque ſucceſſoribus indubitatâ ſerie continuatis petitam maximè

valituram eſſe contra prætextum unius, aut alterius hominis obſcuri, qui fortè Apoſtolorum aliquem aliquando audiverat.

II. Hujuſmodi Epiſcoporum ſucceſſionis in Apoſtolicis Eccleſiis Tabularum, aut ego fallor, aut Hegeſippus primus, vel inter primos autor vel editor fuit, & quidem circa medium ſecundi Sæculi: ſic enim ille de ſeipſo loquitur apud Euſebium, l. 4. c. 22. Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου. Henricus quidem Savilius ad oram ſui Codicis pro διαδοχὴν ſcripſit διατριβὴν, quam emendationem neceſſariam putans Valeſius ſic Græca tranſtulit, *Romam verò cùm veniſſem, manſi ibi apud Anicetum.* Quæ quidem Verſio ſi proba ſit, hanc noſtram conjecturam de Hegeſippo funditus evertit; ſed eſt nimis manifeſtò detorta: nam μέχρις Ἀνικήτου, *apud Anicetum*, nunquam ſonat: Ἄχρι & μέχρι Græcè aliud ſignificat: Heſyc. Μέχρι, ἕως πρὸς. Suidas, Ἄχρι, ἀντὶ τοῦ μέχρι, ἕως. Lex. Græco-lat. Μέχρι τοῦ, *uſque adhuc*, & Μέχρι τότε, *uſque eò*. Lex. Cyrilli, Μέχρι δεῦρο, μέχρι ἅδου, ἕως τοῦ νῦν. Quare μέχρις Ἀνικήτου non magis ſonat *apud Anicetum*, in verbis Hegeſippi, quàm μέχρις Ῥώμης, *apud Romam*, paulo ante in verbis Euſebii. Quàm abſurdum enim eſſet, ſi quis illa Euſebiana de Hegeſippo διατρίβων τελάμων μέχρις Ῥώμης, ſic interpretari vellet, *cùm apud Romam, vel Romæ, proficiſceretur?* Vidit hoc Vir perſpicaciſſimus, ideoque in Annotationibus, quibus Verſionem ſuam aut corrigere, aut emollire ſolet, tradit Hegeſippum tantùm dixiſſe, *Se Romæ manſiſſe uſque ad Pontificatum Aniceti:* Quod ut aliquo modo tueretur, addidit, *Romam ergò venerat Hegeſippus ſub extrema Pii tempora*, ſine ulla autoritate, aut veriſimilitudine; & contra expreſſam ſententiam Euſebii, & Hieronymi, qui eum non ſub Pio, ſed ſub Aniceto Romam veniſſe diſertè tradunt.

tradunt. Cùm igitur illa Marginis obſervatio in hos errores tantum Virum deduxerit, cùm MSS. Codices, quibus uſus erat, nihil tale ipſi ſuggeſſerint; cùm Robertus Stephanus in vetuſtis Codicibus nullam hîc lectionis varietatem animadverterit; cùm Ruffinus, qui ei præivit, tam abſurdè locum tranſtulerit, (*Cum autem veniſſem Romam, permanſi ibi donec Aniceto Soter, & Soteri ſucceſſit Eleutherus*) aliud aliquid his verbis ſignificari ſentio.

III. Certè Halloixii effrænis licentia in hoc loco corrumpendo minimè ferenda eſt, qui primò ſuppoſuit hunc locum valdè corruptum eſſe in Græcis Exemplaribus, partim ex dictionum tranſpoſitione, partim etiam ex commutatione; quo ſuppoſito non tantùm Διαδοχὴν in Διαβιβὴν, nemine præeunte, convertit; ſed & pro μάχρις Ἀνικήτου legit πρὸ Ἀνικήτου, quòd paulo inferius extra locum ſuum ex vitio, vel librariorum, vel typographorum poſitum fuiſſe putat. Et rurſus pro καὶ πρὸ Ἀνικήτου Διαδόχου Σωτῆρ, extrita Particula καὶ, ſubſtituit μάχρις Ἀνίκητος Διαδόχου Σωτῆρ, ſicque interpretatur, *donec Aniceto ſucceſſit Soter*; quaſi μάχρις Ἀνίκητος Διαδόχου benè Græca eſſent, aut eum ſenſum funderent; qui denique hæc à ſeipſo peſſimè excogitata pro ipſis Hegeſippi verbis edidit, adeóque ſententiam ſuam à ſe confictam pro Hegeſippianâ dedit.

IV. Ego veterem lectionem in hoc Hegeſippi loco minimè ſolicitandam, ſed omnino retinendam puto; cujus ex loci integri inſpectione ratio ſtatim conſtabit. Sic igitur Hegeſippus, Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμην μάχρις Ἀνικήτου, οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος, καὶ πρὸ Ἀνικήτου Διαδόχου Σωτὴρ, μεθ' ὃν Ἐλεύθερος· ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ, καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει ὕπως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει, καὶ οἱ προφῆται, καὶ ὁ Κύριος. *Romæ verò cum eſſem, ſucceſſionem compoſui uſque ad Anicetum, cujus Diaconus erat Eleutherus,*

therus, & *Aniceto ſucceſſit Soter*, *poſt quem Eleutherus: In omni autem Succeſſione*, & *in omni civitate res ita ſe habet, ut Lex prædicat*, & *Prophetæ*, & *Dominus*. Mihi hæc clariſſima videntur: Hegeſippus longum iter inſtituit Romam uſque, multas civitates adiit, multis Epiſcopis ſe adjunxit; Corinthi cùm eſſet, de origine ejus Eccleſiæ quæſivit, de Epiſtola S. Clementis certiorem ſe fecit; illam Eccleſiam ab eo tempore in rectâ fide permanſiſſe uſque ad Primum tunc Epiſcopi locum ibidem tenentem, obſervavit. Romam inde adiit, ibique ſucceſſionis Tabulam confecit uſque ad Anicetum, ſub cujus Pontificatu Romam venit, ut Euſebius teſtatur l. 4. c. 11. obiterque poſtea, cùm Commentarios ſcriberet ſub Eleuthero, è quibus hæc verba tranſcripta ſunt, monuit Aniceto ſucceſſiſſe Soterem, Soteri Eleutherum, qui Aniceti Diaconus erat eo tempore, quo Romæ fuit, addiditque, ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ, *in omni verò ſucceſſione*, & in unaquaque civitate rectam fidem conſervatam eſſe. Quæ cùm ſint ad noſtram interpretationem confirmandam inprimis comparata, Halloixius illa ἐν ἑκάστῃ διαδοχῇ, in Hegeſippi verbis recitandis penitùs omiſit. Hanc autem veterem lectionem & interpretationem noſtram, quâ διαδοχὴν ἐποιησάμην, *Succeſſionem compoſui*, vel Succeſſionis Tabulam confeci redditum eſt, non alio argumento rejicit Halloixius, quàm quòd non ſit *uſitatiſſima locutio*. Cui facilè reſpondetur ex Hieronymo, qui modum loquendi ab Hegeſippo in Hiſtoria uſurpatum obſervavit. Ille enim in Catalogo de illo veteri Scriptore, *Quinque libros compoſuit ſermone ſimplici, ut quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret charactérem.*

V. Hæc prima mihi videtur Epiſcoporum Romæ Succeſſionis obſervatio, quæ poſtea maximi uſûs fuit adverſus Hæreticorum deliria, ab Irenæo primò in eum finem, ab aliis poſtea ſæpius uſurpata. Nam, ut refert Hieronymus, *Hegeſippus vicinus Apoſtolicorum temporum, omnes à paſſione Domini*

Domini uſque ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros compoſuit. Quòd ſi Succeſſiones Epiſcoporum ante ejus ætatem factæ extitiſſent, quorſum ille in unaquâque civitate diligenter quæreret, qui Epiſcopi ab initio præfuerint? quorſum Succeſſionis Tabulam Romæ conficeret uſque ad Anicetum pertingentem, tamdiu antequam Hiſtoriam ſcripſit?

CAP. VI.

I. *Fundarintne Eccleſiam Romanam Petrus & Paulus?* II. *Affirmant Irenæus, Epiphanius, Euſebius.* III. *Apoſtolos Eccleſiæ Romanæ non Fundatores modo, verum etiam Epiſcopos, ſtatuit Epiphanius.* IV. *A S. Petro ſolo Romanæ Eccleſiæ Succeſſionem arceſſunt Caius Græcus, & Latini Autores plerique.* V. *E Scripturâ probari nequit, ſeu Romæ fuiſſe S. Petrum, ſeu è contra.*

I. MAnet adhuc alia Quæſtio non de autore Tabulæ, ſed de ipſius Succeſſionis origine; an ſcilicet primus Romæ Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis habuerit autorem & anteceſſorem: Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ut loquitur Tertullianus. Quæ quidem Quæſtio ideo hîc ventilanda eſt, ut inde perſpicere poſſimus, an ea Succeſſio vere fuerit Apoſtolica, adeóque digna, pro qua tantopere contendere debuerint antiqui Patres, & nos etiamnum debeamus. Quamvis enim hac ætate de hac Apoſtolicâ Succeſſione inſtituta

Diſſer-

Diſſertatio quæſtio dici poſſit, in primitivâ tamen Eccleſiâ nunquam pro quæſtione, ſed pro verâ, & indubitatâ veritate habebatur.

II. Nam Irenæus, à quo hanc Romanæ Succeſſionis Tabulam primò accepimus, originem ejus clarè à duobus Apoſtolis, SS. Petro & Paulo arceſſit. Sic enim ille, Θεμελιώσαντες οὖν, καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι Ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν, Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν. *Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt*, ut habet Vetus Interpres lib. 3. cap. 3. Quinam autem hi Apoſtoli fuerint, idem paulo ante indicat, dum dicit ſe non omnium Eccleſiarum Succeſſiones enumerare velle; ſed unius tantum, *Maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ.* Ita Romanæ Eccleſiæ Succeſſionem enarrat Epiphanius, Hær. XXVII. Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γενέσθην πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος, οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι, εἶτα Λῖνος. *Romæ enim fuêre primi Petrus & Paulus, iidem Apoſtoli & Epiſcopi, deinde Linus.* Et paulo poſt, Ὅμως ἡ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐπισκόπων ἀρχὴ ταύτην ἔχει τὴν ἀκολουθίαν, Πέτρος καὶ Παῦλος, Λῖνος, Κλῆτος. *Attamen Romanorum Epiſcoporum ſucceſſio hanc habet ſeriem; Petrus & Paulus, Linus, Cletus.* Sic Irenæus dicit Hyginum Romæ nonum locum Epiſcopatûs per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuiſſe. Sic Euſebius, l. 3. c. 21. Ἐν τούτῳ δὲ Ῥωμαίων εἰσήει Κλήμης ἡγεῖτο, τρίτον ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τὸν τῆδε μετὰ Παῦλόν τε καὶ Πέτρον ἐπισκοπεύσαντων βαθμόν. Et rurſus, lib. 4. cap. 1. Ἐν τούτῳ καὶ Ἀλέξανδρος, ἐπὶ Ῥώμης ὄγδοον ἔτος ἀποπληρώσαντος Εὐαρίστου, πέμπτῳ ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου κατάγων ἀφ' Ἑλκιὰ, τὴν ἐπισκοπὴν ἀπολαμβάνει. *Eodem tempore, cùm Euariſtus annos octo exegiſſet, Romæ Epiſcopatum ſuſcepit Alexander, quintum à Petro & Paulo*

Paulo Succeſſionis obtinens locum. Ita Græci Irenæus, Euſebius, Epiphanius originem Succeſſionis ab utroque Apoſtolo deducunt.

III. Eodem ſenſu in Hæreſi Cerdonianorum Epiphanius ait, Hyginum poſt Jacobum, Petrum ac Paulum Apoſtolos, nonum Epiſcopalis Succeſſionis locum tenuiſſe. Quomodo ex hoc loco eundem ſenſum Epiphanii exſculpſerit, quem Euſebio affixerat, non video. Vult Valeſius Euſebium S. Paulum fundatorem cum Petro Eccleſiæ Romanæ, ſed non Epiſcopum ſtatuiſſe: An hoc dicit Epiphanius? Imò ſi Valeſio credamus, ſic enim ille, *Siquis ex hoc loco contenderet Jacobum fuiſſe Epiſcopum Urbis Romæ unà cum Petro, is profectò ridiculus haberetur: idem quoque putandum eſt de Paulo.* Sed non minus ridiculus eſſet, qui ex eodem Epiphanii loco colligeret Jacobum fuiſſe Eccleſiæ Romanæ fundatorem. Illud certè voluit Epiphanius, & Jacobum, & Petrum, & Paulum Epiſcopos fuiſſe, Petrum & Paulum Romæ, Jacobum Hieroſolymis. Hoc ex pluribus Epiphanii locis manifeſtum erit. Primo Hæreſ. LXXI. ubi Apoſtolos enumerat Σὺν Ἰακώβῳ τῷ ἀδελφῷ τοῦ Κυρίου, καὶ πρώτῳ ἐπισκόπῳ Ἱεροσολύμων, *cum Jacobo fratre Domini, & primo Hieroſolymorum Epiſcopo.* Ἐξ οὗ πρῶτ ἐπισκόπου, καὶ τῶν προκηρυχθέντων Ἀποστόλων καὶ ἱστάντων ἀμφοτέρους ἐπισκόπους, καὶ πρεσβυτέρους, ἐν οἴκῳ Θεοῦ. *Ex quo Epiſcopo, & prædictis Apoſtolis Succeſſiones Epiſcoporum, & Presbyterorum, in domo Dei conſtitutæ ſunt.* Succeſſio ſcilicet Hieroſolymitana ab Epiſcopo Jacobo, Romana à Petro & Paulo, Apoſtolis & Epiſcopis. Sic enim ipſe loquitur, Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος, οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι, εἶτα Λῖνος, εἶτα Κλῆτος. *Romæ enim fuêre primi Petrus & Paulus, iidem Apoſtoli & Epiſcopi, dein Linus, dein Cletus.* Ubi apertè docet Paulum non minus quàm Petrum, & Apoſtolum, & Epiſcopum fuiſſe, & à Paulo non minus quàm à Petro ſucceſſionem Epiſcoporum Romanorum

deducit. In Hæreſi quidem LXXI. Jacobum Epiſcopum tantùm nominat, quia putavit eum à duobus Apoſtolis diſtinctum, adeoque Apoſtolum non fuiſſe; Petrum autem & Paulum tum Apoſtolos, tum Epiſcopos fuiſſe dixit, ut ab illis Succeſſionem Epiſcoporum derivaret. Verum eſt igitur, quod diximus, veteres Græcos Patres Petrum & Paulum pro Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ habuiſſe.

IV. Caius quidem Græcè ſcripſit contra Artemonem, & ſolum Petrum nominavit, à quo Succeſſio derivata eſt; ſed erat ille Eccleſiæ Romanæ Presbyter, ut Veteres teſtantur. Latini verò Patres S. Paulum hîc non nominant, ſed à ſolius Petri ordinatione ſucceſſionis originem petunt. Ut Tertullianus de Præſcriptione, cap. 32. *Hoc enim modo Eccleſia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert; ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum itidem.* Hujus Succeſſionis à S. Petro ſæpius meminit S. Cyprianus; in Ep. LV. *Cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret:* Alibiq; ſæpius, ut in ſecundâ Diſſertatione oſtendemus. Idem docebat Cypriano ſynchronus, Papa Stephanus, ut patet ex Epiſtolâ Firmiliani, in quâ de eo in hunc modum loquitur: *Qui ſic de Epiſcopatûs ſui loco gloriatur, & Succeſſionem Petri tenere contendit.* Ac rurſus, *Qui per ſucceſſionem Cathedram Petri habere ſe prædicat.* Hoc voluit vetuſtiſſimi Catalogi Autor in Procœmio: *Poſt aſcenſum Chriſti beatiſſimus Petrus Epiſcopatum ſuſcepit. Ex quo tempore per ſucceſſionem diſpoſitum, quis Epiſcopus, & quot annis præfuit, vel quo imperante.* Mox Optatus, lib. 2. *Ergo Cathedra unica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus; cui ſucceſſit Linus.* Et Libro primo, *Nec Cæcilianus receſſit à Cathedra Petri, vel Cypriani, ſed Majorinus.* Hieronymus in Catalogo, *Clemens quartus poſt Petrum Romæ Epiſcopus.* Et rurſus, *Quamvis plerique Latinorum ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putent fuiſſe Clementem.* Sulpitius de Imperio Neronis agens: *Eo tempore divina apud Urbem religio invaluerat, Petro ibi Epiſcopatum gerente, & Paulo, poſtquam ab injuſto Præſulis*

Præſulis (aut Præſidis) judicio appellaverat, Romam deducto. Auctor Quæſtionum utriuſque Teſtamenti, cap. 110. *Nam & ordinem ab Apoſtolo Petro cæptum, & uſque ad hoc tempus per traducem ſuccedentium Epiſcoporum ſervatum perturbant.* Idem docet Auguſtinus, Epiſt. CLXV. ad Generoſum, *Si enim ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti, Dominus ait,* Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam? Idem ipſe alibi, & Fulgentius, locis capite tertio citatis, aliique complures.

V. Et quidem S. Paulum Romæ fuiſſe, eique Eccleſiæ præfuiſſe, ex Actis Apoſtolorum conſtat, ut à nemine negari poſſit. Sed non defuerunt viri docti hoc, & priori Sæculo, qui apertè negarent S. Petrum Romæ Cathedram poſuiſſe, aut quenquam illic ordinaſſe, aut in ea urbe unquam fuiſſe. Cùm enim in Actis Apoſtolorum adventus Romam hujus Apoſtoli nullo modo indicatur, & aliqua etiam aliunde afferuntur, quæ tali adventui contradicere videantur, Petrum unquam Romæ fuiſſe negare non verentur. Hæc autem in hoc negotio prætereunda eſſe non putavi; ſed potius quod ad Hiſtoriam & Chronologiam pertinet, quas in hoc Opere conjungo, examinanda: neque aliter judicium noſtrum interponendum eſſe ſentio. Largior equidem ex S. Scripturâ probari minimè poſſe S. Petrum unquam Romam vidiſſe; quod videtur etiam Hieronymus nobis largiri, dum in Commentario ad cap. 2. Epiſtolæ ad Galatas ait, *Denique primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde tranſlatum, quod Lucas penitus omiſit.* Neque mirum. Nam nec Titi S. Pauli comitis uſquam meminit Lucas, cujus Apoſtolus ipſe toties meminit in Epiſtolis. Sed dum hoc largior, ex eadem Scripturâ probari poſſe eum Romæ nunquam fuiſſe non puto. Hic igitur fidem hiſtoriæ, licet non divinæ, & rationem ex circumſtantiis ab ultima antiquitate depromptis innixam locum habere

poſſe ſentio. Quod ad tempora & annos, quos Sedi ejus Antiochenæ & Romanæ vulgo tribuunt, puto eos S. Scripturæ refragari, nec ullo Veteris Eccleſiæ teſtimonio ſatis idoneo niti, ideoque eam partem Chronologiæ penitus rejiciendam eſſe facilè impræſentiarum concedo, & mox probabo.

CAP. VII.

I. *S. Petrum Romæ fuiſſe probatur* II. *ex Ignatio, Papiâ, vetuſtiſſimo* χρόνογραφος Πάπια *Autore,* III. *è Dionyſio Corinthio,* IV. *ex Irenæo, Caio, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Origene, Cypriano, Lactantio, Euſebio, Athanaſio, Epiphanio, Juliano Apoſtatâ, Auguſtino, Palladio.* V. *Mirum itaque reperiri potuiſſe qui Petrum Romæ unquam fuiſſe negarent.*

I. PRimò igitur ea ex ſcriptis antiquiſſimorum Patrum adducenda ſunt, quæ Apoſtolum Petrum Romæ fuiſſe aut diſertè aſſerunt, aut apertè ſatis indicant; quæque ex ætate, quâ ſcripta ſunt, & circumſtantiis, quibus veſtiuntur, aut ſingulatim, aut conjunctim ad eam rem demonſtrandam optimè comparata eſſe videantur.

II. S. Ignatius Epiſtola ad Romanos, Οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος ὑμῖν διατάσσομαι· ἐκεῖνοι ἀπόστολοι, ἐγὼ κατάκριτος· ἐκεῖνοι ἐλεύθεροι, ἐγὼ μέχρι νῦν δοῦλος. Vetus Interpres; *Non ut Petrus & Paulus præcipio vobis: Illi Apoſtoli, ego condemnatus; illi liberi, ego uſque nunc ſervus.* Quid enim ex his verbis ad Romanos ſcriptis apertius, quàm ſanctiſſimum Martyrem in ea ſententia fuiſſe,

fuiſſe, quòd Petrus non minus quàm Paulus Romæ Evangelium prædicaverit & paſſus ſit? Certè S. Chryſoſtomus hunc locum reſpexiſſe videtur, cùm de Româ ait, Διὰ τοῦτο ὁ Πέτρος ὁ Παῦλος, καὶ μετ' ἐκείνους οὗτος ἐκεῖ πάντες ἐτελέσαντο. *Propterea Petrus & Paulus, & poſt eos hic* (Ignatius) *illic* [Romæ] *omnes paſſi ſunt.* Poſt S. Ignatium Papias Epiſcopus Hierapolitanus, Ἰωάννου ἀκουστὴς, Πολυκάρπου ἑταῖρος, ἀρχαῖος ἀνὴρ, *Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo,* (ut teſtatur Irenæus, l. 5. c. 33.) qui Vir adeo antiquus eodem tempore vixit, quo iſta ſcripſit Ignatius, idem de Petro teſtari videtur apud Euſebium, l. 2. c. 15. Ibi enim teſtimonium ejus ſententiæ Clementis adjungitur de Evangelio Marci Romæ ſcripto, & à S. Petro Romæ approbato. Idem etiam Papias tradidit Petri Epiſtolam primam Romæ ſcriptam fuiſſe, & Babylonem in eâ Epiſtolâ nominatam ſignificaſſe Urbem Romanam. Erat ille quidem mediocri ingenio præditus, & hæreſi Millenariorum infectus, traditioni maximè adhærebat. At illa duo ab eo prodire, & ab aliis tam avidè recipi, & probari non potuerunt, ſi eo tempore traditio ubique recepta non fuiſſet, Petrum Romæ aliquando fuiſſe. An ille, cum Apoſtolorum diſcipulis diu multumque verſatus, hæc excogitaſſet, ſi illi noviſſent Petrum Romæ nunquam fuiſſe; imò ſi non ab illis accepiſſet, Petrum Romæ fuiſſe? An ille, qui in Proœmio librorum ſuorum teſtatur ſe ſolitum fuiſſe ex Apoſtolorum diſcipulis diligenter quærere, τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν, *quid Andreas, quid Petrus dixerit*, quid alii Apoſtoli, quid eorum diſcipuli, qui tunc in vivis erant, Ariſtion & Presbyter Joannes, ignorare potuit, ubi Petrus fuerit, cujus dicta ab ipſius diſcipulis acceperat? Hæc mihi videntur præſentiam Petri in Urbe Romanâ validiſſimè ſtabilire. Circa tractum temporis quo vixit Papias non longè poſt initium ſecundi Sæculi editum fuiſſe puto Κήρυγμα Πέτρου, *Prædicationem Petri*,

Petri, quia ſub finem ejuſdem Sæculi Clemens Alexandrinus tanquam ſcriptum vetus, librum eum ſæpè citat, & Stromat. lib. 6. multa ex iſto Opere tranſcribit & explicat. At in illo tractatu diſertè aſſerebatur Petrum & Paulum ſimul Romæ prædicaſſe: ita interpretor verba Lactantii, lib. 4. cap. 21. *Sed & futura aperuit iis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt. Et ea Prædicatio in memoriam ſcripta permanſit; in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum eſſe dixerunt, ut poſt breve tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret Judæos, & civitates eorum ſolo æquaret, ipſos autem fame ſitique confectos obſideret, &c.* Quiſquis igitur libri illius Apocryphi autor fuit, certè antiquus, oſtendit vetuſtiſſimam illam ſententiam, Petrum Romæ prædicaſſe, eâ ætate obtinuiſſe, quâ ipſe ſcripſit: ſcripſit autem ante Heracleonem; nam Origenes in Joannem, p. 211. quædam τὸ Ἡρακλέωνος τὰ ῥητὰ ἀπὸ τῆ ὑπογεγραμμένης Πέτρου κηρύγματος ἐξηλαγκασόμεθα fuiſſe teſtatur. Erat autem Heracleon, ab Irenæo obiter memoratus, Succeſſor Colarbaſi, teſte Epiphanio, Hæreſi XXXVI. & Magiſter Cerdonis, qui ſub Hadriano hæreticus extitit.

Iren. l. 2. c. 4.

III. Poſt Papiam, & autorem Prædicationis Petri, Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, extra controverſiam Catholicus, in Epiſtolâ ad Romanos ſub Sotere Papâ circa annum CLXIV. ſcriptâ, de S. Petro & Paulo, Καὶ γὰρ ἅμα, ἐὰν εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν, ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμοῦ διδάξαντες ἐμαρτύρησαν τῷ αὐτῷ καιρῷ. Inſigne hoc teſtimonium eſt, & omni exceptione majus. Non defuerunt tamen viri docti, qui illud falſi convincere conarentur. Hoc primò innuebat Joſephus Scaliger, *Poſt illum Dionyſium nemo, quod ſciam, inquit, ſcripſit eodem tempore Petrum cum Paulo Corinthi, & in Italia docuiſſe. Et nemo ei concedit, niſi qui Actis Apoſtolorum contraria ſentire velit.* Sed decepit magnum Scaligerum

ligerum verſio Ruffini, quem hîc ſecutus eſt. *Ambo etiam ſimul adventantes, & in noſtrâ Corinthiorum Eccleſiâ docuerunt, & per omnem Italiam atque in hac Urbe ſimul docentes, etiam Martyrio pariter uno eodemque tempore coronati ſunt.* Poſt eum Vir eruditus adhuc planiùs, *Falſus eſt non uno modo Dionyſius.* Scilicet primò, quia dixit Petrum & Paulum ambos ſimul egiſſe Corinthi; ſecundò, quia tradidit ambos in Italiam ſimul profectos eſſe. Eundem ſequitur errorem verſio Valeſii, qui ita tranſtulit, *Ambo enim illi in urbem noſtram Corinthum ingreſſi, ſparſo Evangelicæ doctrinæ ſemine, nos inſtituerunt, & in Italiam ſimul profecti, cùm eos ſimiliter inſtituiſſent, eodem tempore Martyrium pertulerunt.* Sed ut hunc ſenſum ex verbis Dionyſii, exculperet Valeſius; primò in priori membro hujus ſententiæ contra omnes Euſebii Codices, & editos, & ſcriptos ex ſolo Syncello pro φυτώσαντες legit φυτεύσαντες, & eandem vocem φυτεύσαντες in poſteriori membro ſententiæ ſupplendam docet. Vocem autem *ſimul* in Verſione unde habuerit neſcio; niſi fortè à Ruffino; nam vox ὁμοίως aliud ſignificat, quam in priori membro omiſit, in poſteriori extra locum ſuum poſuit. Et quidem φυτεύσαντες pro φυτώσαντες perperam omninò, & contra apertam Dionyſii mentem ſcribendum eſſe voluit. Nam hæc ſententia quaſi ratio priori ſubjicitur, ut particula γὰρ clarè ſignificat. Prior autem ſententia hæc eſt, ταῦτα καὶ ὑμᾶς διὰ τῆς τοιαύτης νουθεσίας, ἣν ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου φυτεύσαι γενομένους Ῥωμαίοις τε καὶ Κορινθίοις συνεκόμισε. Quam etiam ſic male reddidit Valeſius, *Ita & vos tantâ admonitione veſtrâ ſementem, quæ Petri ac Pauli ſatione ſuccreverat, Romanos ſcilicet & Corinthios, commiſcuiſtis.* Ex hoc tamen loco ſatis clare apparet τὸ φυτώσαντες in poſteriori ſententiâ ad φυτεύσαι in priori referendum eſſe, idque ὁμοίως, *ſimiliter*, bis poſitum ſatis innuit. Ut hæc omnia rectius intelligantur, integrum Dionyſii fragmentum ſimpliciter tranſferendum

ferendum cenſui. *Ita & vos ex tanta admonitione plantationem Romanorum & Corinthiorum à Petro & Paulo factam commiſcuiſtis. Ambo enim in Urbe noſtrâ Corintho plantantes nos ſimiliter docuerunt, ſimiliter autem & in Italia audacter docentes circa idem tempus Martyrium paſſi ſunt.* Τὸ φυτεύειν enim in Evangelii prædicatione Apoſtolorum erat, ut S. Paulus de ſeipſo dixit, ἐγὼ ἐφύτευσα, & φυτείαν, φυτεύειν, phraſis eſt Scripturaria, & utrumque hîc de Apoſtolis dicitur, & quidem propriè tanquam de præcipuis Eccleſiæ doctoribus. At qui τὸ φοιτᾶν Apoſtolis tribueret, eos non doctores, ſed diſcipulos efficeret. Nam φοιτᾶν Græcè eſt *crebrò*, ſed *frequenter itare*; non ad docendum, ſed ad diſcendum. Unde & φοιτηταὶ non ſunt doctores, ſed diſcipuli, & συμφοιτηταὶ, condiſcipuli. Qui igitur Petrum & Paulum nobis ſimul φοιτήσαντας deſcribunt, maximos Apoſtolos Corinthiorum & Romanorum diſcipulos faciunt. Ut cum Marcus Antoninus Imperator Sexti Philoſophi ſtudioſus fuit, ζηλώσαι αὐτῷ, καὶ φοιτᾶν ἐπὶ θύρας, *ipſum frequentans, & ad ejus fores ventitans*, Lucius exclamavit, Ὦ Ζεῦ, ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς γεγήρακεν ἤδη, μέλλων ἐξαφάδιον εἰς διδασκάλου φοιτᾶν, ὥσπερ οἱ παῖδες. *Proh Jupiter, Romanorum Imperator jam ſeneſcens, arrepta tabellâ ad Ludimagiſtri ædes itat, ut pueri*, ita ſcribit Philoſtratus in vitâ Sexti. Planè ut Agathias, lib. 2. Τύπτων μὲ οὖν οἱ πλεῖστοι, ἁλλ' οὐκ εἰς γραμματικὸν, ὁμοῦ, φοιτήσαντες· vel γραμματιστὸν, ut legebat Suidas. Quinetiam Valeſius ὁμοῦ, aut malè tranſtulit, aut penitus omiſit. Ὁμοῦ enim non magis hîc *ſimul*, quàm ὁμοίως ſignificat: ὁμοῦ διδάξαντες aliquid aliud ſignificat, nempe coram hoſtibus, & cominùs pugnantes doctrinam Chriſti prædicabant. Quod non indicat eos ſimul, & eodem tempore prædicaſſe: Nam Græcè ὁμοῦ ἑνὶ dicitur etiam unus, ſive perſona ſingularis, ut

Plato

Plato in Euthyphrone, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτῆς λέγε φροντίζειν, ἀλλ' ὁμόσε ἰέναι· & Hyperides Oratione contra Athenogenem, ἀλλὰ ὁμόσε βούλομαι τῷ λόγῳ τούτῳ ἐλθεῖν, quem locum exponens Harpocration notat ὁμόσε ἐλθεῖν idem eſſe quod συμβαλέσθαι, *cum hoſte confligere*, aitque metaphoricè dictum eſſe, Λέγεται δὲ ἐκ μεταφορᾶς ὁμόσε ταῖς λόγχαις ἰέναι, ἀντὶ τοῦ ἐξ ἐναντίας εἰς τὸ αὐτὸ ἔρχεσθαι, ἢ μὴ τρέπεσθαι, μηδὲ φεύγειν. *Dicitur autem ex metaphorâ, cum ipſis hoſtis congredi, pro ex adverſo in idem venire, & non regredi, neque fugere.* Sic igitur Apoſtoli Petrus & Paulus, ſive ſimul, ſive ſeparatim, ſive iiſdem, ſive diverſis temporibus in Italiâ Evangelii hoſtibus obviam ibant; cumque iis cominus congreſſi ſunt, & ex adverſo ſtantes, nec unquam retrocedentes, aut fugientes, ſed intrepidè & immobiliter perſtantes, circa idem tempus paſſi ſunt. Sic ὁμόσε exponit Suidas, ἐξ ἐναντίας, σφοδρῶς, ῥωμαίως. Nihil igitur huic Dionyſii teſtimonio objici poteſt, quod non facilè refellitur. Nam ſi S. Petrus fuerit Corinthi, quis eum etiam Romæ aliquando fuiſſe negabit? At certiſſimum eſt Petrum non minùs quàm Paulum Corinthi fuiſſe, & quidem antequam S. Paulus primam Epiſtolam dedit ad Corinthios. Ita enim Apoſtolus loquitur, 1 Cor. 1. 12. ἕκαστος ὑμῶν λέγει, ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλῶ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ. Unde colligitur non minus Cepham & Apollo, quàm Paulum Corinthi fuiſſe, antequam iſta ſcribebantur. Et quoniam nonnulli negant Cepham illum eſſe Petrum Apoſtolum, omnino obſervandum eſt iſtud eſſe merum effugium; cum S. Paulus ſæpe Petrum Cephæ nomine indigitet in hac Epiſtolâ, Petrum autem in eadem non nominet. Et in Epiſtola ad Galatas licet Petrum nominet, eundem tamen diſertè Cepham appellat, cap. 2. 9. Et in Codice Alexandrino, aliiſque MSS. cùm v. 11. tum 14. non Πέτρος, ſed Κηφᾶς habetur. Atque ita Veteres legiſſe

certum eſt, quoniam inde Controverſia orta eſt an Apoſtolus, an unus ex LXX. diſcipulis fuerit, cui Paulus Antiochiæ reſtitit; nam ſi Πέτρος in utroque iſto verſiculo, non Κηφᾶς ſcriptus extitiſſet, ea controverſia oriri nunquam potuiſſet. Ut autem antiquas verſiones prætermittam, certè Clemens Romanus ſatis benè novit, quis ille Cephas fuerit, cujus eo loco meminit S. Paulus. Ille autem in Epiſtolâ ad eoſdem Corinthios ait, Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου, τί πρῶτον ὑμῖν ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου ἔγραψεν; ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν περὶ αὐτοῦ τε καὶ Κηφᾶ, καὶ Ἀπολλώ. Et paulo poſt ſubjungit, παρεκέκλητο γὰρ Ἀποστόλοις μεμαρτυρημένοις, καὶ ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ' αὐτοῖς. *Propendebatis enim in Apoſtolos teſtimonio celebres, & virum ab illis probatum.* Quibus verbis clarè diſtinguit Paulum & Cepham duos Apoſtolos ab Apollo, non quidem Apoſtolo, ſed tantùm viro ab Apoſtolis probato, & quidem ab illis ipſis Apoſtolis Petro & Paulo. Nam à quo præter Paulum Apoſtolo probatus fuit Apollos, niſi à Petro? aut ubi à Petro probatus erat, ſi non Corinthi? Mirum enim eſt illud Grotii Gloſſema, *Alii ergo Corinthi, ab Apollo inſtituti poſt Pauli abitum, alii ab ipſo Paulo, alii qui è Judæa venerant à Petro.* Quare enim è Judæa veniſſe dicuntur, qui Petro adhærebant Corinthi? Nullos fuiſſe Corinthi Chriſtianos conſtat, antequam Paulus illis prædicavit. Nullos tunc etiam agnoſcit, qui ab Hieroſolymis, vel ante ſe, vel poſtea doctrinam Evangelii hauſerat, ut apparet ex illis verbis, *An à vobis verbum Dei proceſſit?* XIV. 36. Unde hoc didicit, ex quâ Scripturâ, ex quâ Hiſtoriâ? Clemens anſam huic interpretationi nullam præbuit, Ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν, περὶ ἑαυτοῦ τε καὶ Κηφᾶ τε [ita MS.] καὶ Ἀπολλώ, διὰ τὸ καὶ τότε προσκλίσεις ὑμᾶς ποιεῖσθαι. *Reverâ Spiritualiter ad vos ſcripſit, & de ſeipſo, & tum de Cepha, tum de Apollo; propterea quòd etiam tum vos inclinationes feceratis.* Non obſcurè enim,

enim indicat, ad perſonas Apoſtolorum inclinationes illas ſeu propenſiones à ſingulis partibus tunc temporis factas eſſe, quod & ex oppoſitione poſterioris ſchiſmatis intelligere datur. Νυνὶ δὲ καταμάθετε τίνες ὑμᾶς διέστρεψαν. *Nunc verò conſiderate qui ſint qui vos perverterint.* In priore Schiſmate ipſi ſe ſeparabant inclinando ſive propendendo ad Apoſtolum aliquem, aut virum quem ab Apoſtolis probatum fuiſſe noverunt. In hoc autem Schiſmate viri illi quos ſecuti ſunt, Apoſtolorum ſimiles nullo modo erant. Quis ex his verbis veniſſe aliquos Eccleſiæ Corinthiacæ ad quam ſcripſit S. Paulus, è Judæa, qui Petro nunquam Corinthi apparenti ſe adjungebant, aut adjunxerant, colligere poteſt? Si quis objiciat Chriſtum nunquam Corinthi fuiſſe, ac tamen ejus nominis mentionem fieri, ſimiliter & Petri mentionem factam eſſe, licet & ille nunquam ibi fuerit; facilis & expedita reſponſio eſt. In Epiſtolâ quidem Pauli mentio fit Chriſti, ſed non in verbis hujus Clementis, nec apud Paulum cap. 3. 22. Sed nec τῆς ἀρχαίας meminit Paulus, quam urget Clemens, & Schiſmaticos priores malè adhæſiſſe Petro, non minùs quàm Paulo & Apollo ægre fert; illoſque eo tantum nomine excuſari, quòd tantis viris, quamvis Schiſmaticè adhæſerint, poſſe oſtendit. Fuit igitur S. Petrus Apoſtolus Corinthi, non minus quàm S. Paulus aut Apollos, antequam primam ad Corinthios Epiſtolam S. Paulus ſcripſit, & quidem eodem tempore quo Apollos ibi fuit; cùm eum & à Cepha, & à Paulo, probatum eſſe dicat Clemens, & Corinthios Petro non minus, quàm Paulo & Apollo adhæſiſſe. Quare procul omni dubio verè ſcripſit Dionyſius, Corinthiorum Epiſcopus, Petrum aliquando fuiſſe Corinthi; quidni etiam verè ſcripſerit eundem Romam adiiſſe, ibique paſſum eſſe?

IV. Poſt Dionyſium Irenæus, Polycarpi, & Papiæ, Hieronymo teſte, in Aſiâ diſcipulus, Pothini in Galliâ Presbyter, & tandem Lugduni Epiſcopus, cui cum Ro-

manâ Eccleſiâ multum commercii fuit, circa An. Dom. CLXXX. idem teſtatus eſt, locis à me ſæpius adductis & adducendis, ad quos Lectorem remitto. Haud diu poſt Caius Vir Catholicus, ſub Zephyrino Romæ in Dialogo adverſus Proclum Montaniſtam ſcripto, utrumque Apoſtolum & Eccleſiam Romanam fundaſſe, & in eâ urbe paſſum eſſe his verbis apud Euſebium, lib. 2. cap. 25. teſtatur. Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν Ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι· ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸ Βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν. *Ego verò Apoſtolorum tropæa poſſum oſtendere. Nam ſi in Vaticanum, aut ad viam Oſtienſem pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui Eccleſiam hanc fundaverunt.* Circa idem tempus Clemens in libro aliquo Ὑποτυπώσεων hæc tradidit de Evangelio Marci, Τοῦ Πέτρου δημοσίᾳ τὸν Ῥώμῃ κηρύξαντος λόγον, καὶ πνεύματι τὸ εὐαγγέλιον ἐξειπόντος, τοὺς παρόντας πολλοὺς ὄντας παρακαλέσαι τὸν Μάρκον, ὡς ἂν ἀκολουθήσαντα αὐτῷ πόρρωθεν καὶ μεμνημένον λεχθέντων, ἀναγράψαι τὰ εἰρημένα· πεποιηκέναι δὲ τὸ εὐαγγέλιον μεταδοῦναι τοῖς δεομένοις αὐτοῦ. Ὃ ὡς ἐπιγνόντα τὸν Πέτρον προτρεψάμενόν τε καὶ κελεύσαι, μήτε κωλύσαι, μήτε προτρέψασθαι. *Cùm Petrus in Urbe Româ verbum Dei publicè prædicaſſet, & Spiritu Sancto afflatus Evangelium promulgaſſet, multi qui aderant Marcum cohortati ſunt, utpote qui Petrum jamdudum ſectatus fuiſſet, & dicta ejus memoriâ teneret, ut quæ ab Apoſtolo prædicata erant, conſcriberet. Marcus igitur Evangelium compoſuit, iiſque qui illud ab ipſo rogabant, impertiit. Quod cùm Petrus comperiſſet, nec prohibuit omninò rem fieri, nec ut fieret incitavit.* Poſt hunc ſtatim Tertullianus, tum Catholicus, tum Montaniſta idem aſſeruit. Præſcriptionis cap. 36. de Româ loquens, *Iſta quàm felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt! Ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* Scorpiaces cap. 15.

Vitas

Vitas Cæſarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur cum cruci aſtringitur. Adverſus Marcionem, lib. 4. cap. 5. *Videamus quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt.* Idem Lib. de Baptiſmo: *Nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tiberi tinxit.* Poſt Tertullianum Origenes lib. 3. Expoſitionum in Geneſin de S. Petro. Ὃς ἐπὶ τέλει τοῦ Ῥώμῃ γενόμενος ἀνεσκολοπίσθη ὑπὸ κεφαλῆς, ὕπως αὐτὸς ἠξίωσε παθεῖν, Euſeb. l. 3. c. 1. Poſt Origenem S. Cyprianus Cathedræ Petri ſæpè meminit. Poſt Cyprianum Lactantius, lib. de Perſecutione, *Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit.* Et de Nerone paulo poſt, *Petrum cruci affixit, & Paulum* [gladio] *interfecit.* Ac ne quis dubitet an liber iſte tam ſerò repertus, & à doctiſſimo Baluzio tam feliciter editus, ipſius Lactantii opus fuerit, idem lib. 4. Inſtitutionum, cap. 21. *Diſcipuli verò* [Chriſti] *per provincias diſperſi fundamenta Eccleſiæ ubique poſuerunt, ... ſed & futura aperuit* [Deus] *illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædixerunt, &c.* Et paulo poſt, *Itaque poſt illorum obitum, cùm eos Nero interemiſſet, Judæorum gentem & nomen Veſpaſianus extinxit, fecitque omnia quæ illi futura prædixerant.* Poſt Lactantium Euſebius multis Antiquorum teſtimoniis fulcitus, de Nerone agens lib. 2. cap. 25. hæc habet, Ταύτῃ γοῦν οὗτος θεομάχος, ὁ τοῖς μάλιστα πρώτος ἀναπεμφθεὶς, ἐπὶ τὰς τοῦ Ἀποστόλων ἐπέβη σφαγάς. Παῦλος μὲν οὖν ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης τέλει κεφαλὴν ἀπετμήθη, καὶ Πέτρος ὡσαύτως ἀνασκολοπισθῆναι κατ' αὐτὸν ἐχρήσατο. Καὶ πιστοῦται γε τὸν ἱστορίαν ὁ Πέτρου καὶ Παύλου εἰς δεῦρο κρατήσασα ἐπὶ τοῦ ἀυτοῦ κοιμητηρίων πρόσρησις. Quæ optimè Muſculus ſic tranſtulit: *Hic itaque hoſtis Dei, quâ in re primus declaratus eſt, ad necem Apoſtolorum uſque elevabatur. Quapropter & Paulus ab eo*

Romæ

Romæ capite truncatus, & Petrus palo affixus ſcribuntur. Et hiſtoriæ huic fidem facit, quòd illic cœmeteria habentur, in quibus Petri & Pauli nuncupatio ad hunc uſque diem obtinet. Poſt Euſebium idem teſtantur Athanaſius & Epiphanius, & poſt eos plurimi, quorum teſtimonia non opus eſt adjicere. Addam autem impiam illam Juliani Apoſtatæ conjecturam de Joanne apud Cyrillum, lib. 10. Ἀκύων δὲ, οἶμαι, τὰ μνήματα Πέτρου καὶ Παύλου, λάθρα μὲν ἀκύων δὲ ὅμως αὐτὰ προσκυνούμενα, προσ τοῦ ἐπιλάμποντος αὐτοῖς. Certè Julianus putavit monumenta Petri & Pauli Romæ in veneratione clanculum habita fuiſſe, antequam Joannes ſcripſit Evangelium. Locum non explico propter impietatem ſub eo latentem; ſed eum potius optimâ S. Auguſtini ſententiâ ad eandem rem, licet non ad idem ſpectante compenſabo, qui Epiſtolâ 42. obſervavit, *Imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulcrum piſcatoris Petri, ſummiſſo diademate, ſupplicare.* Et concludo, poſtquam alium etiam locum paucis adhuc cognitum adduxerim ex Palladio, qui in Hypomnematico de Brachmanibus, quod edidit Vir Cl. Biſſæus noſter, agens de ætate Epicteti, de qua viri docti dubitarunt, hæc habet, Ἀρριανοῦ μάθητι τοῦ μαθητοῦ Φιλοσόφου καὶ δούλου γεγενημένου, δι' εὐφυΐαν δὲ φύσεως εἰς Φιλοσοφίαν ἐλάσαντος ἐπὶ τοῦ χειρὸς Νέρωνος τοῦ βασιλέως, τοῦ κολάσαντος τοὺς ἀοιδίμους Ἀπόστολους Πέτρον καὶ Παῦλον. *Arriani nempe diſcipuli illius Philoſophi qui natus ſervus fuerat, ob naturæ verò præſtantiam ad Philoſophiam aſpiravit tempore Neronis Imperatoris, qui illuſtres Apoſtolos Petrum & Paulum trucidavit.*

V. Cùm tanto conſenſu ab initio ferè traditum ſit S. Petrum Romæ Evangelium prædicaſſe, & ibidem paſſum eſſe; cúmque nemo unquam dixerit, vel Petrum, vel Paulum alibi Martyrio coronatum eſſe; cum denique Chriſtus ipſe ſatis apertè ſignificet Petrum crucifigendum fore: tutò ſatis huic hiſtoriæ fidem adhiberi poſſe exiſtimo.

Quis

Quis enim credet tantum Apoſtolum tam obſcurè mori potuiſſe, ut nemo unquam loci illius, quo mortuus eſt, meminerit? Quis credet, cùm aliæ regiones ſuum Apoſtolum ſibi vindicarent, quòd nulla urbs, nulla regio, nulla Eccleſia dixerit ſe cruore Petri nobilitatam eſſe? Cùmque Chriſtus ipſe tantâ cum aſſeveratione, *Amen, Amen, dico tibi*, dixerit Petro, *Cùm ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis*; & diu poſt mortem ejus ſcripſerit S. Joannes Apoſtolus Chriſtum iis verbis ſignificaſſe ποίῳ θανάτῳ, id eſt, *quo genere mortis* glorificaturus eſſet Deum; quis unquam putabit Chriſtianorum neminem quo genere mortis paſſus ſit noviſſe, omneſque potiùs quomodo Deum glorificavit, ignoraſſe; aut ſaltem Deum ſuâ providentiâ poſteris notum eſſe noluiſſe? Duobus tamen his poſterioribus Sæculis non defuerunt viri docti, qui cùm viderent Pontificiæ poteſtatis nimios aſſertores hâc ſucceſſione maximè gloriari, primò de ipsâ ſucceſſione dubitarent, mox etiam diſertè negarent Petrum Romæ unquam fuiſſe.

CAP.

CAP. VIII.

I. *Non ita Judæos propriam ſibi Provinciam ſortitus eſt Petrus, quin potuerit etiam Gentes, oblatâ occaſione, convertere.* II. *Et tamen Romæ multi, illis etiam temporibus, fuere Judæi.* III. *Petrum è Babylone Epiſtolam ſcripſiſſe conceditur.* IV. *Babylon Aſſyria eo tempore deſerta.* V. *Non tunc Babylon illa ſedes erat Imperii, ſed paulo ante Seleucia; Petro verò prædicante, Cteſiphon.* VI. *Sed nec fuit illa Judæorum incolentium multitudine illo tempore celebris.* VII. *De Babylone potiùs Ægyptiacâ intelligendus in Epiſtolâ S. Petrus.* VIII. *Meliùs ad hanc Babylonem referenda erunt, quæ per totam illam Epiſtolam ſcripſit S. Apoſtolus.* IX. *Refellitur Argumentum Salmaſii è Clemente Romano.* X. *Ejuſdem ſententia mortem S. Petri decimo Claudii Anno ſtatuentis, etiam refellitur.*

I. CLaudius Salmaſius magno animo hujus cauſæ Patrocinium ſuſcepit, & in ſecunda parte de Primatu Papæ ſè Petrum Romæ nunquam fuiſſe probaturum pollicitus eſt, quam tamen nunquam edidit. Interim in Apparatu ait, *Præcipuum huic rei probandæ argumentum afferetur, quod eſt invictiſſimum.* Fundamentum ponit hujus invictiſſimi argumenti in verſibus 7, 8, 9. Capitis ſecundi Epiſtolæ ad Galatas, ibi enim affirmat Paulus Apoſtolatum circumciſionis Petro concreditum fuiſſe. Sed non conſuluit Hieronymi explicationem ſanè obſervandam,

Occulta

Occulta hîc oritur quæſtio; Quid igitur Petrus ſi inveniſſet ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? aut Paulus ſi ex circumciſione aliquos reperiſſet, non eos ad Chriſti baptiſmum provocabat? Quæ ita ſolvetur, ut dicamus principale ſingulis in Judæos & Gentes fuiſſe mandatum, ut qui defendebant legem, haberent quem ſequerentur; qui legi gratiæ præferebant, non deeſſet eis doctor & prævius. In commune verò hoc eos habuiſſe propoſiti, ut Chriſto ex cunctis gentibus Eccleſiam congregarent. Legimus enim & à S. Petro Gentilem baptizatum fuiſſe Cornelium, & à Paulo in Synagoga Judæorum Chriſtum ſæpiſſimè prædicatum. Ubi clarè diſtinguitur inter mandatum ſingulis datum, & commune. Prius quidem ſingulare ab hominibus, Apoſtolis nempe, datum eſt; poſterius autem, ſive commune, ab ipſo Deo utrique impoſitum eſt: ut ſcilicet uterque, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus Chriſto diſcipulos faceret. Cùm Paulus & Barnabas verbum Dei prædicarent in Piſidia, à Judæis Antiochiæ rejecti, dixerunt neceſſe fuiſſe, ut illis primò verbum nunciarent. Et ſtatim Iconii ita prævalebant in Synagogâ, ut *& Judæorum & Græcorum multi crederent*, Act. 14. 1. S. Paulus cum primùm venit Corinthum, Act. 18. 4. *diſputabat in Synagoga per omne Sabbatum interponens nomen Domini Jeſu, ſuadebatque Judæis & Græcis*: nec niſi *contradicentibus eis* [Judæis] *& blaſphemantibus dixit ad eos, Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.* Quando complures Judæi Romæ ad eum venerunt, annon tunc Judæis *exponebat teſtificans regnum Dei, ſuadenſque iis de Jeſu ex lege Moyſi & Prophetis à mane uſque ad veſperam? Et quidam credebant iis quæ dicebantur.* Quod licuit Paulo poſt partitionem officii ex conſenſu factam, non licuit Petro poſt eandem, quod ad Gentes ſpectabat? An illi plus concreditum eſt ad ſalutem Judæorum, quàm huic ad ſalutem Gentium, poſt converſionem Cornelii? Cùm ipſe Petrus in Concilio Apoſtolorum dixerit, *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii & credere.*

II. Quod ſi concedere oporteret hoc verum eſſe, Petrum nempe ad ſolos Judæos miſſum eſſe, an ideo Romam perveniſſe cum prorſus negandum eſt? An Romæ aut nulli, aut tam pauci fuerunt Judæi vivente & prædicante Petro, ut eos ad fidem Chriſtianam convertere operæ pretium non duxerit? Sub initio Eccleſiæ Chriſtianæ Libertinorum Synagoga Hieroſolymis fuit, conflata ſine dubio ex iis Judæis, ab iiſque nomen adepta qui Româ ad Metropolin Judæorum Religionis ergò convenire ſolebant. Hi trans Tiberim ſub Auguſto ſuas habuere Proſeuchas, ſuam Synagogam Hieroſolymis, ad quam urbem etiam tunc Judæi Româ collectas primitiarum nomine, & victimas mittere ſolebant. Unde cum fortè poſt mortem Herodis Legati quinquaginta Romam miſſi ſunt, Συνίσταντο δὲ αὐτοῖς τῶν ἐπὶ Ῥώμης Ἰουδαίων οἱ ὑπὲρ ὀκτακισχιλίους, *adjunxerunt ſe illis ex Judæis Urbis Romanæ plures quàm octies mille*, ut tradit Joſephus, lib. 17. cap. 12. Hæc Judæorum ſub Auguſto Romæ conditio fuit. Nam Philo Judæus in Legatione ad Caium teſtatur Auguſtum magnam Urbis partem trans Tiberim à Judæis teneri paſſum eſſe, qui libertini generis erant. Sub Tiberii principatu, circa annum ejus Imperii ſextum, *factum eſt Patrum conſultum, ut quatuor millia libertini generis eâ ſuperſtitione infecta, queis idonea ætas, in inſulam Sardiniam veherentur.* Sed nec ille numerus omnes Judæos idoneæ ætatis continuiſſe cenſendus eſt; addit enim Tacitus, *Cæteri excederent Italiâ, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent*; idemque docet Suetonius; & Joſephus eandem rem pertractans tradit Conſules delectu habito 4000 miſiſſe in Sardiniam. Neque Judæi qui tunc Româ pellebantur, diu extorres permanſere, ſed intra paucos annos reverſi ſunt. Nam quamprimum Sejanus ad Imperium aſpiravit, ambitioni & ſceleri ſuo neceſſarium putavit conficta de Judæis Urbem incolentibus crimina ad Tiberium deferre, ut gentem è medio tolleret: & poſt Sejani interitum Tiberius Judæis maximè benevolus

benevolus fuit. Unde illa ad Caium infenſiſſimum Judæorum hoſtem Agrippæ in præſentiſſimo mortis periculo conſtituti præclara peroratio, Παρακαλοῦσι τοὺς νόμους ἀντικαλεῖν πρὸς ἀντικάτερα, σεβαστοὶ πρὸς σεβαστόν, πάππῳ καὶ πρόγονοι πρὸς ἔκγονον, *Deprecantur pro legibus noſtris Imperatores apud Imperatorem, Auguſti apud Auguſtum, avi proavique apud nepotem.* Quid à Caio contra Judæos Romæ habitantes factum ſit, non lego. Quicquid ſit, numerum Judæorum in Urbe ſub initio Imperii Claudiani haud contemnendum fuiſſe conſtat. Nam Dio, libro IX. de primis Claudii inſtitutis agens hæc diſertè ſcribit, Τούς τε Ἰουδαίους πλειόνως τηνικαῦτα ἄνθρως, ὥστε χαλεπῶς ἂν ἄνευ ταραχῆς, εἰπεῖν δ' ὅλως σφᾶς ἐν πόλει μιᾷ χωρῆσαι, οὐκ ἐξήλασεν μέν, τῷ δὲ πατρίῳ νόμῳ βίον ἄγειν μὴ ζῶσαν ἐκώλυσε συναθροίζεσθαι, *Quum Judæi adeo iterum Romæ frequentes eſſent, ut difficulter ſine tumultu propter multitudinem urbe poſſent arceri; non ejecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam tolerantes vetuit convenire.* Neque mirum, cum Claudius Judæis maximè faveret, nec eos ante annum Imperii duodecimum Româ expulit, ut alibi oſtendimus, quicquid Oroſius anno nono ex Joſephi teſtimonio, quod nullum eſt, factum eſſe dixit. Poſt hoc Edictum Claudii, aut ipſo ſuperſtite (quod veriſimillimum eſt) aut Nerone principatum mox obtinente Judæi Romam reverſi ſunt, ibique ſub Imperio Neroniano ſatis ſecurè habitabant. Quod ſatis oſtendunt illa Perſii Sat. 5.

Herodis venere dies, unctâque feneſtrâ
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ, &c.

Unde S. Paulus Romam miſſus complures Judæorum primores congregaſſe dictus eſt. Ex quibus clarè patet argumentum Salmaſii, nec à partitione officii Apoſtolici, nec à paucitate Judæorum inter Romanos invictum eſſe.

III. Etiamſi verò hæc per ſe ſumpta nihil probare videantur,

antur, ſi tamen comparatè ſumantur, maximam inde vim habere putantur. Fuerint Romæ aliquot Judæi, at Babylone multò plures erant, & inde Apoſtolo circumciſionis plenior meſſis expectanda fuit. Inde ſatis rotundè Salmaſius, *ab Antiochiâ*, inquit, *non Romam venit, ſed Babylonem, externi Imperii ſedem, & longiſſimè à Româ diſſitam, quoniam ibi penè regnabant Judæi, & ἀχμαλωτάρχιον ſuum habuêre, à qua urbe nunquam receſſit, poſtquam eam ingreſſus eſt.* Ut huic novo argumento & maximè ſpecioſo diligenter reſpondeam; primò, libens concedo S. Petrum Antiochiam profectum eſſe, antequam Romam venit; tum quòd Veteres omnes idem tradiderunt, tum quòd hodierni Pontificii hoc non negant. Et ſi ex Antiquorum monumentis poſſit probari eundem Apoſtolum, cùm ab Antiochiâ primò receſſit, non Romam, ſed Babylonem externi Imperii ſedem veniſſe, idque ab eo factum eſſe, quoniam ibi penè regnabant Judæi; & præcipuè ſi probari ulteriùs poſſit ab ea Urbe nunquam receſſiſſe Petrum, poſtquam eam ingreſſus eſt; quod ad me attinet, Salmaſii ſententiam amplecti paratus ſum. Sed quis unquam docuit Petrum extra Romani Imperii fines iter inſtituiſſe? Quis tradidit Babylonem eo temporis tractu fuiſſe *externi Imperii ſedem?* Quis in illâ Imperii ſede penè regnaſſe Judæos, & ἀχμαλωτάρχιον ſuum habuiſſe prodidit? Quis denique unquam aſſeruit Petrum, poſtquam Babylonem profectus eſt, ab eâ Urbe nunquam receſſiſſe? Quibus Annalibus, quo hiſtoriæ monumento hæc prodita ſunt? Quis ullo modo hæc omnia, vel horum aliquid ſignificavit? Ipſe ſcilicet Petrus, ſi Salmaſio credamus. *Nam*, inquit, *cùm ſcripſit Epiſtolam ad diſperſionem Judæorum, Babylone fuit.* Fortaſſe. Non enim nego S. Petrum tunc Babylone fuiſſe, cum illa verba ſcripſit, *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone electa.* Quippe neutiquam mihi placet figurata illa interpretatio, quæ docet Romam ſub nomine Babylonis intelligi debere. Quamvis minimè concedam *non alio argumento*

hanc

hanc invaluiſſe opinionem Veterum, Petrum Romæ fuiſſe. Nam antequam ea interpretatio nata eſt, communis omnium ſententia fuiſſe videtur, Petrum tum Romam veniſſe, tum ibidem paſſum eſſe: & ex illâ communi ſententiâ primùm orta, dein corroborata eſt figurata illa interpretatio, quæ mihi minus placet. Fuerit igitur Petrus Babylone, cum Epiſtolam ad diſperſionem Judæorum ſcripſit. Sed non una Babylon tunc temporis extitit. Imò potius illa Babylon apud Parthos vix tunc Urbs fuit.

IV. Strabo lib. 16. enumeratis cauſis haud paucis ob quas ingens illa Urbs à priſtinâ amplitudine defecit; tandem qualis illa fuit ſuo tempore his verbis deſcribit. Ἡ μὲν (Σελεύκεια) γάρ ἐστι Βαβυλῶνος μείζων, ἡ δὲ ἔρημος ἡ πολλὴ· ὥστ' ἐπ' αὐτῆς μὲν ἂν ὀκνῆσαί τινα εἰκὸς ἔφη τις τῶν κωμικῶν ὅτι Μεγαλοπολίτης τὴν οὐ Ἀρκαδίαν, Ἔρημία μεγάλη ἐστὶν ἡ μεγάλη πόλις. (Seleucia) *major Babylone eſt, illa magnâ ex parte deſerta; ut intrepidè de eâ uſurpari poſſit, quod de Megalopoli Arcadiæ magnâ Urbe quidam dixit Comicus, Eſt magna ſolitudo nunc Megalopolis.* Plinius, qui ſub Veſpaſiano vel Tito ſcripſit, Hiſt. Nat. l. 6. c. 26. hæc habet de Babylone; *Caterò in ſolitudinem rediit exhauſtâ vicinitate Seleuciæ ob id conditæ à Nicatore.* Inter tempora Strabonis & Plinii contendit Salmaſius Petrum profectum eſſe Babylonem, externi Imperii Sedem, quam Hiſtorici tradunt fuiſſe tunc deſertam: Imò & Ipſe idem fatetur —*de Primatu Papæ*, p. 221. *Atqui Babylon longè ante Seleuciam defecit, & in ſolitudinem rediit, cùm Plinius ſcribat ſuâ ætate deſolatam & exhauſtam vicinitate Seleuciæ.* At Petrus non ignoravit judicia Dei aut mentem Prophetarum: Illi autem Dei nomine prædicaverant Babylonem urbem deſolatam fore, eaque diſertè prædixerant, *per quæ omnia vaſtitatis & ſolitudinis ſigna monſtrabantur*, ut loquitur Hieronymus: ſic enim Eſaiæ 13. 19, 20. *Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbiâ Chaldæorum; ſicut ſubvertit Dominus Sodomam & Gomorrham: non habitabitur uſque:*

uſque in finem, & non fundabitur uſque in generatione & generationem. An Urbem illam S. Petrus adire maximè concupivit, quam Prophetarum Vaticinio & juſto Dei judicio percuſſam eſſe novit?

V. Sed erat illa tunc *externi Imperii Sedes, in quâ penè regnabant Judæi.* Rapuit igitur illuc Apoſtolum Circumciſionis, & loci majeſtas & dignitas Judæorum, qui tantâ illic autoritate & poteſtate gaudebant. Præclara hæc Obſervatio ſi modò vera ſit: ſed eſt falſiſſima. Ipſe Hieronymus prophetiam Eſaiæ impletam fuiſſe ait; quòd pro Babylone *Seleuciam & Cteſiphontem urbes Perſarum inclytas fecerunt.* Et Theodoretus adhuc magis expreſsè—Ἀλλὰ τὸ μὲ ὡς ἐ ἀϊδια χρόνον μὴ κατοικηθήσεται, ἀντὶ τ, ὑκάτι βασιλέων οἰκητήριον ἔσῃ. *Verùm illud,* In tempus ſempiternum non habitabitur, *pro eo poſitum eſt,* Non amplius Regum erit habitaculum. Paulatim igitur defecit Babylon, à Regibus primò, dein à populo deſerta; ſic Seleuciam ſub Macedonibus, & ſub Parthis Cteſiphontem Imperii ſedem fuiſſe novimus. Quoniam autem Cteſiphontem eo ipſo tempore, quo Antiochiæ ſedit Apoſtolus, externi Imperii Sedem fuiſſe putamus; id hîc opportunè demonſtrandum eſt. Joſephus de rebus Judaicis in Oriente circa Caii Imperatoris tempora ſcribens, vocat Cteſiphontem *Regiam tunc Urbem,* ut poſteà oſtendemus. Plinius Joſepho ſynchronus l. 6. c. 26. *Invicem ad hanc* (Seleuciam) *exhauriendam, Cteſiphontem juxta tertium ab eâ lapidem in Chalonitide condidêre Parthi, quod nunc eſt caput regni.* Tacitus Annalium l. 6. agens de Tiridate in regnum Parthicum ſub extremis Tiberii inducendo, *Mox conſultans* (inquit) *quonam die ſolennia regni capeſſeret; atque interim Cteſiphon Sedes Imperii petita.* Ut ante Artabanus victo Vonone, & Seleuciam cum paucis equitibus petente, Cteſiphontem ſe contulit, ubi Rex Parthorum declaratus eſt. Joſephus Antiq. l. 18. c. 3. Poſtea Trajanus, qui expugnatâ Niſibi & Batnis Parthicus dictus eſt, referente Dione, non Babylone, ſed poſt Babylonem

receptâ

receptâ Cteſiphonte, ἀυτοκράτωρ ἀπεκηρύχθη, *Imperator appellatus eſt*, ἡ ἀπὸ τοῦ Παρθικοῦ ἐβεβαιώσατο, *& cognomen Parthici confirmavit.* Et cùm poſtea regem dare Parthis voluit, Parthos cum Romanis Cteſiphonte convocavit, & Parthamaſpaten Parthis regem dedit. Et Herodianus lib. 3. de Severi exercitu ſcribens, προσῆλθε τοῖς Παρθυαίων ὄχθαις, αἳ μὴ πολλαῖς ἡμέραις ἀπῆν ἀπέχουσαι τῆς εἰς Κτησιφῶντα ἀφίξεως· ἔνθα ἦν τὰ βασίλεια τοῦ Παρθυαίων, ὁ αὐτὸς διάγων εἰρήνην ἄγων. *Appulit ad ripas Parthorum, quæ non procul aberant Cteſiphonte, quâ in Urbe Sedes erat Parthorum Regis, & ipſe habitabat pacem agitans:* & paulò poſt, Καθ' ὀλίγον τε προῆλθεν ἐπὶ Κτησιφῶντα, ἔνθ' ἦν ὁ μέγας βασιλεὺς Ἀρτάβανος· *& paulatim uſque ad Cteſiphontem perrexit, quâ in civitate magnus Rex Artabanus commorabatur.* Ammianus Marcellinus l. 23. c. 3. *Cteſiphon, quam Vardanes priſcis temporibus inſtituit, poſteaque Rex Pacorus Incolarum viribus amplificatam & mœnibus, Græco indito nomine, Perfidis effecit ſpecimen ſummum.* Ex omni itaque hiſtoria liquidò conſtat, ætate S. Petri Babylonem non fuiſſe externi, nempe Parthici, Imperii Sedem. Erant tunc quidem duo Imperia, ſive, ut loquitur Joſephus, δύο μέγιστα σώματα τῆς ὑπ' ἥλιον οἰκουμένης, quorum unius Roma, alterius, non Babylon, ſed Cteſiphon caput fuit.

VI. At, inquies, ſi non propter dignitatem, propter multitudinem tamen Judæorum Apoſtolus circumciſionis Babylonem Romæ prætulit. Sed nec ex hac parte vis ulla huic argumento accedit. Nullus enim dubito quin plures Judæi eâ tempeſtate Romæ quàm Babylone vixerint. Phraates quidem Parthorum Rex Hyrcanum vinculis ſolutum ὁ Βαβυλῶνι καταγαγεῖν παρῆκε, ἔνθα ἡ πλῆθος ἦν Ἰουδαίων. Erat igitur tunc temporis πλῆθος Ἰουδαίων Babylone. Sed non videtur major numerus eâ voce denotari, quàm ſub voce ὄχλου, apud Dionem ſuperius laudatum,

datum, quando Judæi Romæ ἐπλεόνασαν. Sed & hoc præcipuè notandum eſt illud à Phraate factum ſeptuaginta & amplius annis contigiſſe, antequam S. Petrus vidit Antiochiam; ex quo tempore numerus Judæorum cum poteſtate in Babyloniâ valdè diminutus eſt. Nam ſub extremis Imperatoris Caii, Γίνεται δὲ περὶ τοὺς ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, καὶ μάλιστα τὴν Βαβυλωνίαν οἰκοῦντας Ἰουδαίους συμφορὰ μεγάλη, ἣ ἀδεσμᾶς ὅσα πω ἐλάσσονι φόνῳ τι αὐτῶν πολὺς, ἢ ὁπόσα οὐχ ἑφεξῆς ἱστόρηται. Vetus Interpres, *Contigit etiam per idem tempus Judæis illis qui in Meſopotamiâ & Babyloniâ habitabant, valde magna calamitas; ubi quoque multa cædes occidit, quanta nunquam ante refertur in hiſtoriâ.* Hanc Judæorum cladem omnium quæ unquam Judæis contigerant maximam fusè & accuratè perſequitur Joſephus; quæ à nobis diligenter obſervata, & breviter explicata Judæorum in Babyloniâ ſtatum iis temporibus proximéque ſecutis clarè oſtendit. Primò tradit Joſephus duas fuiſſe urbes, unam in Babylonia intra Euphratem Nearda dictam, alteram illi oppoſitam tranſeuphratenſem, cui Niſibis nomen fuit: Τότε δίδραχμοι [Ἰουδαῖοι] τῷ Θεῷ καταβάλλειν ἐκ ἔτους πάτριον παύτην κατεῖχεντο, καὶ ὁπόσα ἄλλα ἀναθήματα· ἐκφέρετο δὲ ὥσπερ ταμεῖα ταῖς δὲ ταῖς πόλεσιν. Ἐντεῦθεν δὲ εἰς Ἱεροσολύμων ἀναπέμπετο ἡ χορηγία. *Illic Judæi tum didrachmum Deo pendi ab unoquoque ſolitum, aliaque omnia Anathemata repenebant; quippe utebantur illis urbibus tanquam ærario, & inde illa Hieroſolyma mittebantur, ubi opportunitas ſe obtulit.* Ex quo Joſephi loco alter Philonis in Legatione ad Caium optimè explicatur, ubi de Petronio agit ante ultimam hanc cladem dubitante, an imaginem Caii Templo Hieroſolymitano inferret: Ἐφίβου δὲ αὐτὸν, inquit, καὶ αἱ πάλαι Εὐφράτου μυιάμες· ἦλθον γὰρ Βαβυλῶνα, καὶ πολλὰς ἄλλας τῆς Καλιγούλου ὑπὸ Ἰουδαίων κατηχήσας. *Terrebant enim eum*

eum etiam copiæ Tranſeuphratenſes; quippe qui ſciret Babylonem, & multas alias ſatrapias à Judæis teneri; hoc autem eum noviſſe ait, Καθ' ἕκαστον γὰρ ἐνιαυτὸν ἱεροπομποὶ τελοῦσι ἄρχοντι καὶ ἄρχουσι πλοῦτον συλλέξαντες εἰς τὸ ἱερὸν τὰ ἀθροισθέντα ἐκ τῶν ἀπαρχῶν, *Nam quotannis ſacri legati mittunt auri & argenti plurimum ex primitiis collectum in Templum ferentes.* Hos viderat Petronius per Syriam tranſeuntes, ex quibus numerum Judæorum Tranſeuphratenſium colligebat. Cæterùm ex Joſepho conſtat etiam ante ultimam cladem non in urbe Babylone has primitias aut collectas, aut conſervatas, ſed in aliis Satrapiis, Neardis ſcilicet & Niſibi urbibus tutò collocatas fuiſſe, atque ex illis civitatibus Hieroſolyma miſſas. Ex his Judæis erant Aſinæus & Anilæus fratres patriâ Neardenſes, qui quaſi malè habiti ad arma confugiunt, & collecto juvenum non contemnendo numero, caſtelliſque poſitis, etiam Satrapam Babyloniæ profligarunt. Unde Artabanus, Parthorum Rex, eorum audaciam fortitudinemque impendio admiratus, illos ſibi devincire cupiebat: commiſit itaque Aſinæo regionem Babylonicam, ut eam à latrociniis illæſam cuſtodiret; qui per quindecim annos magnâ felicitate auctoritateque inter Babylonios gaviſus eſt: donec Anilæus Parthorum ducis uxore ablatâ, & Aſinæo fratre veneno ſublato, & Mithridate Parthorum nobiliſſimo indignè habito, tam malè in conflictu ſe geſſit, ut è ſuis multæ myriades ceciderint; etiam paulo poſt Anilæus ipſe cum multis ipſi adhuc adhærentibus occiſus eſt. Poſt interitum tam multarum myriadum & ipſius Anilæi, qui cùm viveret & floreret, quaſi frænum erat odio Babyloniorum adverſus Judæos, Babylonii contra Judæos inſurgunt; Judæi autem nec Babyloniis amplius reſiſtere, nec eorum cohabitationem ferre valentes, Seleuciam migrant, ubi per quinquennium ſecurè habitabant: ſexto autem poſt priorem cladem anno, Syris & Græcis Seleuciæ cum Babyloniis conſpirantibus, ſupra quinquaginta Judæorum millia occiſa ſunt.

Reliqui, qui ægrè evaſerant, Cteſiphontem regiam tunc urbem fugâ venerunt, tutò ſe illic ex majeſtate & reverentiâ Imperii habitaturos rati, ſed fruſtra; nam qui illic habitabant Judæi, terrore Babyloniorum & Seleucenſium perculſi ſunt; unde factum eſt ut plerique Nearda & Niſibin ſe receperint. Omneſque tunc earum partium Judæi non Babylone, ſed, quantum ex Joſepho colligere poſſumus, vel Cteſiphonte, vel Neardis, vel Niſibi habitabant. Unde Agrippa ſub initio belli Judaici, in præclara apud Joſephum oratione, Judæos etiam trans Euphratem nullos nominare potuit præter eos, qui in Adiabenorum regione ſub Parthorum Imperio habitabant. Et poſtea Trajanus, cùm Judæi in Ægypto & Cyrenaica rebellarent, Luſio Quieto in mandatis dedit, ut Judæos in Meſopotamia ſolos, de quibus ante diximus, opprimeret, ne quid ſimile etiam illic tentarent. Ipſe autem Imperator Babylonem petens nihil illic memoriâ dignum vidit. Quorſum igitur S. Petrus Antiochiam relinqueret, in qua urbe plurimi Judæi erant nondum ad Chriſti fidem converſi? Quorſum Imperio Romano in æternum valediceret (in quo quamplurimæ Judæorum coloniæ erant ubique diſperſæ) ut externum Imperium peteret, & Babylonem Aſſyriacam pergeret; in quâ urbe, toties deſertâ & Prophetarum fulmine percuſſâ, vel pauci, vel nulli Judæi tunc temporis habitabant?

VII. Sed Babylone tunc fuit Petrus, quando ſcripſit Epiſtolam ad diſperſionem Judæorum; tota enim argumenti vis tandem ad illam literalem expoſitionem reſolvitur. Verùm & illa, his quæ ante diximus conſideratis, ſtatim evaneſcit. Explodatur figurata, admittatur literalis expoſitio; non opus erit ut in Aſſyriam nos conferamus, ſi nudo urbis nomini ſtandum eſſe arbitremur: alia enim erat urbs Babylonis nomine inſignita, eaque Judææ multo vicinior, à Babyloniis poſt dira Prophetarum vaticinia Ptolemæorum permiſſu condita & habitata. Stephanus voce Βαβυλὼν,

Βαβυλὼν, ἔστι δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ πόλις, *Eſt autem & in Ægypto urbs* [Babylon.] De hac Babylone loquitur Strabo lib. 17. tanquam de urbe & ſatis amplâ & munitâ, poſtquam Heliopolitin & Latopolitin præfecturas deſcripſerat. Ἀναπλέουσι δ' ἔστι Βαβυλὼν φρούριον ἰσχυρὸν, ὑπὸ τῶν συνοίκων (*l.* ἐνοίκων) Βαβυλωνίων τινῶν, οἳ τὰ διαπραξάμενοι ὑπὲρ τούτου κατοικίαν ἔσχον παρὰ τῶν Βασιλέων. *Ulterius ſurſum naviganti eſt Babylon caſtellum naturâ munitum, à Babyloniis quibuſdam conditum: qui huc ſecedentes eo in loco habitationem à regibus impetrarunt.* Tempore autem Strabonis ſub Imperio Tiberii una ex tribus legionibus, quæ Ægyptum cuſtodiebant, ibi collocata eſt, ut ipſe narrat. De hac Babylone Ptolemæus in deſcriptione Ægypti: Ἐν μεσογείᾳ Ἀραβίας καὶ Ἀφροδιτοπόλεως Βαβυλὼν, Ἡλιούπολις, Ἡρώων πόλις, δι' ἧς καὶ Βαβυλῶνος πόλεως Τραϊανὸς ποταμὸς ῥεῖ. *In confinio Arabiæ & Aphroditopoleos Babylon, Heliopolis, Heroopolis, per quam & urbem Babylonem Trajanus fluvius decurrit.* Hæc eſt illa Babylon de qua loquitur Hieronymus in vitâ Hilarionis, cujus verba huc afferenda putavi, quòd ſitum Urbis in Ægypto aliquo modo deſcribant, & diſtantiam à Peluſio. *Quinto igitur die venit Peluſium* (Hilarion) *viſitatiſque fratribus qui in vicina eremo erant, & in loco qui dicitur Lychnos, morabantur, perrexit poſt triduum ad Caſtrum Theubatum, ut videret Dracontium Epiſcopum & Confeſſorem, qui ibi exulabat; quo incredibiliter conſolato tanti viri præſentiâ, poſt aliud triduum multo Babylonem labore pervenit, ut videret Philonem Epiſcopum & ipſum Confeſſorem.* Unde etiam colligere poſſumus Philonem hujus urbis fuiſſe Epiſcopum, ut poſtea in Concilio Chalcedonenſi inter Epiſcopos mentio fit Κύρου Βαβυλῶνος, qui tum Epheſinæ, tum Chalcedonenſi Synodo interfuit; & in Subſcriptionibus ad Concilium Conſtantinopolitanum à Lambecio editis, Φίλωνος ἐπι-

Χοπ Βαβυλῶν ὑπογραφα. *Photius Epiſcopus Babylonis ſubſcripſi.* Si in hac urbe Ægyptiacâ S. Petrum ſcripſiſſe quis dixerit Epiſtolam primam, literalis expoſitio ſatis conſtabit, neque ullo argumento refelli poterit, niſi quis ad figuratam locutionem à Patribus haud paucis probatam confugerit. Nomen enim urbis propriè ſumptum, ut ſumi debere contendit Salmaſius, me haud renuente, non minus huic urbi Ægyptiacæ ſub Imperio Romano, quàm alteri Aſſyriacæ ſub Imperio externo competit.

VIII. Quinetiam præterea & argumentum totius Epiſtolæ Petri in qua Babylonis mentio fit, & nonnulla quæ ex eadem particulatim deduci poſſunt, Babylonem illam longiſſimè à Judæa ſitam potius aſpernantur, & huic propinquiori melius conveniunt. Scribit enim præcipuè ad Judæos, qui Chriſtianam fidem receperant in Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, Aſiâ & Bithyniâ (ut eaſdem ferè colonias ſimul recenſet Philo, εἰς μὲ τὰς πρῶτω μητροπόλεις Παμφυλίαν, Κιλικίαν, τὰ πολλὰ τῆ Ἀσίας ἄχρι Βιθυνίας, καὶ τὸν ἐπὶ Πόντῳ μυχῶν) ex iis ſcilicet coloniis, quas Judæi diverſis temporibus emiſerant, ulteriores autem, non vicinas in Ægypto, Phœnice, & utràque Syriâ, in quibus ipſe jam prædicaverat. Ad eos autem ſcripſiſſe videtur, quos nec viderat prius, nec poſtea videre conſtituerat. Certè in totâ hâc Epiſtolâ nuſquam innuit ſe iis, ad quos ſcribit, Evangelium prædicaſſe, vel oculis eoſdem uſurpaſſe; neque unquam promittit ſe eos poſtea viſurum. Nullo modo enim admittenda mihi videtur hiſtoria, quam refert in Apoſtoli vitâ Hieronymus, *Poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum qui de Circumciſione crediderant, in Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, Aſiâ & Bithyniâ, ſecundo Claudii anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit*; idque non tantùm quia hæc facta narrat tam maturè ante ſecundum Claudii annum, ſed etiam quia prædicaſſe Petrum in illis regionibus affirmat, quas eum nemo vidiſſe unquam docuit, præter Epiphanium

Hæreſi

Hæreſi XXVII. Πέτρος δὲ πολλάκις Πόντου τε καὶ Βιθυνίας ἐπισκέψατο. *Petrus autem Pontum & Bithyniam ſæpe invi-ſit.* Ex hoc ſolo fundamento Salmaſius in Apparatu ſic diſputat. *Ergo Petrus Babylonem rectà conceſſerit, non Romam, poſtquam diſperſioni Judæorum per illas provincias conſiſtentium Evangelium prædicavit.* Sanè ſi Apoſtolus ille circumciſionis Babylonem non venit, niſi poſtquam Judæis per illas provincias prædicaverat, Babylone nunquam fuit. Idem mihi firmare videntur duo comites S. Petri Silvanus & Marcus, per quorum unum miſit Epiſtolam, & alterius nomine eos ſalutavit ad quos ſcripſit. Erat autem Silvanus unus ex iis, quos Petrus cum Concilio Hieroſolymitano miſerat ad docendum quid in illo Concilio conſtitutum eſt. Erat porrò S. Pauli individuus comes per provincias illas Aſiaticas prædicantis, eique per aliquot annos adhæſit. Neque enim mihi unquam placuit illa obſervatio Hieronymi Ep. ad Damaſum 143. *Sciendum Silam collegam Pauli lingua Hebræa, Apoſtolum dici, qui cum eo nonnullis Epiſtolas ſcripſit: Et vitiosè Silvanus legitur pro Sila, cùm Silvanum in Apoſtolorum Actis non legamus.* Nunc autem cum cum Petro Babylone invenimus, & per eum Epiſtola miſſa eſt, quia fuerat ferè illis, ad quos ſcripta eſt, notiſſimus. Quinetiam Marcus, cujus nomine eos ſalutat, Hieroſolymis Paulum & Barnabam Antiochiam uſque ſecutus eſt, & per eas provincias, donec in Pamphyliâ eam reliquerat; adeoque eorum plurimis notus fuerat. Cyprum autem cum Barnaba navigans, abnuente ejus conſortium Paulo, ut par eſt credere, Antiochiam ad Petrum reverſus eſt; unde nunc ei in Ægyptiacâ urbe meritò adjunctum fuiſſe credimus. Atque inde ratio non mala petitur, cur Marcus poſt mortem Petri & Pauli Evangelium ſcripſerit, ut Irenæus Lib. III. cap. 1. refert, & Alexandriæ Cathedram poſuerit, ut omnes teſtantur: nempe quia illi noverunt eum in Ægypto Petri comitem fuiſſe. Salmaſius ipſe ſæpe fatetur Petrum Alexandriæ fuiſſe; ſi ab Antiochiâ Babylonem

lonem profectus eſt, erat illa Babylon Ægyptiaca, aliter Petrus Alexandriam nunquam vidiſſet. *Certum eſt*, inquit Salmaſius, *Petrum urbes illas, Alexandriam nempe & Babylonem, adiiſſe, & ἀπόλης ſuæ munus in Judæis, qui in illis civitatibus maximâ & abundantiſſimâ multitudine effervescebant, ad fidem convertendis exercuiſſe.* At hujus rei certitudo aliunde oriri non poteſt, quàm ex noſtrâ ſententiâ, quæ ſtatuit Babylonem, cujus mentio nuſpiam niſi in Epiſtolâ Petri habetur, urbem Ægyptiacam fuiſſe. Cumque rurſus ait, *ſi Romæ fuit Petrus, poſt Alexandriam, Antiochiam & Babylonem, hanc urbem inviſerit neceſſe eſt*; Libens hoc concedo; nam poſt Alexandriam & Antiochiam & Babylonem inviſit Petrus Corinthum, quam inter colonias Judæorum per Europam diſperſas numerat Philo; & poſtea profectus eſt in Italiam; non eo tempore quo Judæi à Claudio exacti ſunt, ſed ſub Imperio Neronis. Denique in quacunque urbe Petrus Epiſtolam ſcripſit, quæ vocatur prima, probari inde non poteſt eum Romæ nunquam fuiſſe; ſi Romæ, imò vel ſi alibi ſecundam ſcripſerit, 2 Pet. 3. 1. *Hanc ecce vobis, Chariſſimi, ſecundam ſcribo Epiſtolam*; hæc autem paulo ante mortem ſcripta, & quidem talem, qualem Chriſtus prædixit, 1. 14. *Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi.* Hoc certè extremâ Petri ſenectute, quam etiam prædixerat Chriſtus, ſcriptum fuiſſe certum eſt, cùm in eadem Epiſtolâ omnes Epiſtolæ Pauli laudentur, 2 *Pet.* 3. 16. *Sicut & in omnibus Epiſtolis loquens*; *Anno*, inquit Salmaſius, *Claudii duodecimo, altero ante primum Neronis anno Antiochiæ erat Paulus, & eodem venit Petrus.* Eo autem anno Paulus nullam Epiſtolam ſcripſerat, & multis annis poſt eum hæc ſecunda Petri Epiſtola ſcripta ſit neceſſe eſt, quâ omnes Pauli Epiſtolæ memorantur. Ac præcipuè illa ad Hebræos, quam diſertè Salmaſius à Paulo negat fuiſſe ſcriptam. Sic enim Petrus ad Hebræos ſcribens, cap. 3. v. 15. *Et Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitremini*; *ſicut & chariſſi-*

mus

mus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis. Quæ ſignanter dicta ſunt. Nam S. Paulus ad Hebræos, c. 9. v. 28. *Chriſtus ſecundò apparebit expectantibus ſe in ſalutem.* Noverat itaque S. Petrus Pauli Epiſtolas, noverat eas ab indoctis & inſtabilibus fuiſſe depravatas. Quæ omnia cognoſcere non potuit Petrus, ſi ab Antiochiâ Babylonem Aſſyriacam profectus ſit, atque inde pedem nunquam tulerit, ibique multo maturius ante mortem Pauli paſſus ſit, ſecundum Salmaſii ſententiam. Fateor equidem eum ſecundam Petri Epiſtolam prorsùs rejicere, ideoque hæc ad eos tantum ſcribo, qui cum Eccleſiâ Dei eam recipiunt. Negat etiam Epiſtolam ad Hebræos à Paulo ſcriptam eſſe, additque; *Qui Paulo tribuunt, ideo nomen ſuum ſuppreſſiſſe eum volunt, quia Hebræis ſcripta eſt.* Sed & hæc de Veteribus obſervatio, quam ad ſuam hypotheſin trahit Salmaſius, abſolutè vera non eſt. Nam antiquiſſimus eorum, qui de hac re ſcripſêre, erat Senior ille, quiſquis fuerit, quem laudavit in Hypotypoſibus Clemens. Ille autem hanc rationem reddidit, Ἐπεὶ ὁ Κύριος Ἀπόστολος ὢν τοῦ Παντοκράτορος ἀπεστάλη πρὸς Ἑβραίους, διὰ μεγαλοπρέπειαν ὁ Παῦλος ὡς ἐθνῶν κήρυξ καὶ Ἀπόστολος οὐκ ἐγγράφει ἑαυτὸν Ἑβραίων Ἀπόστολον διά τε τὸν πρὸς τὸν Κύριον τιμὸν, διά τε τὸ ἐκ περισσοῦ καὶ τοῖς Ἑβραίοις ἐπιστέλλειν ἰδίᾳ κήρυκα ὄντα καὶ Ἀπόστολον. *Quandoquidem Dominus omnipotentis Dei Apoſtolus ad Hebræos miſſus fuerat, præ modeſtiâ Paulus utpote ad Gentes miſſus Hebræorum Apoſtolum ſe minimè inſcribit, tum ob ſuam erga Dominum reverentiam, tum quòd ex abundanti ad Hebræos ſcriberet, cùm Gentium præco & Apoſtolus eſſet.* Ecce rationem reddit quare S. Paulus, cùm Epiſtolam hanc ad Hebræos ſcripſit, nomen ſuum præfigere noluit; nempe ob reverentiam quam erga Chriſtum habuit, qui à Deo Apoſtolus ad Hebræos miſſus eſt. Sed vel ille unicus verſiculus cap. 13. 23. *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo, ſi celeriùs venerit, videbo vos,* ſatis mihi probat eam Epiſtolam à S. Paulo ſcriptam eſſe.

Neque

Neque enim Barnabæ, neque Clementi, neque Lucæ ea verba tribui poſſunt, tanquam ob eorum aliquo de Timotheo ſcripta. Cui ſi adjunxeris teſtimonium ex ſecundâ Petri Epiſtolâ à nobis jam allatum; non video quomodo quiſquam negare poſſit, eam Epiſtolam eſſe Pauli, niſi putet de eâ re ſemper dubitandum eſſe, de quâ quiſpiam aliquando dubitaverit.

IX. Cùm nos nubem teſtium antiquiſſimorum ad probandum Romæ aliquando fuiſſe Petrum, adduximus; Salmaſius eos omnes rejiciens unico videtur eſſe contentus, eoque maximè idoneo, Clemente ſcilicet Romano; qui ſi teſtetur Petrum Romæ nunquam fuiſſe, dirimitur illicò hæc controverſia, & Salmaſio cum ſuo Clemente manus dandæ. Mira quidem res eſt, ſi ita ſe habeat. Patricius Junius noſter, qui Clementis Epiſtolam magno cum labore tranſtulit, Latinè vertit, Notiſque illuſtravit, hujuſmodi nihil animadvertit; imò dubium non eſſe, quin Romæ Petrus paſſus ſit, apertè profeſſus eſt. Quamvis hæc Epiſtola nobis non niſi nuper innotuit, primis tamen Eccleſiæ temporibus notiſſima fuit, etiam illis omnibus perſpecta, qui Petrum Romæ fuiſſe crediderunt. An veriſimile eſt Patres ſecundi Seculi doctiſſimos à Papia viro non magni judicii decipi potuiſſe, qui Clementi Romano ſummam in omnibus auctoritatem tribuebant? An cùm hæc Epiſtola in Eccleſiâ Corinthiacâ ſæpiſſimè lecta eſſet, Dionyſius Corinthi Epiſcopus ea tradidiſſet, quæ attulimus, ſi Clementis teſtimonio contraria fuiſſent? Sed verba Clementis audiamus, Λαβωμεν προ ὀφθαλμῶν ἡμῶν τοὺς ἀγαθοὺς Ἀποστόλους· Πόθῳ δικαίῳ ἄθλησεν, ἕνεκα ζήλου ἀθλους, οὐχ ἕνα οὐδὲ δύο, ἀλλὰ πλείονας ὑπήνεγκεν πόνους, καὶ οὕτω μαρτυρήσας ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης. *Ponamus nobis ante oculos bonos Apoſtolos; propter æmulationem iniquam Petrus non unum aut alterum, ſed plures labores ſuſtulit, atque ita Martyrium paſſus in debitum gloriæ locum migravit.* Primò, hæc verba Clementis nullo modo probant Petrum Romæ nunquam fuiſſe. Secundò,

nec

nec illud probant, Petrum Romæ paſſum non eſſe. Atſi Petrus Romæ paſſus eſt, inquit, id ignorare non potuit Clemens; Fateor. At Clemens, inquit, ignoraſſe videtur; nam ſi ſciſſet, expreſſiſſet: neque debuiſſet obiter tantùm & ſimpliciter dixiſſe, ὅτι ἐμαρτύρησεν. Sed Clemens nullo modo coactus eſt exprimere, quo loco Petrus paſſus ſit, nulla occaſio ei oblata eſt de loco paſſionis diſſerendi: diſſerit enim de peſſimis zeli & invidiæ effectibus, quibus tunc peccatis maximè obnoxii erant Corinthii; hortatur eos ad patientiam, quæ maximè in eo Eccleſiæ ſtatu erat neceſſaria: revocat illis in memoriam quanta mala omni ævo zelus & invidia orbi intulerant; & quòd qui nuper etiam Eccleſiæ columnæ erant, propter zelum & invidiam ad mortem uſque acerbam perſecutionem paſſi ſunt: quod oſtendit exemplo Petri & Pauli: neque nieminit loci in quo paſſus eſt Petrus, quia neque ad zelum aut invidiam inimicorum, neque ad patientiam Apoſtoli pertinebat. At *non debuit*, inquit, *ita diſtinctè de utriuſque morte & ſupplicio tradere*, ut & urbem in quâ paſſus eſt Paulus, & Tyrannum ſub quo paſſus eſt, expreſſerit; de Petro autem neutrum dixerit; quod dicere debuit, ſi Petrus in eadem urbe & ſub eodem tyranno paſſus fuiſſet. Sed nec hoc verum eſt, Clementem expreſsè dixiſſe Paulum aut Romæ, aut ſub Nerone paſſum eſſe: dixit quidem de Paulo, Ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου. *Ad Occidentis terminos* (ſive fines) *veniens, & ſub Imperatoribus martyrium ſubiens ſic è mundo migravit.* Ego certè in his verbis, neque Romam, neque Neronem expreſſum video. Quis enim unquam dixit Romam fuiſſe terminos, aut fines Occidentis? quæ quidem Occidentis pars fuit, ſed neque terminus, neque finis. Ut Velleius Paterculus *ultimum Hiſpaniæ tractum, extremum noſtri orbis* (id eſt, Occidentis) *terminum* appellat. Et Plinius l. 2. Ep. 3. *Gaditanum quendam* refert *Titi Livii nomine gloriaque commotum ad viſendum eum*

ab ultimo terrarum orbe veniſſe. Unde illa Hieronymi, Ep. 103. *Ad T. Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus; & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxerat.* Alia mens fuit Clementis, qui dum labores & peregrinationes Pauli perſequitur, eum ab Oriente per Aſiam longis iteratiſque peragrationibus in Occidentem, variaſque ejus partes, ut Illyricum, Italiam, & fortaſſe Hiſpaniam uſque perveniſſe docet. Sic apud Philoſtratum Apollonius Tyaneus, cum Nero edixiſſet, Μηδένα ἐμφιλοσοφεῖν τῇ Ῥώμῃ, πρόσταγμα ἐπὶ τὰ ἀσύνετα τ' γῆς, l. 4. c. ult. & l. 5. c. 1. Τὰ δὲ Γάλλων κεῖται μὲν ἔξω τὸ τῆς Εὐρώπης τέρμα. Quòd ſi Romam diſertè non expreſſerit, Neronem certè multo minus delineavit; dicit enim Paulum ἐπὶ τῶν Ἡγεμόνων, hoc eſt, ut illi volunt, *ſub Imperatoribus, ſub Nerone nimirum* explicante Salmaſio. Nero quidem Imperator, ſed Imperatores non fuit; multo minus Ἡγεμόνες; neque enim Ἡγεμόνες, *Imperatores* dicti ſunt; ſed qui ſub Imperatore in Provinciis præſertim, Præſidum loca ſub variis nominibus obtinebant. Fateor Paulum Romam veniſſe, fateor eum Romæ ſub Nerone paſſum eſſe; at neque Urbem, neque Imperatorem exprimere voluit Clemens, quia utrumque Corinthiis fuit notiſſimum. Ἐπὶ Ἡγεμόνων autem cùm dixit de paſſione Pauli, Præfectos ſine dubio intellexit, ut de Martyribus loqui ſolebant Veteres. Tertullianus de Coronâ, *& reus ad Præfectos.* Neque hæc vox tantùm in Provinciis ſolennis fuit, ſed etiam Romæ; ut patet ex Ep. S. Cypriani ad Succeſſum. *Sed & huic perſecutioni quotidiè inſiſtunt Præfecti in Urbe,* Romanâ ſcilicet, *ut ſiqui ſibi oblati fuerint, animadvertantur, & bona eorum fiſco vindicentur.* Tales erant Romæ, ultimo Neronis anno, duo Præfecti Prætorio Tigillinus & Sabinus, & cum ſumma poteſtate Helius. Denique manifeſtum eſt nihil hic à Clemente de Urbe, vel de

de Imperatore diſertè & expreſſim dictum eſſe, quia à Romanis ad Corinthios ſcripſit, qui hæc omnia non minus quàm ipſe, noverunt; imò Clemens mentionem loci non fecit, non quia ipſe ignorabat, ſed quia illi cognoverunt. Nam ſi ignoraſſet quo in loco, quâ in regione, aut quâ in orbis parte, mortuus eſt Petrus, quomodo aſſerere potuit eum Martyrio coronatum fuiſſe? Quî enim ſcire potuit, quo genere mortis affectus eſt, qui locum ubi vivere deſiit, penitus ignorabat? Quî novit eum ex zelo & invidia ad mortem uſque acerbam deductum fuiſſe, ſi neſciret in quo populo verſabatur tunc cùm exceſſit è vitâ? Proculdubio hæc loci omiſſio non ex ignorantiâ cujuſpiam, aut ſcriptoris alterius, ſed ex certiſſimâ omnium, ad quos ſpectabat hæc Epiſtola, tum Romanorum, tum Corinthiorum, aliorumque fidelium cognitione & exploratâ ſcientiâ, quæ ulteriorem expoſitionem minimè requirebat. Ac tandem argumentum hoc negativum ex Clemente productum, non eorum ſed noſtrum eſt. Clemens optimè novit, & ubi, & quomodo paſſus eſt S. Petrus. Idem etiam benè noverunt tum Romani, tum Corinthii, aliter eos eâ de re certiores feciſſet Clemens.

X. Quæ ediſſerit Salmaſius de tempore, quo Romam veniſſe dicitur Petrus, partim à nobis valdè probantur; ſed cùm inde confici poſſe putat Petrum Romæ nunquam fuiſſe, fugit eum ratio. Sub Claudio nondum eum Romam perveniſſe ſentio; ſub Nerone verò non veniſſe, nihil probat. *Anno*, inquit, *Neronis ſexto vinctus Romam adductus eſt Paulus; Petrum tunc Romæ non fuiſſe pluſquam certum eſt*; Fortaſſe. At per Neronis quinquennium Petrum Romæ fuiſſe quid vetat? Mors ſcilicet. *Nam è vivis jam multo ante abierat Petrus, quàm Paulus Romam venit.* Quàm multo, quæſo, ante? *Undecim*, inquit, *circiter annos; anno Claudii decimo.* Hæc ſi vera ſint, quorſum ulteriùs diſputamus? qui quadriennio, vel triennio ante Imperium Neronis mortuus eſt, ſub Nerone Romæ non fuit. Sed unde hæc de decimo Claudii anno? Salmaſius ipſe antè

dixerat duodecimo Claudii anno Paulum fuiſſe Antiochiæ, illucque veniſſe Petrum. Certè Romæ nunquam fuit Petrus; ſed neque Antiochiæ ſic fuiſſet, neque Babylone, ſi decimo Claudii anno mortuus eſt. Ex Eutychio hæc omnia. At Eutychius diſertè tradit Petrum Romæ fuiſſe, & prius Patriarcham Antiochiæ ſtatuiſſe, *& profectus eſt*, inquit, *deinde Petrus Romam, quod anno regni Caii Cæſaris ſecundo contigit.* Ibi etiam paſſum cum eſſe ſine dubio credidit. De tempore autem ab Euſebio diſſentit, aitque rurſum, *Occiſus autem eſt Petrus ſub annum vicesimum ſecundum poſt Dominum noſtrum Chriſtum.* At hoc factum eſſe non decimo Claudii anno, ſed ſub Nerone tradidit Eutychius; Verba ejus ſunt paulo ante, *Prehenſum verò Petrum Nero Cæſar Cruci affigit.* Manifeſtò enim ſequitur Eutychius traditionem illam quæ XXV. annos Pontificatui Petri tribuebat, quamvis non tot annis Romæ præfuerit: & ab illis triennium Eutychius decerpſit, quia Chriſtum credidit triennio ſeriùs paſſum eſſe quàm illi tradebant. Nam verba ejus etiam ſunt, *Tum poſt quadraginta dies in cœlum aſcendit annos habens triginta tres:* quem notavit XV. Tiberii annos natum eſſe XXX. Eutychii igitur anni XXII. prorſus conſpirant cum aliorum annis XXV. quorum ſententia accuratè expreſſa cernitur in vetuſtiſſimo Catalogo, de quâ ſententiâ, & illius errore manifeſto poſtea latiùs diſſerendum erit. Interim hactenus adductum eſt, quod probet Petrum ſub Nerone ante Pauli adventum Romæ non fuiſſe. Largior equidem per illud biennium, quo Paulus Romæ prædicaſſe ex Actis oſtenditur, Petrum in eadem Urbe non fuiſſe. Unde autem poſt illud biennium Petrum Romam non veniſſe probatur? Nempe Salmaſius ait Paulum Romæ ſeptem annos vixiſſe, & tum ibi Martyrium paſſum eſſe. Quamvis hæc nova ſint, & ut alibi oſtendimus in Tractatu de ultimo S. Pauli quadriennio, vel quinquennio, apertè falſa; tamen his etiam poſitis & conceſſis, nihil hujuſmodi inde probatur. Ideo enim tantam Petrum Romæ non fuiſſe toto illo biennio conceditur, quia

quia eo tempore nec Lucas Petri meminit, nec Paulus in Epiſtolis eo temporis tractu ſcriptis; inter quas non numerandæ ſunt Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes, & ad Galatas. Sed poſt illud biennium nihil ſuadet Petrum Romæ non fuiſſe, ſi modo Paulus inde unquam exierit; imò ſi ibidem permanſiſſe Paulum uſque ad Martyrium ſuum concederetur, nihil omnino probat Petrum, aut eo tempore, aut paulo antè, ibidem non fuiſſe. De his alibi diſputaturus contra vulgarem Romanorum ſententiam, eamque fortioribus argumentis refutaturus, hîc tantummodo ſententiam noſtram expromere ſtatui, & quidem verbis Theodori Bezæ, accurati admodum ſcriptoris, qui ad illa verba S. Petri, *Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta*, hæc annotat, *Quod traditum eſt de viginti quinque illis annis, quibus Petrus Romæ ſederit, partim ex Pauli Epiſtolis Româ ſcriptis probabiliter refellitur, partim etiam neceſſariis argumentis demonſtratur ex temporum ſupputatione; etiamſi Romam illam veniſſe ibique pro Chriſti nomine trucidatum fuiſſe, non invitus concedam.* Atque inde tandem concludo nullam Succeſſioni Apoſtolicæ, aut ejus autoritati, qualis ab antiquiſſimis Patribus contra Hæreticos aſſerta eſt, injuriam ex incertiſſimis, imò falſiſſimis de S. Petro aſſertionibus fieri debere.

CAP.

CAP. IX.

I. *Salmaſii nullos Apoſtolorum in Eccleſiis Succeſſores concedentis ſententia proponitur.* II. *Succeſſoris vox de Succeſſoribus partiariis uſurpata. In Alexandri III. Succeſſione* κάθοχοι, ἐπίγονοι, ἀπόγονοι, *quo pacto invicem diſtinguendi.* III. *Proinde quòd in partem ditionis Apoſtolicæ ſucceſſerint Epiſcopi, nihil tamen obſtat quo minùs dici poſſint Apoſtolorum Succeſſores.* IV. *Etiam ante mortem S. Pauli ſinguli Preſbyteriis Epiſcopi præfecti ſunt.* V. *Primam ad Timotheum Epiſtolam à Macedoniâ datam, antequam Romam veniret Apoſtolus, malè ſtatuit Salmaſius. Triplex memoratur Apoſtoli in Actis profectio in Macedoniam, quarum nullâ ſcribi hæc potuit Epiſtola.* VI. *Malè rurſus Epiſtolam ad Titum profectioni Macedonicæ aſſignat in Actis memoratæ.* VII. *Non affirmat Clemens Romanus Paulum, poſtquam Romam ingreſſus eſt, pedem inde poſtea nunquam extuliſſe.* VIII. *Bis Romæ Paulum fuiſſe probatur.* IX. *Inter binos illos Romam adventus impoſiti erant Presbyteriis viri ſingulares Epiſcopi.* X. *Idem probatur de ſecundo Temporum Apoſtolicorum intervallo, à Martyrio S. Pauli ad obitum S. Joannis.* XI. *Idem de tertio Intervallo*

vallo probatur ab obitu S. Joannis uſque ad tempora Victoris. XII. * * Additio.

I. HUjus in Eccleſiâ Romanâ Succeſſionis aliarumque in aliis Apoſtolicis Eccleſiis Tabulæ, apud antiquiſſimos Patres magni ſemper habitæ ſunt; ex illis diſputabant contra Hæreticos & Schiſmaticos: neque hi aut illi quicquam habebant, quod huic argumento ullâ veriſimilitudine opponi poſſet. Patet hoc ex locis Patrum tertio Capite adductis, ut plura addere neceſſe non ſit. Alia autem hujus Succeſſionis utilitas fuit, quòd eodem argumento vera & indubitata Ordinis Epiſcopalis antiquitas, & primordialis forma regiminis duraturi ab ipſis Apoſtolis derivata ſimul demonſtraretur. Iidem enim, qui doctrinam his Succeſſionibus traditam, & receptam pro verâ habuerunt, ſimul etiam docuerunt hos Epiſcopos in ſuis Eccleſiis fuiſſe Apoſtolorum in officio Succeſſores. Hoc autem eſt, quod Novatores malè habet; & nè hæc conſequentia admittatur, nullam in primis duobus Sæculis Eccleſiæ Succeſſionem fuiſſe aſſerunt, idque contra expreſſa eorum Patrum verba qui ſecundo Sæculo vixere. *Nulli Epiſcopi ſuccedere potuerunt Apoſtolis. Nulli Epiſcopi ſuccedere potuerunt illis Epiſcopis, qui ab Apoſtolis ordinati ſunt.* Sic Salmaſius in Apparatu. Unde ſequitur eos antiquos Patres qui ſecundo Sæculo vixere, omneſque qui illos ſequuti ſunt, non modò falſas Succeſſiones nobis tradidiſſe, ſed & impoſſibiles. Quid ſit αἱρετικὸς, qui appellandi αὐθεντικοὶ, optimè noverunt viri illi magni, Hegeſippus, Irenæus, Tertullianus, qui ſecundo Sæculo vixere. *Ipſe Hieronymus*, inquit Salmaſius, *aliquando errore iſto communi abreptus deprehenditur ſucceſſionum Epiſcopalium ab Apoſtolorum tempore repetendarum.* An communis ſententia Patrum fuit communis error? Habuerunt illi ante oculos Succeſſiones regum, & Succeſſorum nomina conſignata. Notiſſimæ tunc erant αἱρετικαὶ præcipuorum Philoſophorum, & αἱρετικοὶ

tum

tum loca, tum nomina. An ſoli Patres ignorabant, quibus nomina ἀξιώματα competebant? An adeò ignari rerum erant, ut tam notum vocabulum iſtis tribuerent, qui illud ferre nullo modo potuerunt? An qui ſub initio Sæculi ſecundi, vel ante medium vixere, quales Epiſcopos Sæculum primum jam affectum viderit, prorſus neſciebant? An Hieronymus neſcivit quomodo de Apoſtolis & Epiſcopis loquendum ſit, qui in Epiſtola ad Evagrium ſcripta, toties à Salmaſio laudatâ, hæc tam rotundè protulit: *Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & Sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

II. Quòd nulli Epiſcopi ſuccedere potuerint Apoſtolis, unico argumento probare nititur ex diſparitate Apoſtolorum & Epiſcoporum petito. Unuſquiſque Apoſtolorum habuit illimitatam Juriſdictionem, Epiſcoporum unuſquiſque limitatam: Nulli igitur Apoſtolo ſuccedere potuit Epiſcopus, quia tantùm partem illius Curæ & Juriſdictionis ſortitus eſt. Hujus argumenti vis nulla eſt; nam vox Succeſſionis, ubi pars tantùm poteſtatis, ſive Juriſdictionis alicui contigit, ſemper uſurpata & legitima habita eſt. Juſtinus lib. 19. cap. 1. *Mago Carthaginienſium Imperator die fungitur, relictis duobus filiis, Haſdrubale & Hamilcare, qui per veſtigia paternæ virtutis decurrentes, ſicut generi ſic & magnitudini patris ſucceſſerunt.* Sub Imperatore Claudio loco duorum unicus Præfectus Prætorio conſtitutus eſt Burrhus Afranius. Sub Nerone Burrho mortuo duo Præfecti Prætorio conſtituti ſunt, ut unius Succeſſores. Ita loquitur Tacitus, Annalium l. 14. c. 51. *Civitati grande deſiderium ejus manſit per memoriam virtutis, & Succeſſorum alterius ſequem innocentiam, alterius flagrantiſſima flagitia & adulteria.* Sic Herodes Româ redux poſt recon-

reconciliationem filiorum ab Auguſto factam tantum Cæſaris beneficium coram populo Hieroſolymitano, aſtantibus tribus filiis, agnoſcit. Ὁ μὲν γὰρ Κύριον ἐμὲ τῆς ἀρχῆς ἡ διαδοχῆς τοῦ διαδόχου κατέστησε, *Ille enim me regni Dominum & Succeſſoris judicem conſtituit.* Ἐγὼ δὲ τούσδε τοὺς ἐμοὺς παῖδας ἀποδείκνυμι βασιλέας, *Ego autem hoſce tres filios reges deſigno*, Ipſius ſcilicet in regno Succeſſores. Τῷ μὲν γὰρ Ἡλικία, τοῖς δὲ εὐγένεια τοῦ ἀξιόχρεω προσήκει, *Huic enim*, Antipatro, *ætas*; *illis*, Alexandro & Ariſtobulo, *nobilitas generis Succeſſionem conciliat.* Hos igitur tres filios ſuos Succeſſores ſibi publicè deſignavit Herodes, eóſque regni ſui hæredes partiarios conſtituit, quod proximis verbis apertè ſignificat. Τὸ γὰρ μέγεθος τῆς βασιλείας ἀρκεῖ καὶ πλείοσιν, *Magnitudo enim regni etiam pluribus ſufficit.* Hæc Joſephus de Bello lib. 1. cap. 17. Mortuus eſt Alexander magnus in maximo Imperio. Non interruptum eſt illius Imperium, ſed per Succeſſiones continuatum eſt, ſive ut loquitur Livius, *Maximum in terris Macedonum regnum nomenque inde morte Alexandri diſtractum eſt in multa regna*, quaſi *minutalia regna*, ut loquitur Tertullianus. Joſephus lib. XI. cap. ult. Τελευτήσαντος δὲ Ἀλεξάνδρου ἡ μὲν ἀρχὴ εἰς ἀδιάδοχος ἐμείνεν. Vetus Interpres, *Poſt obitum autem Alexandri Imperium quidem ejus inter Succeſſores eſt diviſum.* Agathias l. 2. de Imperio Perſarum tranſlato in Macedonicum ab Alexandro, Οὕτω γὰρ ἦν μεγαλωφελὴς εἰς τὰ μάλιστα καὶ ἀμαχόταλος, ὡς ἐπειδὴ ἀυτὸν ἡ ἀποθανασία ξυνέσχε, ὅμως τοὺς ἐκείνου διαδόχους, Μακεδόνας γε ὄντας, καθασχεῖν ὑπερπλέοντος τῆς ἀλλοδαπῆς καὶ ὀγκίας, καὶ ὑπὲρ μέγα δυνάμενος ἀφαιδρῦσαι. *Ita enim erat rerum geſtarum magnitudine eximiè clarus, belloque inſuperabilis, ut etiam poſteaquam eum è vivis excedere contigit, Succeſſores tamen ipſius, Macedones quum*

eſſent, alienam exteramque regionem quàm diutiſſimè in poteſtate retinuerint, & ad ſummam potentiam evaſerint. Qui hæc regna obtinuerunt, Διάδοχοι Græcis dicebantur, Succeſſores nempè Alexandri, non in toto Imperio, ſed in parte unicuique aſſignatâ. Τῆς βασιλείας ὑπὸ ἀλεξάνδρου οὐκ ἰχύσης, ut loquitur Diodorus Siculus. De qua re ita loquitur Euſebius de vita Conſtantini, lib. 1. cap. 7. Ἄυλιξα δὲ ἡ βασιλεία καταλίμπανε τῆς ἡγεμονίαν ἰκάστυ μοῖραν τῶν ἀνδριαντοποιῶν καὶ ἁρπάζοντο ἑαυτῷ. Idque adeò paſſim apud Græcos obtinuit, ut οἱ διάδοχοι ſimpliciter dicti, ſine adjecto, regni Alexandri partiarios peculiariter ſignificent; ſic apud Joſephum lib. 12. cap. 1. Μαρτυρῶ δὲ τῷ λόγῳ τούτῳ Ἀγαθαρχίδης ὁ Κνίδιος, ὁ τὰς τῶν διαδόχων πράξεις συγγεγραφώς. *Teſtis eſt orationi huic Agatharchides Cnidius, Succeſſorum Alexandri geſta conſcribens.* Sic apud Suidam, Ἑκαταῖος Ἀβδηρίτης γέγονε ἐπὶ τῶν διαδόχων. Et, Νύμφις Ἡρακλεώτης περὶ Ἀλεξάνδρου καὶ τῶν διαδόχων καὶ ἐπιγόνων. Horum locorum primo ætas Hecataei ſatis innoteſcit ex eo quod ſub Succeſſoribus vixerit; id autem intelligendum eſt de iis regibus qui Alexandro proximè ſucceſſerunt: Aliter ejus ætas prorſus remaneret incerta, quod ad ſcripta attinet. Erat autem ille cum Alexandro ipſo nutritus, & cum Ptolemæo Lagi commoratus eſt, ut teſtatur Joſephus lib. 1. contra Apionem. Secundò pariter Nymphis ſcripſiſſe intelligendus eſt de iis regibus, qui Alexandro proximè ſucceſſerunt, & de eorum liberis: id enim vox ἐπίγονοι ſignificat; filios ſcilicet Succeſſorum, non Succeſſores, ut Scaliger, neque Poſteros, ut Voſſius, qui ἐπιγόνοις τοῖς ἐπὶ Θήβας oppoſuit ἐπιγόνοις Ἀλεξάνδρου à ſe inventos; Græcorum enim nemo ita locutus eſt. Nam ut apud Apollodorum leguntur οἱ τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας παῖδες καλοῦνται ἐπίγονοι,

(Unde

(Unde apparet ἐπιγόνους dictos, qui filii erant ſeptem Ducum, qui apud Thebarum portas occiſi ſunt: de quibus ſcripta eſt à Sophocle Tragœdia Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας dicta, ut ante ab Æſchylo Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας:) Ita etiam Ἐπίγονοι dicti ſunt primorum Alexandri Succeſſorum filii, ut Hieronymus etiam ſcripſit περὶ τῶν Διαδόχων, teſte Joſepho, & περὶ τῶν ἐπιγόνων, teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi; utpote qui tum Διαδόχων, tum ἐπιγόνων ætate vixit. Qui autem ἐπιγόνοις ſuccedebant, non ἐπίγονοι, ſed ἀπόγονοι dicebantur, ut teſtatur Joſephus, Antiq. lib. 1. cap. 17. de Antiocho Epiphane loquens, Μακεδόνες δὲ αὐτὸν Ἐπιφάνειαν ἀφ' ἑνὸς τῶν ἀπογόνων ἐπωνόμασαν. Quod cùm non intelligeret Vetus Interpres, ἀφ' ἑνὸς τῶν ἀπογόνων, *ab uno priſcorum* reddidit. Ibi enim certè ἀπόγονοι pro poſteris Succeſſorum Alexandri poſiti ſunt. Ut poſt Hieroſolymorum excidium Eleazarus Sicariorum coryphæus, eidem Joſepho dicitur ἀπόγονος Ἰούδα τοῦ πάλαι Ἰουδαίων οὐκ ὀλίγους μὲν πεῖσαι τοὺς ἀποστάτας, ὅτι Κυρίῳ πιστοὺς εἰς τὸν Ἰουδαίων ἐτίμησε. De Bell. lib. 7. cap. 30. Ut Nicolaus Damaſcenus Philippum Octavii Vitricum, in Excerptis de Inſtitutione Cæſaris, τῶν τοῦ Μακεδόνα Φίλιππον (vel Φιλίππειον) καλουμένων ἀπόγονοι vocat. Et idem Damaſcenus de Adado Syriæ Rege, Τελευτήσαντος δὲ ἐκείνου ἀπόγονοι ἐπὶ δύο γενεὰς ἐβασίλευσαν, ἑκάστου καὶ τοῦ παιδὸς καὶ τοῦνομα τοῦτο ἐκδεχομένου. *Mortuo autem Adado poſteri ejus per decem generationes regnabant, unoquoque nomen hoc aſſumente.* Ita habemus primò τοὺς Διαδόχους, partiarios regni, Alexandri Succeſſores; ſecundò ἐπιγόνους, eorum Succeſſorum filios; tertiò ἀπογόνους, eorundem Succeſſorum poſteros. Quare notio Succeſſorum partiariorum non tantùm poſſibilis eſt, ſed etiam nonnunquam neceſſaria. Unde apparet quàm falſum ſit illud Salmaſii effatum,

Pluralitas non ſuccedit unitati: neque expoſitio Salmaſiana hujus effati abſurditatem tollit, cùm addit, *præcipuè diſpar & inferior.* Nam illi qui Alexandro ſucceſſerunt, cùm plures eſſent, diſpares etiam erant & Alexandro inferiores. Et ratio Salmaſii non eſt, ut ipſi videbatur, *validiſſima & inexpugnabilis.* Cum Nero omine ſiniſtro perterritus, & de Imperio retinendo ſolicitus complures ſubito interficere vellet, eum hoc ſapientiſſimo dicto, Dione referente, Seneca compeſcuit, Ὅσους ἂν ἀποκτείνῃς, οὐ δυνήσῃ τὸν διάδοχόν σου ἀποκτεῖναι. *Licet quamplurimos trucidaveris, non potes Succeſſorem tuum occidere.* Apoſtoli ipſi, quamvis ſummâ autoritate cœlitus donati, & poteſtate vitæ ac necis, ubi opus erat, uſi, tamen Succeſſores ſuos nec voluerunt, nec potuerunt è medio tollere. Et Salmaſius, qui nimis ſerò fatali unius argumenti ictu eos omnes de ſtatu ſuo deturbare conatus eſt, & fruſtra & infeliciter hoc efficere tentavit.

III. Cùm autem plures unius Succeſſores dici legitimè poſſint, ut ex antedictis patet; cur in hac unâ re nomen Succeſſionis admitti non poſſit, haud video. Quamvis maximum ſit diſcrimen urbis & orbis, maxima differentia Apoſtoli fundatoris, & Epiſcoporum ab ipſo creatorum; tamen ubi alicui Epiſcopo ſingulari Eccleſiæ in urbe aliqua conſtitutæ regimen, cum autoritate & poteſtate ſupra omnes Presbyteros ante creatos, & in poſterum creandos, ab ipſo Apoſtolo concreditum & demandatum eſt, ille Epiſcopus iſtius Apoſtoli in eâ Eccleſiâ ſucceſſor jure nominari poterit. Apoſtoli enim cùm fundarent aliquam in urbe alicujus Provinciæ Eccleſiam, in eaque Presbyteros conſtituerent, ſummam Eccleſiarum curam & regimen ſibi ſolis reſervabant, quamdiu ipſis viſum eſt. Sic nobis deſcribuntur Paulus & Barnabas primò regiones peragrantes, & Evangelizantes, & Diſcipulos facientes; & cum reverſi ſunt, Presbyteros fratribus ordinantes in unaquaque Eccleſiâ, *Act.* XIV. 21, 22, 23. Aliquot annis poſtea *dixit Paulus ad Barnabam, Revertentes viſitemus fratres per univerſas*

verſas civitates in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo ſe habeant, Act. XV. 36. Et Paulus cum Sila *perambulavit Syriam & Ciliciam confirmans Eccleſias*, v. 41. Hoc ordine primò conſtitutæ ſunt Eccleſiæ per diverſas Provincias. Apoſtoli autem cùm maximè ad utilitatem Eccleſiæ pertinere videbant, ut alius aliquis illis Presbyteris imponeretur, vel propter abſentiam nimis diuturnam, vel mortem appropinquantem, ſingulares Epiſcopos conſtituerunt, & Eccleſiis à ſe fundatis præpoſuerunt, qui ſic ab illis præpoſiti, durante vitâ, autoritate ſibi ab Apoſtolo ſuo demandatâ in ſua quiſque Eccleſia potiebantur. Et ideo propter Eccleſiam ab Apoſtolo primò fundatam, & ab eodem Apoſtolo alicui Epiſcopo concreditam, ille cui concredita eſt, meritò Apoſtoli Succeſſor ab omnibus poſtea appellatus eſt. Tales autem Epiſcopos ſingulares ab ipſis Apoſtolis ſuâ vice in Eccleſiis præpoſitos fuiſſe mox apertè oſtendemus; adeoque hoc argumentum Salmaſio eripiemus, qui aſſerit Epiſcopos non videri debere Apoſtolis ipſis ſucceſſiſſe, *Cùm illi*, ut ait, *nullum unquam talem Epiſcopum creaverint, qui ſummam in ſingulis Eccleſiis ſupra Presbyteros dignitatem & poteſtatem haberet.* Num cùm altera pars argumenti huic conjuncta, *Nullos*, ſcilicet, *Epiſcopos ſuccedere potuiſſe illis Epiſcopis qui ab Apoſtolis ordinati ſunt*, ad convellendam Succeſſionem ab antiquis Patribus traditam multo majoris ponderis eſſe videatur: cúmque hujus effati unica ratio aſſignetur, quia ſub Apoſtolis unicus tantùm ordo in Eccleſiis conſtitutus eſt, unde concludunt nullum Epiſcopum quales nunc ſunt, ulli Epiſcopo ab Apoſtolis ſuccedere potuiſſe: cùm denique multa de hac re in tumultuario opere à Salmaſio congerantur, & ſæpiuſcule repetantur, ut diſtinguat & latè diſterminet Epiſcopos poſtea ab Eccleſiâ introductos, ab iis qui ab Apoſtolis ordinati, & ab iis qui poſt Apoſtolos diu continuati ſunt in Eccleſia; nos diſtinctius & apertius de temporibus neceſſariò diſputandum, & de re tota ſimul diſſerendum eſſe duximus.

IV. Ac-

IV. Ac primò omnem hanc quæſtionem in eo verti concedamus, *Utrum per totam omnium Apoſtolorum vitam, quamdiu vel ultimus ex his Eccleſiam rexit, Epiſcopi iidémque Presbyteri plures Eccleſiis particularibus præpoſiti fuerint*, an verò in aliquibus Eccleſiis unus aliquis omnibus Presbyteris in eadem Eccleſia ſuperimpoſitus fuerit, *viventibus adhuc Apoſtolis, aut pluribus, aut uno ſaltem eorum qui longiſſimè vitam ultra cæteros produxerit.* Quæſtione in hunc modum conſtitutâ, ut diſtinctiùs & clariùs ſententia noſtra proponatur, & validiùs probetur, duo intervalla temporum Apoſtolicorum ſeparatim conſiderabimus, primum ante paſſionem S. Pauli, ſecundum ante obitum S. Joannis: Et in utroque temporum intervallo Epiſcopos ſpeciales & ſingulares in civitatibus, & Eccleſiis aliquibus particularibus omni Presbyterio in iiſdem Eccleſiis cum poteſtate ſuperimpoſitos ab ipſis Apoſtolis fuiſſe demonſtrabimus. Quod ad primum intervallum attinet, ſecundum legem à Salmaſio impoſitam, ex ſola S. Scriptura diſputabimus. Quippe ex ipſis S. Pauli Epiſtolis id quod à noſtris aſſeritur liquido conſtat, nempe in particularibus Eccleſiis ſingulares aliquos & ſpeciales, ut loquitur Salmaſius, viros præpoſitos fuiſſe omnibus Presbyteris inter ſe æqualibus, cum Juriſdictione ſupra illos Presbyteros priùs ordinatos; illoſque ſingulares & ſpeciales viros ab ipſo Apoſtolo Paulo, iis Presbyteris quos ipſe pari cum poteſtate inſtituerat, cum majore & exorti poteſtate ſuperimpoſitos fuiſſe. Ad hoc autem comprobandum nituntur noſtri præcipue autoritate Epiſtolæ ad Titum, & primæ ad Timotheum. Quod cum facile perſpiceret Salmaſius, & hæc diſputatio tota in temporum tractu poſita videretur, tempora Epiſtolis à S. Paulo ſcriptis aſſignanda ita confundere conatus eſt, ut exinde nihil certi colligi poſſet. Epiſtolam ad Timotheum primam, & alteram ad Titum ſcriptas fuiſſe ſtatuit diu antequam Paulus Romam vidit; Paulum Româ nunquam pedem tuliſſe, ſed in ea Urbe per integros ſeptem annos conſtitiſſe vult uſque ad Martyrium.

Ex

Ex quibus nonnulla ipſe primùm commentus eſt, reliqua ab aliis perperam poſita ad inſtitutum ſuum traxit. Nam primò ex Macedoniâ ſcriptam vult primam ad Timotheum; & *Epiſtola ad Titum*, inquit, *ſcripta eſt circa idem ferme tempus quo prima ad Timotheum, cum in Macedoniam rediiſſet ex Achaia, & in tranſitu Cretam adiiſſet.* Ita quidem alii.

V. Nos autem diu poſtea ſcriptam fuiſſe primam ad Timotheum Epiſtolam aſſerimus, & tam mature ſcribi potuiſſe pernegamus. Verba quidem S. Pauli ſunt 1 Tim. I. 3. *Sicut rogavi te permanere Epheſi cum irem in Macedoniam*, quæ ſibi favere putant illius ſententiæ autores. Ego verò ex iiſdem verbis demonſtro, neque illo tempore, neque quovis alio in Actibus denotato Paulum rogaſſe Timotheum ut Epheſi permaneret, aut ad illum ſcripſiſſe hanc Epiſtolam, in qua hæc verba continentur. Rectè Theodorus Beza, *Ter omnino vidit Macedoniam Paulus, ut ex hiſtoriæ filo apparet. Quamvis enim non omnia perſcripſerit Lucas, ita tamen contextam hiſtoriam eſſe apparet, ut non plures profectiones in Macedoniam poſſint conſtitui.* Ad nullam autem harum trium profectionum referri ullo modo poſſunt illa quæ produximus verba, ſive Paulum ſive Timotheum, ſive Epheſum ſive Macedoniam ſpectemus. S. Paulus primò incidit in Timotheum jam diſcipulum Lyſtris, eumque circumcidit, & ſecum abduxit priuſquam ipſe Macedoniam viderat. Et cum perveniſſet Troadem, in ſomniis monitus profectus eſt in Macedoniam, Act. XVI. 9, 10. In hac prima profectione non rogavit Timotheum Paulus ut Epheſi permaneret; ipſum enim ſecum habuit quamdiu in Macedonia ea vice moratus eſt, neque verò aut Paulus aut Timotheus Epheſi fuiſſe ante illud tempus perhibetur. Secunda Apoſtoli profectio ab Epheſo & Troade facta eſt, cum poſt tumultum Epheſi excitatum, *valedixit diſcipulis, & profectus eſt, ut iret in Macedoniam*, Act. XX. 1. cujus profectionis ipſe mentionem facit 1 Cor. XV. 5. & 2 Cor. II. 12. Sed nec in hac ſecundâ profectione Timotheum rogavit Paulus ut Epheſi permaneret, eum enim

enim illuc jam præmiſerat, *Mittens autem in Macedoniam duos ex miniſtrantibus ſibi, Timotheum & Eraſtum, ipſe remanſit ad tempus in Aſiâ*, Act. XIX. 22. Dedit etiam tunc Timotheo in mandatis, ut peracto in Macedonia negotio perveniret ad Corinthum, 1 Cor. IV. 17. Præterea dum Apoſtolus remanſit ad tempus in Aſiâ, ſcripſit primam ad Corinthios Epiſtolam, eo ipſo tempore quo Timotheus erat adhuc in Macedoniâ, in qua eum Corinthiis commendat his verbis, *Si autem venerit Timotheus, videte ut ſine timore ſit apud vos, opus enim Domini operatur, ſicut & ego.* Et quoniam Apoſtolus ipſe, mutato pro re natâ conſilio, non primò Corinthum, deinde in Macedoniam, ſed primò in Macedoniam, dein Corinthum proficiſci ſtatuerat; in ipsâ Macedonia Timotheum Corintho venientem recepit. Neque diu poſt ex Macedonia ſcribit ſecundam ad Corinthios Epiſtolam, 2 Cor. VII. 5. VIII. 1. IX. 2. ſimul cum Timotheo, 2 Cor. I. 1. Dein ex Macedoniâ Timotheus ſecutus eſt Paulum in Achaiam, eique in Achaiâ comes fuit, cùm ſcripſit Epiſtolam ad Romanos, Rom XVI. 21. & Achaiam ſimul cum Paulo reliquit. Nihil igitur certius aut exploratius ea obſervatione eſſe poteſt, quæ aſſerit in ſecundâ profectione in Macedoniam Paulum non rogaſſe Timotheum ut permaneret Epheſi. Tertia Apoſtoli profectio non ab Epheſo aut ex Aſiâ, ſed ex Achaia, eaque improviſa & ſubitanea fuit, propter metum inſidiarum quæ factæ ſunt tendentibus Hieroſolyma. Cùm autem inſtitueret tertiam hanc profectionem, ſeu potiùs reditum in Macedoniam, *habuit* enim *conſilium ut reverteretur per Macedoniam*, Act. XX. 3. non rogavit Timotheum ut permaneret Epheſi. Tunc enim totus erat in collectis tuto Hieroſolyma transferendis, & tunc Timotheus eum ſecutus eſt, utpote unus eorum quorum curæ concreditæ ſunt collectæ, qui cum *præceſſiſſent, Paulum reliquoſque præſtolabantur Troade*, & Paulus venit ad eos Troadem, unde ſimul profecti ſunt Hieroſolyma, ubi invenimus Trophimum nominatim qui Aſianus fuit, & cum Timotheo profectus

fectus eſſe dicitur in Aſiam, nec in itinere toto aut annis proximè ſequentibus, vel excogitari poteſt tempus aliquod quo ſcribi potuit illa Epiſtola, quæ celerem adventum Pauli ad Timotheum Epheſi permanentem pollicetur. *Hæc tibi ſcribo ſperans me ad te venire citò*, 1 Tim. III. 14. Et, *Dum venio attende Doctrinæ*, IV. 13. Quamobrem pro certo haberi debet, nullâ ex his tribus profectionibus Paulum rogaſſe Timotheum ut Epheſi permaneret, ac pariter certum eſt circa illa tempora non fuiſſe ſcriptam primam ad Timotheum Epiſtolam. Unde clarè ſequitur neceſſariò ſtatuendum eſſe, Paulum quartò in Macedoniam profectum eſſe, antequam Epiſtolam ſcripſit ad Timotheum. Illa autem quarta profectio inſtitui non potuit niſi poſt biennalem ejus Romæ cuſtodiam.

VI. *Epiſtola ad Titum ſcripta eſt*, inquit, *cùm in Macedoniam rediiſſet ex Achaiâ Paulus, & in tranſitu Cretam adiiſſet.* Ecce iterum Macedoniam toties vexatam, & nunc etiam productam, ad probandam Epiſtolæ ad Titum epocham, in qua ne nomen quidem iſtius regionis extat. Parum hoc eſt, vult etiam Apoſtolum cum ex Achaia rediit in Macedoniam, in tranſitu Cretam adiiſſe. Quis hæc ferre poteſt, qui Acta Apoſtolorum & Epiſtolam ad Titum legit? Erant tunc temporis Paulo ſociiſque ſuis concreditæ collectæ * ex Achaiâ; erant tunc illi ex Achaia † navigaturo in Syriam paratæ inſidiæ, quare redire ſtatuit in Aſiam per Macedoniam. An hæc cogitans Paulus navigare voluit in Cretam? & ſic in manus inſidiatorum ſe dare? An voluit in Creta Evangelium prædicando tempus terere, cùm ſummâ || feſtinatione Hieroſolyma adire contenderet? Si daremus Apoſtolum in Cretam navigaſſe, & Titum tunc temporis in eâ inſulâ reliquiſſe, quod nullo modo concedendum eſt, an cùm è Creta rediiſſet in Macedoniam, ex ea regione ad Titum ſcriberet, *Cùm miſero ad te Artemam aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim, ibi enim ſtatui hyemare*, III. 12. Quomodo enim tunc ſtatuere Nicopoli hyemare, cùm jam hyeme finitâ, Philippis

* 1 Cor. XVI. 1, 2, 4. † Act. XX. 3. || Act. XX. 16.

Paſcha celebrarer, & ſummâ Hieroſolyma adire contenderet, ut ibi Pentecoſten celebraret, & præterea exinde Romam videre maximè concupiverit? Quomodo de mittendo Artema, quem nondum comitem Pauli fuiſſe legimus, aut etiam de Tychico cogitavit, qui legationis illius pars fuit, & quem Romæ poſtea comitem Apoſtoli fuiſſe legimus? Quorſum eo tempore *Zenam juriſperitum*, de quo nihil in Actibus legitur, accerſeret? Quorſum Apollo, quem certè Paulus nondum Cretæ reliquerat? Hæc certè conſiſtere non poſſunt. Sed nec alii multo melius hanc rem explicant. Nam Baronius, qui anno ſuperiori Apoſtolum Cretam petiiſſe dicit, primò navigationem excogitavit ex Macedonia per Ægeum mare uſque ad Cretam, de qua ſilet Scriptura; deinde Paulum vult Cretæ reliquiſſe Titum, cùm Titus eo tempore quo Apoſtolus profectus eſt ex Macedoniâ in Achaiam, in Pauli contubernio non fuit, utpote ab ipſo præmiſſus ad Corinthios, ut collectas curaret in adventum ſuum paratas eſſe, 2 Cor. VIII. 6, 16, 17. Scriptam etiam è Græcia vult Epiſtolam, in qua Titum ut Nicopolim quam citiſſime ſe conferret admonuit, ubi hyemare ſtatuit; cùm eo tempore in Achaia per tres tantummodo menſes ſubſtiterit, qui omnes hyberni erant, ut ex hiſtoria patet. Ludovicus Capellus cùm has opiniones minimè ferendas eſſe perſpiceret, aliam ſententiam commentus eſt, his objectionibus minimè obnoxiam, ſed à veritate maximè alienam. Paulum ſcilicet in ſecundâ peregrinatione per Aſiam, quæ poſt Concilium Hieroſolymitanum facta eſt, navigaſſe Cretam, atque iſtic annuntiato Evangelio Titum reliquiſſe, ut ea quæ deeſſent corrigeret, atque mox ex Creta veniſſe Derben & Lyſtram. Nam quis credet Paulum ex Cilicia in Cretam navigaſſe tam longè diſſitam, ut in Lycaoniam perveniret, quæ erat Ciliciæ contermina; quis inquam ſine autore hæc admittet, præſertim cum in MS. Cantabrigienſi talis fiat connexio, Διελθὼν δὲ τὰ ἔθνη ταῦτα κατέλθοι εἰς Δέρβην καὶ Λύστραν, *Cùm has regiones* (Syriam

&

& Ciliciam) *pertranſiſſet, pervenit Derben & Lyſtram*, Act. XVI. 1.? Imò quis ei concedet Titum, quem tunc Cretæ relictum eſſe ſtatuit, in eâ peregrinatione Pauli comitem fuiſſe? Dicit quidem Capellus non ſemel, Paulum aſſumtis Silâ & Tito Syriam & Ciliciam peragraſſe, & citat etiam pro hac ſententia Act. XV. 40. ubi hæc tantum legimus, *Paulus verò electo Sila profectus eſt.* Nimis igitur ſuo ingenio indulſit, cùm, invito S. Luca, & novam navigationem Apoſtolo extra ordinem aſſignavit, & alium ei comitem ſine autore adjunxit. Revera non eſt ſcripta Epiſtola ad Titum aut ex Achaia, aut ex Macedonia, aut ab Epheſo, aut aliunde tam maturè ac illi volunt, neque S. Paulus vidit Cretam ante biennalem Romæ cuſtodiam. Poſt illam igitur Romam reliquit, in Cretam navigavit, ubi Titum reliquit, & ad eum poſtea non procul à Nicopoli ſcripſit.

VII. Sed quoniam hæc magni momenti ſunt, videndum porro unde probet Salmaſius ſuam ſententiam quam contra omnes tam veteres quàm modernos tueri conatur. Pro eo duo dicit, Primum, *Quod autem quibuſdam placet Paulum poſt illud biennium, Lucæ memoratum, iterum ejus rei petitâ veniâ in Græciam profectum eſſe, & anno poſt Romam reverſum, id quam verum ſit neſcio, nec multùm refert.* Satis hæc aſtutè. Novit enim plurimos aliter ſenſiſſe, ab aliquibus ſeptem, ab aliis plures annos poſt biennium Lucæ memoratum, Paulo ante Martyrium tribuiſſe. Sed Jacobi Capelli ſententiam retulit, quæ utrum vera an falſa ſit non multum referre ait, adhuc tamen nihil probat. Secundo propiùs ad rem ipſam accedit, *Ex Clemente potiùs liceat affirmare, ex quo Romam ingreſſus eſt primùm, nunquam poſtea inde pedem extuliſſe.* Certè ſi hoc à Clemente Romano dictum eſt, licebit Salmaſio, imo decebit omnes idem affirmare. Sed verba Clementis de Paulo, quæ ad hoc negotium ſpectantia adducit, hæc tantum ſunt, Ἐπὶ τὸ τέρμα τῆ δύσεως ἐλθὼν διὰ μαρτυρήσας τοῦτο τῶν ἡγουμένων

ἀπὸλλάγη τ κόσμυ· quæ ſic interpretatur, *Ad Occidentis finem veniens & ſub Imperatoribus Martyrium paſſus ita migravit è mundo.* Et tum inquit, *Aperte innuit non inde deceſſiſſe, ſed ibi Martyrium paſſum eſſe ſub Nerone.* Quid ſcripſit Clemens video; quid innuit vidit Salmaſius, non ego. Davus ſum non Oedipus. Certè non *innuit apertè* Paulum Roma nunquam diſceſſiſſe. Imò quis iſta ex hoc loco poteſt exculpere, in quo neque Roma, neque Nero nominatur; neque Καῖσαρ, neque Αὐτοκράτωρ, neque Αὔγυστος, neque Βασιλεύς, quibus nominibus uti ſolebant ſcriptores Græci, indigitatur? ex quo Paulum, vel Romam, vel Neronem vidiſſe unquam nullo modo probari poteſt? Quis crederet Virum impendio doctum ex talibus præmiſſis concluſionem tam enormem deducere potuiſſe? Hæc ſanè conſequentia tam infirma omnibus neceſſariò apparet, ut plura addere ſit in Lectoris patientiam nimium peccare.

VIII. Quamvis ea quæ jam diximus ſufficere videantur, adhuc tamen apertiùs & extra omnem controverſiam ex Epiſtola ſecunda ad Timotheum probatur Apoſtolum Paulum bis Romam veniſſe, & in ea Urbe haud diu ante mortem ſecunda vincula & ſeveriora paſſum eſſe. Nam Apoſtolus eam Epiſtolam ſcripſit, ut ex ipſa patet, Romæ, I. 17. & quidem in vinculis quorum ipſe mentionem facit I. 8. II. 9. Scripſit autem eam ad Timotheum tunc abſentem deſiderans eum videre, I. 9. Hæc autem vincula multum à prioribus differebant, & in his Apoſtoli conditio maximè diſpar fuit. Nam in prioribus vinculis prædicavit in conducto ſuo *cum omni fiducia ſine prohibitione.* Notiſſima tunc fuit Pauli domus, in qua per biennium habitavit, & *recepit omnes ingredientes ad eum*, Act. XXVIII. 30, 31. In ſecundis vinculis alia ſtatim rerum facies fuit. Tunc enim Oneſiphorus, inquit, *cùm Romam veniſſet, ſolicitè me quæſivit & invenit*, I. 17. An opus erat ut Oneſiphorus σπουδαιότερον, & cum tanto ſtudio ac ſolicitudine quæreret Paulum,

Paulum, & ex tam ſedulâ inquiſitione inveniret, ſi Apoſtolus aut in eadem domo, aut cum eadem libertate, & non in arctâ & abditâ cuſtodiâ prædicaſſet? De prioribus vinculis ad Philippenſes ſcribit, ea *manifeſta fuiſſe in prætorio & in cæteris omnibus; ut plures è fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantiùs auderent ſine timore verbum Dei loqui.* In poſterioribus autem omnes eum comites & Συνεργοὶ præter unum dereliquerunt, & in alias regiones tranſierunt, IV. 10. imò, inquit, *in primâ mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur*, IV. 16. Magnum certè diſcrimen inter biennalem Pauli cuſtodiam Lucæ memoratam, & hanc quam Apoſtolus in hac Epiſtola deſcribit; neque hujus diſparitatis ulla ratio excogitari poſſe videtur, quàm quòd prior ante incendium quod prædiis Tigillini Æmilianis proruperit, poſterior poſtea, neutra ſub ipſo incendio. Præterea magna hic apparet perſonarum mutatio, dum ad Timotheum abſentem ſcribitur Epiſtola hæc, qui in biennali cuſtodiâ Paulo aderat, & cum eo ſimul tres Epiſtolas ſcripſit ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, & ad Philemonem; neque tamen quiſquam adhuc Timotheum aut Troade, aut Mileti, aut Hieroſolymis, aut Cæſareæ relictum, aut Paulo comitem Romam uſque non fuiſſe conatus eſt oſtendere. Cùm hanc Paulus ſcripſit Epiſtolam, Demas eum reliquerat, & quidem cum hoc peſſimo charactere, *diligens hoc ſæculum*, qui in priori cuſtodiâ fidus Apoſtolo comes fuit, & inter ejus Συνεργοὺς ſalutavit Philemonem. Marcus etiam in ſecundis vinculis Româ aberat, ideoque Paulus monet Timotheum ut ſecum Romam afferat, IV. 14. Ille autem in prioribus vinculis Apoſtolo adhæſit, & Philemonem ſalutavit, 24. Tychicus non, ut alii, reliquerat Paulum, ſed ab eo miſſus fuerat Epheſum, cujus miſſionis Timotheum certiorem facit, IV. 12. quem bene noverat Timotheus & Paulo in biennali cuſtodia & ſibi adfuiſſe, & tunc Epheſum etiam miſſum fuiſſe cùm ſcripta eſt Epiſtola

ſtola ad Epheſios, VI. 21. & ad Coloſſenſes, IV. 7. Alia igitur & à priori diverſa hæc miſſio fuit. Denique in hac ſecunda Epiſtola habet nonnulla Paulus, quæ niſi poſtquam Roma elapſus fuerat, atque etiam plures provincias & regiones peragraverat, ſcribi nullo modo ad Timotheum potuerunt. *Eraſtus*, inquit, *remanſit Corinthi*, IV. 20. Quorſum hoc memoraſſet Timotheo, qui ipſi *aderat cum Corinthum* ante prima vincula proximè reliquit? Poſt illa igitur Apoſtolus Corinthi fuit, & poſtquam Corinthum iterum reliquerat & Romam venit, ubi hæc ſcripta ſunt. Similiter, inquit, *Trophimum reliqui infirmum Mileti.* At cum in itinere Hieroſolymitano erat proximè ante prima vincula, non reliquit Trophimum Mileti vel ſanum vel ægrotum, ſed ſecum duxit Hieroſolyma. Ibi enim Judæi *viderunt Trophimum Epheſium in civitate cum ipſo, quem æſtimaverunt quoniam in Templum introduxiſſet Paulus*, Act. XXI. 29. Fuit igitur Mileti Paulus poſtquam Româ elapſus eſt. Idem etiam de Troade affirmandum, ubi *reliquit penulam apud Carpum cum libris & membranis.* Ex his & ex iis quæ ante diximus, conſtat S. Paulum prioribus vinculis ſolutum Roma exiiſſe, multas provincias peragraſſe, Corinthi, Mileti, Troade fuiſſe, Nicopoli hyemaſſe, in Aſiam & Macedoniam profectum eſſe, & in Inſula Creta prædicaſſe, & denique Romam reverſum eſſe.

IX. In hac ultima peregrinatione Pauli dicimus eum viros ſingulares ſive ſpeciales Presbyteriis à ſeipſo conſtitutis ſuperimpoſuiſſe cum autoritate atq; poteſtate, quam Epiſcopi horum ſpecialium Succeſſores ſibi vendicabant. Nam Timotheus Presbyteris Epheſinis, quocunque nomine cenſeantur, ſuperimpoſitus eſt, ut eam Eccleſiam totam regeret, & Presbyteris ejuſdem omnibus cum autoritate ſibi demandata præeſſet, eoſque ubi opus erat corriperet, alioſque Presbyteros inſuper, quos neceſſarios putavit dignoſque reperit, ipſe ordinaret. Acceperat Timotheus gratiam Dei per impoſitionem manuum Pauli, qua inſtructus ad illud officium

officium rite perficiendum aptus & idoneus extiterat. Accepit etiam ab Apoſtolo admonitiones & præcepta per Epiſtolam, in qua omnes officii illius partes ſatis explicatæ, & earundem adminiſtratio ipſi demandantur. Quod ad rem præſentem attinet, accepit Timotheus ab Apoſtolo autoritatem exercendi cenſuras in tota Eccleſia Epheſina, *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*, V. 2. Eademque autoritas ſpeciatim ad Presbyteros in officio continendos extendebatur. Quæ eo nobis evidentior eſt, quòd cum certa limitatione proponitur, & quaſi diſcriminatur, *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere niſi ſub duobus vel tribus teſtibus*, V. 19. Idem etiam de poteſtate Sacros ordines conferendi obſervandum eſt; quæ ideo magis fit conſpicua, quia cum cautione traditur, *Manus citò nemini impoſueris; neque communicaveris peccatis alienis*, V. 22. Quæ de Timotheo & Epheſo, de Tito & Creta dicenda ſunt. Apoſtolus enim circa idem tempus ſcripſit ad Titum Epiſtolam, cujus ſtatim initio de poteſtate Sacros ordines conferendi ſic eum alloquitur, *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui*, I. 5. Eidem Tito plenam Juriſdictionem impertitur veram doctrinam cum ſummâ autoritate promulgandi, *Hæc loquere & exhortare, hæc argue cum ſummo Imperio; nemo te contemnat*, II. 15. falſis doctoribus ſilentium imponendi, οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν, *quorum oportet ora obturare*, I. 11. ac denique Hæreticos excommunicandi, *Hæreticum hominem* poſt unam & ſecundam *correptionem devita*, III. 10. Hæc de Timotheo & Tito clara ſunt; ſed de aliis idem affirmare ſecundum legem Salmaſii non poſſumus; non quòd alios etiam alibi paulo ante Apoſtolorum mortem Presbyteriis ſuperimpoſitos fuiſſe non credamus, ſed quod Sacrâ hiſtoriâ eorum temporum defecti ſumus. Neque verò fuit hæc mutatio regiminis ab Apoſtolis primò inſtituti, quam adeò incredibilem eſſe vult Salmaſius, ſed tantùm ejuſdem regiminis adimpletio, qua

Eccleſia-

Eccleſia ab Apoſtolo primum fundata, & miniſtris ſub Apoſtolo adminiſtrata. addito tandem ſingulari & ſpeciali viro, membris ſuis jam completa, & numeris omnibus abſoluta evaderet, itáque poſt Apoſtolorum mortem eâdem formâ & eodem vigore per ordinationis continuationem uſque ad finem Sæculi permaneret.

X. Secundo temporum Apoſtolicorum intervallo, à Martyrio S. Pauli ad obitum S. Joannis, quod triginta circiter annorum fuit, nullæ Sacræ literæ exaratæ eſſe creduntur, niſi quæ ab ipſo Joanne ſcriptæ extant. Ex eo tamen idem facilè demonſtratur. S. Joannes in Apocalypſi ſcribit ad ſeptem Angelos ſeptem Eccleſiarum in Aſiâ. Nominat Urbes ſeptem in quibus illæ Eccleſiæ conſtitutæ ſunt. Vidit Chriſtum in medio ſeptem Candelabrorum, dextrâ tenentem ſeptem Stellas. Didicit ab eo harum rerum myſterium, ſcilicet ſeptem Stellas eſſe Angelos ſeptem Eccleſiarum, & ſeptem Candelabra ſeptem Eccleſias. Unde unumquemque Angelum uniuſcujuſque Eccleſiæ ſeparatim alloquitur, & unicuique ſua bona, aut mala opera imputat. Hos Angelos Eccleſiarum dicimus fuiſſe viros ſingulares & ſpeciales earum Eccleſiarum rectores; quorum unuſquiſque ſuam Eccleſiam per aliquot jam annos rexerat, antequam Joanni Revelatio facta eſt. Presbyterium certè neque quia Seniorum eſt, neque quia Senatus eſt, neque propter ætatem, neque propter numerum Angelus uſpiam dicebatur. Ἀστέρες ſunt non Aſteriſmi illi Eccleſiarum Angeli: & quidem tales quales eorum Succeſſores, qui μεγάλα στοιχεῖα appellabantur; non *magna Elementa*, ſed *magna Lumina*.

XI. De tertio autem intervallo ſententia Salmaſii hæc eſt: *Politia quæ æquales omnes habuit Epiſcopos ſive Preſbyteros, duravit uſque ad tempora Antoninorum, vel uſque ad Victorem*, hoc eſt per annos minimùm LXXX. *Tunc quaſi decreto facto per totum orbem ea conſuetudo immutata eſt.* Ita ſcilicet interpretatur Hieronymum. Sed mens Hieronymi

nymi meliùs ex ipſo diſcitur, & rei veritas certiùs ex antiquiſſimis Patribus, & indubitatis hiſtoriæ monumentis colligitur, firmiterque concluditur ante Victoris, imò ante Imperii ſecundi Antonini tempora, ſingulares & ſpeciales viros ubique Eccleſias Dei rexiſſe. Sub Victore ſtatus Eccleſiæ ubique diffuſæ adeo manifeſtus eſt, ut ad illa uſque tempora Presbyteria cum ſumma poteſtate deducere ſummæ ſit dementiæ: ſed & ex ejuſdem Pontificis hiſtoriâ compertum eſt, diu ante illius Pontificatûs tempora in eadem regiminis formâ Eccleſias conſtitutas floruiſſe qua tunc florebant. Nam Polycrates ſeptem conſobrinos ſuos Epiſcopos fuiſſe, ipſum autem octavum teſtatur. Erat tunc Irenæus Lugduni Epiſcopus, ſed ſucceſſor Pothini, ſub quo etiam Presbyter fuerat. Inter cæteras erant etiam literæ Epiſcoporum Ponti, quorum Palma utpote antiquiſſimus primo loco poſitus eſt. Erat enim ille Amaſtrianorum Epiſcopus, ad quos ſcribens ſub Sotere Dionyſius Corinthius eum eorum Epiſcopum nominatim appellavit. Idem enim regimen ubique tunc floruit, cum Dionyſius ille Catholicas ad Eccleſias ſcripſit Epiſtolas, in quibus nominatim non tantum Palmæ meminit, ſed & Philippi Gortynenſium, & Pinyti Cnoſſiorum, & Quadrati Athenienſium, & Soteris Romanorum Epiſcopi. Ante Dionyſium cum peregrinatus eſt Hegeſippus, qui ſub Aniceto Romam venit ſub Imperio primi Antonini, Corinthi Epiſcopus Primus fuit, teſte ipſo Hegeſippo, qui etiam ſcribit ſe, cum Romam proficiſceretur, quamplurimos Epiſcopos adiiſſe.

XII. Locus Hieronymi, quem pro fundo habent novatores, jam explicandus eſt.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

H. D.

1. * *Id ſibi voluit Hieronymus*, antequam ſtudia in Religione fierent, communi Presbyterorum conſilio Eccleſias *fuiſſe* gubernatas; *ea verò* ſtudia *cum* Diaboli inſtinctu *evenirent*,

* In Epiſt. ad *Tit.* cap. 1. *Hieronymus* Epiſcopos Presbyteris ab ipſis uſque *Apoſtolorum* temporibus præfectos exiſtimavit.

nirent, ita tandem toto Orbe *fuiſſe* decretum, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & Schiſmatum initia tollerentur. *Quæ certè non de temporibus* Victoris, *ſed de* primis *partium ſtudiis, de ipſis illis quorum meminit in priori ad* Corinthios *Epiſtolâ S.* Paulus, *omnino ſunt intelligenda. Occurſum ait ipſis Schiſmatum* INITIIS, *cum tamen multa in Eccleſia Schiſmata* Victoris *tempora præceſſerint, non modo illud de quo agimus* Corinthiorum *ſub S.* Paulo. *ſed & aliud brevi conſecutum de quo ſcripſit ad eoſdem* Corinthios *S.* Clemens, *ſed alia illa* Hæreticorum *ſub* Trajano, Hadriano, *utroque* Antonino, *è latebris prodeuntium, inimicitiamque jam manifeſtam profitentium, ne jam* Schiſmata *illa memorem quorum occaſione ſcripſit* Ignatius, *quæ eſſet pro ſuſpectis habiturus forte* Salmaſius, *ne & alia illa quæ cavenda monet* Barnabas *atque* Juſtinus. *Malè* Schiſmatum Initia *ſublata dixiſſet* Hieronymus, *ſi tanti Schiſmatum progreſſus fuiſſent impunè neglecti. Sed verò* Paulinos *illos Schiſmaticos diſertiſſimè feriunt verba ipſa* Hieronymi. *De illis enim loquitur Schiſmaticis qui dicerent,* Ego ſum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ. *De illis (inquam) qui quos* baptizaverant ſuos eſſe putarent, non Chriſti. *Non* Phraſeologiam *modò* Paulinam *imitatus eſt, ut exiſtimat* Blondellus, *ſed* cauſam *ipſam* illorum *Schiſmaticorum deſignavit, verbis, quibus potuit, expreſſiſſimis. Nec enim alios legimus recentiores illis temporibus* Schiſmaticos, *qui Schiſmati ſuo* Baptiſmi *vel prætextum obtenderent. Nullos certè quos ob oculos habere potuerit* Hieronymus. *Sed nec ullum profert Teſtimonium* Hieronymus *Apoſtolicis illis temporibus recentius, ad confirmandam illam, quam obtendit, Presbyterorum Epiſcoporumque ἰσοτιμίαν. Fateor equidem è* recentioribus *priori illâ ad* Corinthios *Epiſtolis illum Teſtimonia produxiſſe. Recentiores enim erant quam dedit ad* Philippenſes, *& quam ad* Titum *ſcripſit Apoſtolus. Nullum tamen adduxit quod prius illud ſuperârit intervallum* Martyrii Paulini. *Nec verò paucorum erat annorum, quam per* totum orbem *obtinuiſſe credidit*

credidit Hieronymus, *Regiminis Eccleſiaſtici mutatio,* Corinthiaci *Schiſmatis occaſione oriunda. Nec Paulinarum Epiſtolarum Chronologiam callebant Veteres, ut quod fuerit reverâ recentius, id illos etiam recentius exiſtimâſſe fuerit neceſſe. Ne quidem unum ſcio qui multis à Chriſto nato Sæculis vixerit qui vel* uni *Epiſtolæ certum* annum *aſſignârit, nedum ut* ſingulis *aſſignare auſus fuerit. Felicioribus recentiorum inventis, ſi Deo grati eſſe velimus, hæc debemus omnia. Proinde nihil eſt unde colligant Adverſarii aliter ſenſiſſe* Hieronymum, *quam ſenſit Autor noſter de* præfectis, *primo etiam intervallo illo quod S.* Pauli *Martyrium præceſſerat,* Epiſcopis. *Quin potius idem ſenſiſſe oportuit ſi ſibi ſaltem conſtare velint* Hieronymum. *Semper enim ille Epiſcopos* Vid. ſuprà. *agnoſcit Apoſtolorum* Succeſſores, *non certè agiturus ſi tanto ab Apoſtolorum exceſſu intervallo Præfecturam ab Epiſcopis arreptam credidiſſet. Semper ille receptos Succeſſionis* Catalogos *ſine ullâ hæſitatione ſequitur, qui tamen Catalogi non alios complectebantur quàm* ſingulares *Presbyterorum Præfectos. Semper eodem ab Apoſtolis loco Epiſcopos* numerat *quo in illis Catalogis numeratos repererat, ut proinde* primos *Catalogorum deceſſores ab ipſis numerârit* Apoſtolis. *Sic ille in* Chronicis, *ſic in* Scriptoribus Eccleſiaſticis, *ſic & in aliis locis, quotieſcunque daretur occaſio. Nec verò alia illis temporibus* Autoritas *eſſe potuit quæ ſingulis in* toto Orbe *Presbyteriis Epiſcopos* imponeret *præterquam Apoſtolorum, cum non aliæ ex aliarum nutu penderent Eccleſiæ, ſed verò eſſent ſingulæ, pro ſuâ quæque ditione, abſolutiſſimæ, ab eo certè longiſſimæ ut in unam de re adiaphorâ ſententiam, & quidem brevi tempore, conſpirarent. Eſtque id omnino obſervatu digniſſimum,* Eccleſiæ *illi* conſuetudini *cui* exortem *tribuit Epiſcoporum in Presbyteros poteſtatem,* diſpoſitionem, *non* Apoſtolicam, *ſed* Dominicam *opponi ab* Hieronymo. *Ut proinde* conſuetudo *illa, ut non manârit à* Domino, *potuerit tamen ab* Apoſtolis *manare, pro ſententiâ* Hieronymi. *Unde etiam* Auguſtinum *intelligimus, alioſque recentiores qui tam* Auguſtinum, *quàm ipſum etiam ſequuntur*

Hieronymum, *quoties* conſuetudini Eccleſiæ *illam aſſignant Epiſcoporum eminentiam, nihil eſſe proinde quod obſtet quo minùs eadem conſuetudo* Apoſtolis *autoribus rectè etiam potuerit aſſignari. Aliud eſt de quo agit Pſeud-*Ambroſius *cum ait* proſpexiſſe concilium, ut non ordo, ſed meritum, crearet Epiſcopum, *nec vulgò hactenus intellectum. Non agit ille de* poteſtate *Epiſcopi deſignati, ſed de* modo *deſignationis alio atque alio.* Poteſtatem *ille* Epiſcopi *utroque modo deſignati prorſus eandem agnoſcit; modum tamen deſignationis nivatum aſſerit, ut cum antea quo quiſque* ordine *fuerat in Presbyteratum admiſſus, eodem porro ad Epiſcopatum aſpirârit, conſtitutum deinde ſit ut meliùs de Eccleſiâ meritì aliis quibuſvis præponerentur, etiam priùs ordinatis. Et cum ait, de hoc proſpexiſſe* concilium, *non* cœtum *aliquem Eccleſiaſticum intellexit qui in unum fuerit* locum *coactus; ſed* Epiſcopos Provinciales *in ſuâ quoſque* Provinciâ, *ſeu in unum* locum *convenisſent, ſeu minus. Hæc enim* Provincialium Epiſcoporum *Collegia* Concilia *appellari alibi monuimus. Nec verò neceſſe eſt ut moneamus pro Canonibus* Nicænis, *& pro moribus illius, quâ ſcripſit Pſeud-*Ambroſius, *ætatis* ſingulorum *ſuæ Provinciæ* Epiſcoporum *conſtitutionem ad Provincialium Epiſcoporum* Collegia *univerſa ſpectâſſe, qui perinde potuerant in deſignationis modo morem alium introducere. Nihil tamen illud obſtat quo minùs verum ſit quod impræſentiarum agitamus, ab* Apoſtolorum *uſque temporibus Epiſcoporum in Presbyteria* Præfecturas, *iiſdemque* approbantibus *Apoſtolis, deſcendiſſe, ſaltem pro ſententiâ* Hieronymi. *Tantum abeſt ut verum eſſe potuerit quod voluit* Salmaſius, *à* Victoris *tandem* Antoninorumve *temporibus illas eſſe Præfecturas arceſſendas.*

Non faciunt ad *Salmaſii* cauſam ſcu *Polycarpus* ſeu *Epiphanius* ſeu etiam *Irenæus.*

2. *Sed verò videamus quibus tandem Teſtimoniis ſententiam adeo paradoxam colligat* Salmaſius. *Nempe* Polycarpus *duorum meminit in Eccleſiâ duntaxat ordinum. Nec verò meminit interea* Salmaſius *quis fuerit ipſe* Polycarpus, *non unus certè è* plebe *Presbyterii* Smyrnæi, *qui ſuo, non* Eccleſiæ, *ne quidem* Presbyterii *ſolius, nomine totam illam concepit*

cepit Epiſtolam. Non meminit præterea Collectionis Ignatianarum *Epiſtolarum* Euſebianæ, *in quâ tanta illa Epiſcopalis* ὑπεροχὴ *verbis pleniſſimis aſſeritur, teſtem in eâdem Epiſtolâ eundem illum eſſe* Polycarpum. *Ne repetamus interim illa* Diſſ. Cypr. X. *quibus alibi probavimus, nihil prorſus ad eorum cauſam facere id genus* ἀκροπολίας. *Retulit eôdem illa* Epiphanii *quibus oſtendit quid cum Eccleſiæ Romanæ* Presbyteris *diſputârit* Marcion *ut in illius Eccleſiæ Communionem irreperet. Nec vidit interim*, Hygino *mortuo*, & *ſede adeo* vacante, *Romam appuliſſe* Marcionem. *Sed nec vidit ipſam Sedis illius* Vid. Dissert. III. ad Iren. προσδοκίαν *à* Marcione *expetitam, ut verbis ſatis manifeſtis prodit* Epiphanius. *Unde illud præterea colligimus, toto illo tempore quo hæc diſputavit cum* Presbyteris *Marcion, neminem illis fuiſſe* ἐπίσκοπον, *ut proinde* Epiſcopum *communi* Presbyterii *nomine complecti non poſſet* Epiphanius. *Mitto interim, ſiquis* Epiſcopus *fuiſſet*, & *quidem talis qualem poſteros fingit introduxiſſe* Salmaſius, *plenario in Presbyteros jure*, & αὐτονομίᾳ *legibus abſolutiſſimâ; adhuc tamen* Presbyteri *vocem ita hoc in loco uſurpâſſe* Epiphanium *ut etiam illum, nullo tamen ejus imminuto jure, complecti poſſet* Epiſcopum. *Quamvis non* excludat *Presbyteros etiam* Officio, *quod tamen ad vim* vocis *attinebat*, Ætatis *potiorem habuit quàm* Officii *rationem. Illos enim intellexit* Presbyteros *qui Traditionis* Apoſtolicæ *teſtes per* ætatem *eſſe poſſent*, Πρεσβύτας ἐν τῷ ὑπνῷ, ὃς ἀπὸ τῶν μαθητῶν [ς] τοῦ Ἀποστόλου ἐγεγόνεσαν. *Sic enim locum illum interpolandum eſſe alibi oſtendimus.* Senex *itaque* Epiſcopus *qui aut* Apoſtolos *ipſos aut* primarios Diſcipulos ἀκροάσεως *audiverat, utcunque diſpar à Plebeiis Presbyteris* officio, *hâc tamen* vocis *ſignificatione rectè potuit* Πρεσβύτερος *aut* Senior *appellari. Eôdem ſpectant* & Irenæi *illa quæ adduxit* Salmaſius. Anicetum *ſcilicet*, Pium, Hyginum, Teleſphorum, & Xyſtum *Presbyteros* Græcè *in Epiſtolâ ad* Victorem *appellavit*, *& rectè quidem*, Irenæus. *Erant enim illi* Victore *revera* ſeniores, *fenteſque*

fonteſque Traditionis Apoſtolicæ *propiùs attigerant, nimirum habitâ, quâ vixerant,* Ætatis *ratione. Conferuntur autem illi, non cum ſui quiſque* Seculi *Presbyteris, ſed cum* Victore, *ut proinde, ſiqua inde ſequeretur* Officiorum *paritas, non eſſet illa tamen cum* Presbyteris, *ſed cum* Victore, *conferenda.*

Pii I. Victoriſq; Epiſtolæ commentitiæ.

3. *Hæc è* genuinis *Eccleſiæ monumentis. Addit deinde* Salmaſius *loca ſimilia è* Pii Victoriſque *Scriptis commentitiis. Ita nimirum hypotheſibus ſubſerviunt Viri alioqui doctiſſimi, ut qui in* alienis *à cauſâ ſuâ teſtibus ſunt cenſores oculatiſſimi, iidem, ſiqua offerantur* Presbyteratui *faventia, tum demum lippiant, vel potius omnino cæcutiant. Quaſi verò ulla ſit ratio cur fidem* his *Epiſtolis adjungant qui* Ignatianis *denegant atque refragantur. Nec tamen illæ ullis* veterum *Teſtimoniis* comprobatæ, *ſed ne quidem* commemoratæ. *Nullus meminit earum Scriptor indubiæ fidei* coævus. *Nullus* vitarum Pontificalium *Catalogus. Nulli* Epiſtolarum Pontificalium *Collectores, non* Dionyſius Exiguus, *ne quidem Pſeudo-*Iſidorus. *Sed nec* recentiores *Iſidoro* Canonum Decretaliumque *compilatores. Nullus meminit* Euſebius, *nullus* Euſebii *in* Latinis *Eccleſiæ Scriptoribus ſuppletor* Hieronymus, *nullus Hieronymi* continuator, *non* Gennadius, *non* Iſidorus, *non* Honorius. *Sed nec alius quiſpiam paucis, quibus prodierint, Seculis antiquior. Sed* ætatem, *inquies,* res *ipſa loquitur, ut nullis ſit proinde opus externis Teſtimoniis. Hoc certè dictu* neceſſarium *eſt ſiquis velit Scriptores* nuper *natos, atque aliunde* ſuſpectos, *eumque* Veterum *Teſtimonio* deſtitutos, *defendere. Sed verò tantum abeſt ut in hâc, quam agimus, cauſâ verum ſit, ut ſit contrà falſiſſimum. Ætatem* recentiorem *ſatis prodit Impoſtoris in rebus Eccleſiæ paulo antiquioribus* imperitia. *Urbem Viennenſem* Senatoriam *appellat in utrâque Epiſtolâ Pſeudo-*

Conc. Chal. Can. 28.

Pius, *quod quo jure fecerit plane neſcio. Urbem* CP. Romanæ parem *faciunt Patres* Chalcedonenſes, *quòd ut* Roma, *ſic &* Conſtantinopolis, Senatum *haberet.* Parem Viennenſem, *aut aliam quamlibet Imperii* Romani *urbem, nemo* Veterum *affirmat.*

affirmat. Et quidem in Coloniis *non* Senatum, *ſed* Decuriones *atque* Duumviros *præfuiſſe Veteres Inſcriptiones manifeſtum faciunt.* Eleutherum *Aniceti* Diaconum *fuiſſe verus Autor teſtatur* Hegeſippus, *quem hic ſub* Pio Aniceti *deceſſore* Presbyterum *facit Impoſtor. Sed nec* tempora *conveniunt.* Attalum *cujus meminit Pſeudo-*Pius, *eundem illum exiſtimat* Baronius *qui poſtea ſub* Marco *Chriſtum ſit confeſſus, quâ etiam Perſecutione paſſum* Juſtum *ipſum, cui has Epiſtolas inſcripſit Impoſtor, tradit* Ado. *Reliqua* Trajani *referunt potiùs ætatem, quàm* Marci. *Sub* Trajano Verum *Apoſtolorum Diſcipulum, primum Viennenſem Epiſcopum, proximum tamen* Juſti *deceſſorem, paſſum volunt Fabulatores. Sub eodem* Trajano *res novas molitum in Aſiâ* Cerinthum *ſeu* Ebionem *teſtatur* Epiphanius. *Nec ſanè* poſt *Trajanum ſupereſſe potuit, quem, S.* Joanne *etiamnum* ſuperſtite, *ruina domûs oppreſſerit.* Trajani *præcipuè temporibus conveniunt* Presbyteri *illi quos* ab Apoſtolis educatos *ad ſua uſque tempora tradit perveniſſe Pſeudo-*Pius. *Iiſdem* Trajani *temporibus* Timotheus & Marcus, & Hermas, *ſi forte eoſque pertigerint. Quæ tamen omnia, veluti* nova, *Juſto ſuo narrat iſte* Pius. *Nec verò meliorís ſunt notæ quæ ſuperiori demum Seculo è* Floriacenſi *Bibliothecâ editæ ſunt Epiſtolæ* Victoris, *quàm ſint iſtæ* Pii è Viennenſium *Archivo depromptæ. Sunt & hæ* Veterum *ſuffragiis ſimiliter deſtitutæ, nec meliùs agunt perſonam* Victoris *quàm egerint illæ* Pii. *Veteribus incogniti ſunt* Epiſcopi *illi Viennenſes,* Deſiderius, Dionyſius, Paracodas, *cum tamen* Deſiderius, *ſi fuiſſet* à Presbyteris qui Apoſtolos in carne vidiſſent, eruditus, *tam notum eo ipſo nomine fuiſſe oportuerit, quàm fuerit* Irenæus. *Quòd verò dicit iſte* Victor, *à SS.* Petro & Paulo *inſtitutum ſuum illum morem* Paſchatis *die* Dominico *celebrandi*, recentiorum *illa placitis ad amuſſim conveniunt, non certè* Victoris. *Fateor equidem advertùt* Scotos Britannoſque *eâ ipſâ Argumentatione uſos noſtros* Anglos. *Fateor inde vulgò ſic ſenſiſſe recentiores. Nec tamen ſequitur ita Argumentaturum ipſum fuiſſe* Victorem, *aut*

Hegeſip. ap. Euſeb. H. E. IV. 22.

coævum

coævum *aliquem* Victori *Scriptorem.* Traditionem *duntaxat* majorum *Polycarpo* Apoſtolorum Traditionem *objicienti* *oppoſuerat paulo anteà* Anicetus. *Nec verò* majores *illos ultra* Xyſtum *deducere potuit* Irenæus. *Tantum aberat ut Traditionem* Apoſtolicam *obtenderent, qui etiam à* Victore *ſentirent. Ne dicam interim è verſione* vulgatâ *Scripturæ loca illum deprompſiſſe planum, non è receptis* illius ætatis *verſionibus.*

Nihil tamen teſtantur illæ quod faciat ad cauſam *Salmaſii.*

4. *Sed ſac demum* veras *eſſe, quas ſuppoſititias probavimus, Epiſtolas; nihil tamen illæ dicunt de quo glorietur tantopere* Salmaſius. Presbyteros *appellat Pſeudo*-Pius *illos qui* ab Apoſtolis educati *ad ſe uſque perveniſſent.* Presbyteros *Pſeudo*-Victor *illos qui* Apoſtolos in carne viderant. *Ecquis eſt quin videat de* ſenioribus *Traditionis* Apoſtolicæ *teſtibus intelligendum eſſe illum utrumque falſarium? Perversè autem è ſecundâ ad* Juſtum *Epiſtolâ colligit* Salmaſius *Epiſcopum non eſſe* majorem *Presbyteris, cùm id tantùm dicat larvatus iſte* Pius Juſto *ſuo,* Presbyteri & Diaconi non ut majorem, ſed ut miniſtrum Chriſti, te obſervent. *Quibus verbis non* negat *ille* Juſtum, *ſaltem* Diaconis *eſſe* majorem, *quod ne quidem negaturum puto, ſi expendiſſet, ipſum fore* Salmaſium. Diaconos *enim* alio *cenſeri* ordine *agnoſcit, ipſiſque* Presbyteris *inferiores. Et tamen eâdem prorſus, quâ de* Presbyteris *formâ præceperat, præcepit de* Diaconis, *ne & illi* Juſtum *ut* majorem *obſervarent. Id ergo perſenatus ille voluit Impoſtor quod voluit* Dominus, *ut qui* majori *eſſet inter Diſcipulos* loco, *is ſe* omnium ſervum *demiſſione animi atque humilitate præſtaret; quod voluit* Apoſtolus *cum* heros *monet ne ſibi etiam* herum *eſſe oblivi ſcerentur* in cœlis; *cum* ſervis *præcipit quæ* heris *ſuis obſequia præſtarent, ea itidem ad* cœleſtem herum *officia eſſe deferenda; quod ipſe* (*inquam*) *voluit* Ignatius (*quem tamen* nimium *credidit in Epiſcopalis juris aſſertione* Salmaſius) *cum in* viſibili Epiſcopo inviſibilem *tamen atque* Archetypum *docet eſſe colendum; cum* Polycarpi *faſtum, nequis forte oriretur, ita reprimit, ne ſe tam*

inſignem

ἐπίσκοπος *præſtaret, quàm potiùs* πρεσβύτερον, & ſupremo *illi* Epiſcopo *obnoxium. Nec alium tamen* Diſcipulum *alio negavit* majorem, *ſed ſuppoſuit potiùs* Dominus, *nec* ſervo *certè* herum Apoſtolus, *nec proculdubiò* plebeiis *Chriſtianis* Epiſcopum Ignatius *Epiſtolicus. Id unum eſt quod in commentitiis illis* Pii Victoriſque *Epiſtolis fortaſſe miremur, quòd* ætatem *teſtium Traditionum Apoſtolicarum* Græcâ *mallent* Presbyterorum, *quæ Æquivocationi erat obnoxia, quàm* Latinâ Seniorum *voce deſignare. Non tamen deerant illius* vocis, *in eâdem illâ cautâ, etiam apud* Latinos *exempla, quæ habere potuit ob oculos quicunque iſta confinxit.* Presbyteros *enim* ſeniores *illos appellaverat* Latinus *Interpres* Irenæi, Presbyteros *Euſebianæ Hiſtoriæ antiquiſſima verſio* Rufini.

5. *Ita nimirum è* ſingularium Præſidum *Epiſtolis probat tamen* Salmaſius *nullos fuiſſe* Præſides ſingulares, *duplici nimirum illâ fretus vocum homonymiâ; Aliâ quâ duplicem* Epiſcoporum Presbyterorumque *Ordinem, unicâ tamen ſimplicique* Presbyterorum *voce contineri arbitratus eſt; aliâ quâ ipſe hallucinatus eſt, nec à voce* officii *diſtinxit vocem* ætatis. *Concedit interim non obſtare* vocis *illam homonymiam quo minùs fuerint uni* Presbytero *jura quædam* ſingularia, *nec illi cum Collegis in communi Presbyterio communia. Hoc enim retulit quòd* ſingularium *duntaxat* Presbyterorum *ratio in Succeſſionis* Catalogis *haberetur. Nec potuit negare* Victoris *deceſſores, qui quidem invicem* Irenæi *memoriâ ſucceſſiſſent, fuerintque illi propterea notiſſimi, ita* ſingulares *ſaltem fuiſſe* Presbyteros: *Nec potuit negare talem fuiſſe* Presbyterum Hyginum *cujus meminerat, in loco ipſo quem produxerat,* Epiphanius. *Sed nec ipſos illos, quorum Teſtimonia adduxit,* ſingulares *potuit negare fuiſſe* Presbyteros, *tam* Polycarpum *ipſum, quàm* Irenæum Pothini *in ſingulari Presbyteratu ſucceſſorem, quàm denique ipſum illum* Pium *atque* Victorem. *Ut proindè non potuerit Vir Doctiſſimus ſententiam illis adeò alienam affingere, ſiqua illi fuiſſet cura Conſequentiarum. Cur igitur dubitat eorundem* Catalogorum

Jura quædam ſingularia *primariis Presbyteris* non potuit negare *Salmaſius.*

in Apoſtolos *Succeſſionis origines veracitatem agnoſcere? Nec enim aliud habet Argumentum quàm ipſam illam* vocum *homonymiam, quæ ſi hoc, de quo agimus, Sæculo non obſtet quo minùs fuerint* Presbyteriorum *ſinguli* Præſides, *cur, quæſo, obſtabit in Sæculo* Apoſtolico? *Sin obſtet, cur* paritatem *illam Presbyterorum* Apoſtolicam *deſcendiſſe credit uſque ad* Victorem? *Obſervaverat* Clementem *non* ſuo, *ſed Eccleſiæ* Romanæ *nomine Epiſtolam inſcripſiſſe quam dedit ad* Corinthios. *Alienum ergo crediderit neceſſe eſt à more* Apoſtolico *morem illum recentiorum Epiſtolas* ſingularium *hominum nominibus inſcribendi. Nec tamen vidit morem illum ab Apoſtolis alienum ſecutos ipſos illos, quos adduxit, ſervati moris Apoſtolici teſtes uſque ad* Victorem. *Sic certè Epiſtolas inſcripſêre* Polycarpus, Irenæus, & Pius *quoque*, Victórque Salmaſianus. *Sic certè quos paulo ſuperiùs adduxit Doctiſſimus* Ceſtrienſis.

Veterum nemo credidit quod credidêre *Salmaſius* & *Blondellus*, paritatem illam (quam volunt) *Presbyterorum* ad tempora Apoſtolicis *recentiora* deſcendiſſe.

6. *Sed verò quicquid ſentiant recentiores* Salmaſius & Blondellus, *neminem certè habent ex Antiquis Autorem qui* imparitatem *Presbyterorum adeo* recentem *ſtatuat, aut ab* Apoſtolorum *tempore tam* longe *remotam, ne quidem ex illis quos exiſtimant Presbyteranæ paritatis aſſertores. Vel unum nominent è* Veteribus *qui de* Catalogis *illis ab ipſis uſque Apoſtolis arceſſendis unquam dubitârit. Quare* imparitatem *illam ab ipſis uſque* Apoſtolorum *temporibus deduxerint neceſſe eſt, in eo duntaxat ab aliis diverſum ſentientes, quòd non* primis *illam aſſignent, ſed* poſtremis *Apoſtolorum temporibus. Illorum certè nemo* teſtimonia *adduxit de paritate Presbyterorum Apoſtolis* recentiora. *Illorum nemo de novando jam recepto Eccleſiæ Regimine cogitavit, ſi unum exceperis* Aerium. *Id innuunt recentioribus temporibus fuiſſe novatum, quòd quem honorem Apoſtolici* primario, *pro* ordinis *ratione quo in Presbyterium fuiſſet allectus,* Presbytero *conceſſerant, eundem recentiores univerſi Presbyterii* Præſidi *concederent, ſub nomine tamen* Epiſcopi, *nec* ordinis *habitâ, ſed ſolius* meriti, *ratione. Id præterea, ut è ſuo corpore delectum præfecerint* ipſi *proximi ab Apoſtolorum ætate*

Preſby-

Presbyteri; *eundem recentiori more præfecerint collecti è vicinià* Epiſcopi. *Huc ſpectant illa quæ tradunt hâc de cauſâ* Hieronymus & *Pſeud*-Ambroſius, *eorumque reliqui exſcriptores, in eo tamen à* Salmaſio *diverſiſſimi, quòd &* Poteſtatem *illam* primarii Presbyteri *jam conſtituti eandem faciant quæ poſtea fuerit* Epiſcopi, *illamque ab ipſis* Apoſtolorum *temporibus arceſſant.* Poteſtatem *eandem* Hieronymus *ipſe videtur agnoſcere, cum ait, pro more vetuſtiſſimo Presbyteros* ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominâſſe, quomodo (*inquit*) ſi Exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent. *Certè* Imperatoris *ab* Exercitu *jam* conſtituti *in ipſum etiam* Exercitum *Poteſtas erat, pro Imperii legibus, abſolutiſſima, ut monuit* Exercitum *Imperator ipſe* Valentinianus. *Proinde ritum illum* Epiſcopi *à* Presbyteris *deſignandi, ad Poteſtatem* Epiſcopalem *minuendam trahere non potuit* Hieronymus, *qui ita deſignatum Epiſcopum* IN EXCELSIORI GRADU COLLOCATUM *fuiſſe verbis diſertiſſimis agnoſcit. Et verò à S.* Marco *ipſo hunc morem repetit Epiſcopos deligendi, ne temerè illi excidiſſe putemus quòd in eâdem illâ quam tantoperè venditant Epiſtolâ* Epiſcopos omnes Apoſtolorum *faciat* Succeſſores. *Tantum abeſt ut* Apologiam *ſuam ſcripſerit pro* Hieronymi *ſententiâ* Blondellus. *In eo tamen hallucinatum exiſtimo ipſum* Hieronymum, *quòd Succeſſionem illam* primarii Presbyteri *paritatis Argumentum faciat, non quidem illius quæ more illo, de quo loquitur, etiamnum vigente, obtinuerit, ſed quam primis credidit* Apoſtolorum *obtinuiſſe temporibus. Illud quidem fateor Antiquorum moribus fuiſſe receptum, ut quoties* parium *alioqui* ſingulari *tamen alicui collegæ honor aliquis eſſet deferendus,* ætatis *ratio præcipuè eſſet habenda. Sed morem illum Veterum, quis demum fuerit, in* primario Presbytero *ſubrogando, non intellexit, ut exiſtimo, Pſeud*-Ambroſius *atque* Hieronymus. Primitias *in* Epiſcopos *ab Apoſtolis ipſis fuiſſe delectos teſtem habemus Apoſtolicorum* Temporum *certiſſimum* Clementem Roma-

Ep. ad *Evagr.*

num. Primitiarum *verò ordinem non à* primis, *ſed ſecundis* Baptiſmi *Natalibus repetendum cenſuerunt. Illos omnium* ſanctiſſimos *habitos*. doniſque *etiam* Supernaturalibus *inſtructiſſimos, alibi oſtendimus*; *& quò quiſque fidem Chriſti* prior *accepiſſet, eò etiam* ſanctiorem *fuiſſe*, doniſque *locupletiorem. Ad* Miracula *certè ſuperioritatem illam retulit verbis diſertiſſimis apud* Amalarium Ambroſius. *Unde conſentaneum eſt ne reliqua etiam* Dona *Supernaturalia excludantur, ad quorum*
Diſſ. II. ad *Iren.* *φαίνεσθαι ſpectabant illa* Miracula. *Ita factum ut quouſque* Primitiæ *illæ in Eccleſia ſupereſſent, non alii eſſent* αντιπαθῆς *æmuli digniores, nec, pro* meriti *ratione, alium fuiſſe ordinem in* Epiſcoporum *electione obſervandum. Sed verò ubi tandem defeciſſent illæ Eccleſiarum* Primitiæ, *defecit etiam* ratio *cur* primi *quique cæteris* digniores *haberentur*, *& eò quiſque* ordine *dignior quò fuerat in* loco *ſuperior. Jam enim donis* naturalibus *relicti*, ſupernaturalia, *pro* Dei *gratiâ*, *&* ſuo *cujuſque ſtudio, conſecuti ſunt, non certè pro* loci, *quem fuerat quiſque ſortitus, ordine. Ita factum ut verum deinde fuerit*
Pſeud. *Ambroſ. in Epiſ. IV.* *quod ait Pſeud-*Ambroſius, *ſeu potiùs* Hilarius Sardus, *ut* cœperint ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad Primatus tenendos: *utque ita* immutata *fuerit* ratio, proſpiciente Concilio, ut non Ordo, ſed Meritum, crearet Epiſcopum, multorum Sacerdotum judicio conſtitutum, ne indignus temerè uſurparet, & eſſet multis ſcandalum. *Nunquam itaque* ſenioritas *ea quicquam valuit ad Eccleſiæ munia capeſſenda, quæ* pares *alioqui ſupponeret, aut quæ* paritatis *eſſe poſſet proinde* Argumentum; *ſed ea tantummodo quæ præviarum diſpoſitionum* imparitati, *pro illius* Ævi *ſaltem eſſet diſciplinâ, conjuncta*; *quæque ad loci* imparitatem *eſſet idonea. Et poſt tempora tandem* Hadriani, *ratio illa immutata eſt*, *& à cujuſque loci* Presbyteriis *ad* Epiſcopos Provinciales *tranſlata eſt* Epiſcopi *deſignatio. Eò enim uſque alibi probavimus illas pertigiſſe* Primitias. *Quod non ita tamen intelligi cupio, quaſi univerſis in locis crederem illam tunc cœpiſſe mutationem; ſed quòd eo tandem circiter tempore cœpta ſenſim deinde*

inde in orbe univerſo fuerit recepta. Seriùs in Urbe Alexandrinâ *obtinuiſſe, nec ante* Heraclæ *aut* Dionyſii *Pontificatus, tertio demum Sæculo, tradit* Hieronymus. *Nihil tamen prorſus attinebat illa novatio ad* Poteſtatem Epiſcopalem. *Nec verò quicquam affert* Salmaſius *quo probet* diverſam *Epiſcopi utrolibet modo conſtituti* Poteſtatem. *Nudam urget ille* vocum *homonymiam, quam tamen alibi* nullam *Sæculo ſecundo fuiſſe docuit Autor noſter Eruditiſſimus. Siqui enim* Vindic. P. II. *unquam Epiſcopi* Presbyteri *dicti ſint, non tamen* Officii, *ſed* Ætatis *ratione ita appellatos oſtendit. Sed verò nullos unquam ſecundi Ordinis Presbyteros obſervavit idem, eodem illo Sæculo ſecundo,* Epiſcoporum *appellatione fuiſſe inſignitos.*

7. *Ut tamen verè ita* ſenſerit Hieronymus, *ut vult illum* Multa ſunt in *Hieronymi Ratiociniis* infirmiſſima. *ſenſiſſe* Salmaſius, *non propterea tamen, quod ſenſit ille,* verum *eſſe concedimus. Sunt enim in ejuſdem* Ratiociniis *multa* falſiſſima. *Imprimis, quòd inſtitutos credidit ab ipſo* Domino *Presbyteros, quos tamen ab* Apoſtolis, *& quidem multis à Domini Paſſione annis, alibi inſtitutos oſtendimus. Deinde quòd è* nominum *confuſione colligat nullam* Reſp. ad Grot. *fuiſſe* officiorum, *ſub iiſdem licèt nominibus, diſparitatem. Quaſi verò ea omnia* ſingulis *fuerint conceſſa Presbyteris quæ* Primario, *ſeu* Presbyterum *illum appellare malis, ſeu potiùs* Epiſcopum. *Hanc etiam ſequelam non, quàm ſit infirma,* Diſſ. Cypr. X. *alibi oſtendimus. Nec verò illam vel probare conatur* Hieronymus. *Tum deinde quòd hanc* Eccleſiæ conſuetudinem, *quam quidem ille Eccleſiæ* Apoſtolicæ *intellexit,* Dominicæ diſpoſitioni *opponat, quaſi nempe* majori minorem. *At quæ* Deo revelante *præceperunt* Apoſtoli, *ea certum eſt ipſum præcepiſſe* Dominum. *Nec verò ullum legimus* Domini *de* Presbyteris *præceptum niſi* mediantibus Apoſtolis. *Ita tam* Dominicæ diſpoſitioni *tribuenda erat recentior illa* Eccleſiæ conſuetudo *de præfectis Presbyteriorum Epiſcopis quàm & prior illa, ſiqua unquam fuiſſet, Presbyterorum omnium paritas, utraque nimirum à* Domino, *non quidem* immediatè, *ſed* mediantibus *duntaxat* Apoſtolis. *Denique & illud infirmum eſt, quòd* priorem *Eccleſiæ etiam* Apoſtolicæ

praxim

praxim poſteriori præponendam cenſuerit. Non obſervaverat nimirum ille omnem Eccleſiæ Diſciplinam paulatim *fuiſſe ab Apoſtolis introductam, non alios* illis *quàm* Judæis *aliquandiu fuiſſe conventus, nec alio uſos proinde* Regimine; *cum ſeceſſio contigiſſet à* Judæorum *Synagogis, tum demum proprios ſibi* Chriſtianos *conſtituiſſe* Presbyteros; *illis deinde conſtitutis, invaluiſſe tamen etiamnum illam* Spiritualium Prophetarumque *licentiam quorum tam multa in Epiſtolâ ad* Corinthios *primâ reprehendit Apoſtolus, nec* facile *illos, nec* brevi tempore, *in ordinem fuiſſe redactos; tot tandem gradibus* conſtituto firmatoque *Regimine, tandem fuiſſe opportunum ut manum illi* ultimam *imponerent. Quare, quòd ad* Regiminis *cauſam attinet, quò quæque ſunt in Sæculo Apoſtolico* antiquiora, *eò* minùs *ad uſum poſterorum accommodata fuiſſe neceſſe eſt, ut proinde à* poſtremis *Apoſtolorum decretis procedat viceverſâ omnium firmiſſima Argumentatio. Ita cauſâ cadent undiquaque Adverſarii, ut nec cum* illis *ſenſerit, nec de eo valde laborandum ſit* quid *ſenſerit,* Hieronymus.

CAP.

CAP. X.

I. *Pontificum Romanorum Succeſſiones deſcripſit, ante Euſebium Anonymus qui ſcripſit ſub Severo.* II. *Euſebius in temporibus Pontificum Romanorum diſponendis nullum habuit Autorem.* III. *Multis id exemplis evincitur. De temporibus Xyſti.* IV. *Dionyſium Romanum cum Dionyſio Alexandrino aliquot annis ſedem tenuiſſe neceſſe eſt.* V. *Diu etiam ante Synodum illam Antiochenam quæ Samoſatenum depoſuit.* VI. *Succeſſit Romæ Dionyſius Gallieni ſexto, Antiochiæ Paulus ejuſdem Gallieni octavo.* VII. *Synodus Antiochena in Paulum Samoſatenum unica. Ea anno Gallieni undecimo primùm congregata eſt, duodecimo Dionyſium Alexandrinum invitavit, decimo tertio Gallieni, Chriſti* CCLXVI. *depoſito Paulo Domnum ſuffecit.* VIII. *Dionyſius Romanus mortuus A.D.* CCLXIX. *Defenditur tempus Synodi Antiochenæ ab Autore deſignatum.* IX. *Euſebii in reliquorum ad Caium uſque ſuccedentium Pontificum temporibus errores.* X. *Non fuit alius à Marcellino Marcellus Romanæ Urbis Epiſcopus.* XI. * * Additio.

I. POſtquam de Succeſſionibus Epiſcoporum, earumque vi & naturâ, atque utràque origine ſententiam noſtram explicuimus, & earundem autoritatem ex mente Sanctorum

Sanctorum Patrum vindicavimus; tempus eſt ut ad ipſarum Catalogos cum ſuis temporibus cuique Epiſcopo aſſignatis, quæ hactenus obtinuerunt, perveniamus. Ac primò ad eum Romanæ Succeſſionis Catalogum, qui ab Euſebio omnium primo cum certis annorum intervallis traditus eſt. Quippe ab antiquiori incepturum me promiſi ipſo ſecundi Capitis initio; cujus promiſſi memor, poſt tot interpoſita non inutilia, uti ſpero, capita, ad penſum Chronologicum me accingo, & ad Euſebium tanquam primum examini noſtro ſubjiciendum progredior. Non quòd Euſebius revera primus ſit qui tempora Pontificum Romanorum deſcripſit, ſed quòd inter ſcriptores qui nunc extant primatum teneat. Erat enim quidam Anonymus, qui ſub extremis Alexandri Imperatoris tempore floruit, Africano coævus, quique circa An D. CCXXXVI. libellum ſcripſit, de diviſionibus & generationibus Gentium, cui inſeruerat Epiſcoporum Romanorum Succeſſionem, cum annis quibus unuſquiſque ſedit; ut patet ex Indiculo illius Operis Præfationi præmiſſo, in Nova Bibliotheca MSS. librorum à Labbeo editâ, cujus hoc ultimum lemma fuit, *Nomina Epiſcoporum Romæ, & quis quot annis præfuit.* Sed hoc ipſum Opuſculum deſideratur, & fortaſſe ideo à Librariis omiſſum eſt, quòd ab Euſebiano Chronico, cui adhærebant, magnopere diſcrepabat.

II. Inter ea, quæ Euſebio in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ tradere propoſitum fuit, primum ac præcipuum locum tenebant hæ Epiſcoporum Succeſſiones. In hujus operis argumento τὰς τῶν ἱερῶν Ἀποστόλων ἀῤῥαφους διαδοχὰς primo loco proponit, & in fine Libri ſeptimi concludit τὴν τῶν ἀῤῥαφων διαδοχῶν ὑπόθεσιν, *Succeſſorum argumentum.* Sint igitur iſtæ Succeſſiones Epiſcoporum quæ in Hiſtoriâ & Chronico Euſebii recenſentur, maximi faciendæ, utpote omnium vetuſtiſſimæ ac certiſſimæ, ut fert Valeſii ſententia; certè cùm eorum tempora Chronologicè diſponit Euſebius, anni eorum pro certiſſimis haberi non debent. Conſtat enim Euſebium non

ex

ex Archivis Eccleſiæ Romanæ Pontificum tempora hauſiſſe, nec ex aliquo alio ſcripto, quod ullam certitudinem temporum præ ſe ferret; nam alios in Chronico prius ſcripto, alios poſtea in Hiſtoriâ Epiſcopis Romanis annos ſæpè tribuit; &, ut nunc de prioribus Epiſcopis nihil dicam, de quibus in ſecundâ Diſſertatione ſingulatim & copiosè diſputabimus, aut de iis etiam de quibus in Annalibus Cyprianicis diſſeruimus; in poſterioribus quoque & ſuæ ætati proximis, quæ prioribus notiora fuerunt, manifeſtò lapſus eſt, etiam tum cùm Depoſitio Epiſcoporum Romæ erat conſervata. Quòd ſi appareat Euſebium in temporibus eorum, qui ſuæ ætati propiores erant, referendis nullum certum Indiculum habuiſſe, quem ſequeretur; nemo, opinor, contendet ei certa magis & explorata fuiſſe priorum Pontificum tempora à ſuis longè remotiora; quod ſatis eſt ad ſecundam Diſſertationem noſtram ab omni temeritatis notâ vindicandam, cùm à ſententiâ tanti viri & de Eccleſiâ optimè meriti ſæpius cogar recedere.

III. In Chronico Euſebii ad annum Valeriani primum vel ſecundum hæc legimus: *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum tenet* XXIII. *Xyſtus annis* VIII. Et ad Gallieni decimum vel undecimum: *Alexandrinæ Eccleſiæ* XXIV. *Epiſcopus ordinatur Maximus.* Ad ejuſdem undecimum vel duodecimum: *Romanæ Eccleſiæ viceſimus quartus Epiſcopus conſtituitur Dionyſius annis* IX. *vel* XII. Et rurſus ſub initio Imperii Probi: *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum ſuſcipit* XXV. *Felix.* Duobus igitur Romanis Epiſcopis Xyſto & Dionyſio ſimul ſumptis annos tribuit ſupra viginti. Qui quidem immanis Parachroniſmus eſt. Ac ne forte error in Editionem Chronici irrepſiſſe videatur, idem etiam haud minor, ſed potiùs major apparet in Hiſtoriâ. Illic enim l. 7. c. 27. Pontificatui Xyſti tribuit annos undecim. Neque mirum; Nam quem ordinatum eſſe docuit ſub initio Valeriani Chronicon, eundem ſub Gallo ordinatum eſſe narrat Hiſtoria. Primo igitur ingens error ubique committitur in Pontificatu Xyſti, ſive initium ſive finem ejus

ſpectes. Nam ſi ſub Gallo ordinatus eſt Xyſtus, ſucceſſit Lucio, & Stephanus Papa nunquam fuit; ſi ſub primo vel ſecundo Gallieni, error adhuc manet, qui & alium in Chronico ſibi adjunxit. Nam inde in eo legimus ad annum Valeriani ſecundum: *Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus Martyrio coronatur.* Qui manifeſtus eſt aliquot annorum Prochroniſmus: Si Cyprianus vel proximo, vel eodem anno quo ordinatus eſt Xyſtus, Martyrium ſubiit, quod verum eſt; initium Xyſti multo maturius quàm oportuit ab Euſebio ponitur. Unde conſtat eum non habuiſſe certum aliquem Romanorum Epiſcoporum Catalogum; quod ad annos Cornelii, Lucii, Stephani, & Xyſti pertinet. Sed majorem multo ἀκριβείαν exhibet finis Pontificatûs Xyſti, quàm initium. Poſt Xyſti Martyrium ſanè glorioſum, Dionyſius Romanus Presbyter ordinatus eſt Epiſcopus. At hunc ordinatum eſſe anno poſtquam Maximus in locum Dionyſii Alexandrini ordinatus fuerat, ſtatuit Chronicon, ut diximus. Quo errore nihil poteſt eſſe apertius. Multa enim in Hiſtoriâ tum apud alios, tum apud ipſum Euſebium inter Dionyſium Alexandrinum, & hunc Dionyſium Romanum, Xyſti jam Succeſſorem conſtitutum negotia tranſacta memorantur. Non igitur vixit Xyſtus poſt mortem Dionyſii Alexandrini, neq; Dionyſius Romanus, anno poſt ordinationem Maximi, Epiſcopatum ſuſcepit.

IV. Euſebius quidem in Hiſtoriâ videtur Chronicon ſuum aliquatenus correxiſſe, dum tradit Dionyſium Romanum duodecimo Gallieni anno ordinatum, Alexandrinum eodem anno mortuum eſſe. Sed nec unius anni ſpacio comprehendi poſſunt ea, quæ Dionyſius Alexandrinus cum cognomine Romæ Epiſcopo commercia habuiſſe noſcitur. Inter Dionyſii Alexandrini opera ab Hieronymo in Catalogo recenſentur, *Quatuor libri ad Dionyſium Romanæ Urbis Epiſcopum*; quos recenſet etiam Euſebius lib. 7. cap. 26. tacito *Epiſcopi* vocabulo, quod tamen ſubintelligendum eſſe docet nos S. Athanaſius: quod ita intelligo, ut

unus

unus ad Dionyſium Romanæ Urbis adhuc Presbyterum, tres reliqui ad eundem jam Epiſcopum ſcripti fuerint. Hi quatuor Libri, ſive Epiſtolæ, ad Dionyſium Romanum Epiſcopum, non ab Autore jamjam morituro ſcripti ſunt. At Alexandrinus ille invitatus ad Synodum Antiochenam ſe per Epiſtolam excuſavit propter ſenectutem & infirmitatem corporis. Unde Hieronymus de eo in Catalogo; *Sed adverſus Paulum Samoſatenum, ante paucos dies quàm moreretur, inſignis ejus fertur Epiſtola.* Neque verò unius anni erat iſtud negotium, quod ab eo extorſit quatuor illos, vel ad minimum tres, libros ad Epiſcopum Romanum ſcriptos, ut ex illâ hiſtoriâ conſtat, quæ ab Athanaſio tum in Libro de Synodis, tum De ſententiâ Dionyſii narratur, & à Baronio & Binio perperàm explicatur. Binius ad autoritatem Pontificis omnia trahens, inquit, *Pontifex, Epiſcoporum conventu indicto, Dionyſium Alexandrinum ad Concilium citat*, quæ citatio nunquam facta eſt: Præterea, *quid ſentiat ſcripto profiteri mandat*, quod mandatum etiam pariter falſum eſt. Baronius ex Athanaſio Dionyſium Alexandrinum ſcripſiſſe Librum de duplici Hæreſi, quod factum eſt à Dionyſio Romano; ſcribit etiam Dionyſium Alexandrinum poſtulaviſſe à Romano Præſule, ut objecta ſibi indicaret; quod apertè falſum eſt. Sed Baronius, ut ſolet, deceptus eſt malâ Athanaſii Verſione, quam qui edidit, Græca non intellexit, pravâ lectione ſeductus. Vox enim illa ἁπλοΐσας, quæ etiamnum apud Athanaſium in libro De ſententiâ Dionyſii legitur, corrupta eſt, & legendum ἁπλώσας. Nuda hiſtoria hæc eſt.

V. Cùm Dionyſius Alexandrinus ad ſupprimendam Sabellii hæreſin in Pentapoli graſſantem ſcripſiſſet Epiſtolam ad Ammonium & Euphranorem, in qua multa congeſſerat de humanâ naturâ Chriſti, de divinâ nihil dixerat; ipſi Catholici Pentapolitani, qui à Sabellii doctrinâ ſatis abhorrebant, inconſulto Dionyſio ſuo, Romam profecti ad Dionyſium illius Urbis Epiſcopum, & de ſuo Dionyſio

conqueſti ſunt, eumque accuſarunt, quòd diceret Filium ποίημα, *Opus* vel *factturam* eſſe, eumque Patri conſubſtantialem non agnoſceret. Romanus Epiſcopus, his auditis, Synodum Romæ convocat, quæ rem compertam indignè tulit; & ſententiam ſuam tum contra Sabellium, tum contra omnes, qui Verbum Dei dicerent κτίσμα καὶ ποίημα, protulit. De quo argumento ſcripſit Dionyſius Romanus, & ſententiam Synodi per literas Dionyſio Alexandrino communicat, & ſignificat, quæ illi objecta à fratribus ſuis Ægyptiis fuerant. Statim igitur de his ab Epiſcopo Romano Dionyſio certior factus, ad eum ſcripſit Epiſtolam ſub titulo ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας, *refutationis* accuſatorum, & *apologiæ* pro Epiſtolâ ſuâ. Quibus Epiſtolis obtinuit ut fides ejus pro Orthodoxâ haberetur. Hæc fieri nullo modo potuerunt, ut nempe fratres ex Pentapoli primò cognoſcerent Dionyſium Romæ fuiſſe Epiſcopum, & ad eum aſcenderent & Epiſcopum ſuum accuſarent, & Romanus Epiſcopus Synodum Epiſcoporum convocaret, ejuſque ſententiam exploraret, eamque Alexandrino Epiſcopo patefaceret, & tres Epiſtolas tanti momenti, tamque prolixas, ut Excerpta & Obſervationes Athanaſii demonſtrant, extorqueret; unde Alexandrini Antiſtitis fides etiam approbaretur, adeo ut poſtea ab Epiſcopis Orientalibus invitaretur ad Synodum Antiochenam. Quod factum non fuiſſet, niſi omnibus jamdiu notum eſſet fidem ejus de divinâ Chriſti naturâ ſanam & pro Orthodoxâ habitam fuiſſe. Perperam igitur Baronius ex Athanaſio colligit utrumque Dionyſium contra Pauli impietates inſurrexiſſe An. Dom. CCLXV. & multo adhuc pejus Petavius ex eodem ſtatuit An. Dom. CCLXX. à Dionyſio Papa Synodum ſuper Pauli hæreſi celebratam eſſe.

VI. Et quidem diu ante illam Synodum hæc tranſacta fuiſſe diſertè teſtatur Athanaſius, cujus hæc verba ſunt libro de Synodis, Διετύποι γὰρ δύο γενόμεναι ὑπογραφαὶ πολὺ

πλὴν τῆς ἑβδομήκοντα τῆς καθελόντων τὴν Σαμοσατέα, τούτων ὁ μὲν τῆς Ῥώμης, ὁ δὲ τῆς Ἀλεξανδρείας ἦν ἐπίσκοπος. *Duo enim Dionyſii diu ante eos Septuaginta fuêre, qui Samoſatenſem ſuſtulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præſul erat.* Non breve igitur temporis ſpacium inter Synodum Romanam à Dionyſio Romano coactam in causà Dionyſii Alexandrini, & Synodum Antiochenam in causà Samoſateni, cujus initio mortuus eſt Dionyſius Alexandrinus, interceſſit. Quod annos Xyſto tributos ab Euſebio clarè refutat. Ille enim in Chronico Dionyſium Romæ primò Gallieni XI. Epiſcopum ſtatuit, in Hiſtoriâ potiùs XII. At in eodem Chronico ad annum Gallieni XIII. *Paulus Samoſatenus à cultorum prædicatione deficiens, Artemonis hæreſin ſuſcitavit. In cujus locum Antiochenæ Eccleſiæ* XVI. *ordinatur Epiſcopus Domnus.* Jam ſi Domnus Pauli loco conſtitutus eſt XIII. vel XIV. anno Gallieni, diu ante eos LXX. Epiſcopos Orientales non potuit eſſe Dionyſius Romæ Epiſcopus, niſi Euſebii Chronologia penitus rejiciatur, & ad certiſſimam de Martyrio Xyſti hiſtoriam redeamus. Et hujus quidem erroris correctio ex ipſo Euſebio rectè colligi poſſe videtur. Nam in Hiſtoriâ, in quâ maximè rerum geſtarum connexionem complectitur, lib. 7. cap. 27. hæc habet, Ξύστου τὴν Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἔτη ἕνδεκα ποιησαμένου διαδόχῳ τῷ κατ' Ἀλεξάνδρειαν ὁμώνυμος Διονύσιος· ἐν τούτῳ δὲ ἐν Δημητριανοῦ τὸν κατ' Ἀντιόχειαν τὸν βίου μεταλλάξαντος, τὴν ἐπισκοπὴν Παῦλος ὁ ἐκ Σαμοσάτων διαλαμβάνει. *Cùm igitur Xyſtus undecim annis Eccleſiæ Romanæ præfuiſſet, in ejus locum ſucceſſit Dionyſius, Alexandrino illi cognominis. Sub idem tempus defuncto Antiochiæ Demetriano, Paulus Samoſatenus Epiſcopatum ſuſcepit*; hoc eſt, circa idem tempus, quo Xyſto ſucceſſit Dionyſius Romæ, Paulus Demetriano ſucceſſit Antiochiæ. At Paulus Demetriano ſucceſſit Gallieni ſeptimo, ut refert ipſe Euſebius in Chronico. Vel igitur eo anno, vel priori potiùs, ordinatus eſt

Romæ

Romæ Dionyſius. Sublatus eſt Xyſtus Gallieni quinto exeunte, ſub Perſecutione Valeriani; ſublatus eſt Demetrianus Gallieni ſexto, ſub eodem Valeriano; Gallieni ſexto ſubſtituitur Dionyſius Romæ, Paulus Antiochiæ octavo.

VII. Cum Xyſti Pontificatui tot annos malè tribuiſſet Euſebius, etiam quod neceſſariò ſequebatur, Dionyſii Pontificatum juſto longiùs extendit; novem ſcilicet à XII. Gallieni annos Dionyſio tribuit aut duodecim: neque ei ſucceſſiſſe Felicem tradit niſi poſt mortem Aureliani Imperatoris. Unde natus error maximè vulgaris de duobus Conciliis Antiochenſibus, & de condemnatione Pauli non ante primum Aureliani annum factâ, aut ſecundum, quam factam eſſe, ſedente adhuc Romæ Dionyſio, conſtat. Si enim Felix non ſucceſſit Dionyſio ante mortem Aureliani, ad quemlibet Aureliani annum Pauli condemnatio poterit referri. Sed quamvis Euſebius Pontificum Romanorum tempora male diſpoſuerit, & deorſum juſto longiùs extenderit, & ſequaces in errorem duxerit, vera tamen hiſtoria illius Concilii, ſemotâ horum Pontificatuum pravâ diſpoſitione, cum aliunde, tum ex ipſo Euſebio, erui poteſt. Oſtendimus ex hiſtoriâ Euſebii rectè intellectâ Paulum Samoſatenum VII. anno Gallieni Epiſcopum Antiochiæ creatum eſſe. Ubi cum aliquandiu ſediſſet, lapſus eſt in Artemonis hæreſin, eamque tandem publicè docuit. Ad quam reprimendam Epiſcopi Orientales anno Gallieni undecimo excitati ſunt & Antiochiæ congregati. Ineunte anno XII. invitarunt Dionyſium Alexandrinum ad Concilium, qui ſe excuſavit ſenectutem & imbecillitatem corporis cauſatus. Scripſit autem ſuam ſententiam de hæreſi Pauli, eamque ad Concilium miſit; & non multo poſt mortuus eſt, eodem anno Gallieni duodecimo exeunte. Anno XIII. Paulus à Synodo condemnatus eſt. Hæc ego non tantùm vera eſſe contendo, ſed etiam ex Euſebii Chronico confirmo. Hæc enim ille ad annum Gallieni XIII. *Paulus Samoſatenus à curſorum prædicatione deſciſcens Artemonis*

temonis hæreſin ſuſcitavit. In cujus locum Antiochenæ Eccleſiæ XVI. *ordinatur Epiſcopus Domnus.* Quem locum ſic explicandum puto, non quòd tunc Paulus hæreticus eſſe cœperit, aut Concilium adverſus eum primò coactum fuerit; ſed eo anno propter hæreſin à Synodo condemnatus ſit, & Domnus ejus loco Epiſcopus Antiochiæ ordinatus An. Dom. CCLXVI. Sed, *Mendax*, inquit Baronius, *omnino Euſebii Chronicon reperitur, in quo ponitur anno* XIII. *Gallieni Pauli Samoſateni damnatio atque Domni ſuffectio.* Unde hoc illi mendacium patefactum eſt? *Quod ex dictâ*, inquit, *Synodicâ ſub Aureliano Imperatore factum conſtat.* At unde conſtat dictam illam Synodicam, quæ apud Euſebium extat, ad Dionyſium Romæ Epiſcopum ſcriptam, ſub Aureliano Imperatore exaratam eſſe? Imò ſcripta eſt ad Dionyſium Romanum qui X. menſibus ante initium Imperii Aureliani, ut jam omnes fatentur, mortuus eſt.

VIII. In ſummâ, Antiocheni Patres, damnato Paulo, & ſubſtituto Domno Epiſtolam Synodicam ſcripſerunt ad Dionyſium & Maximum; ad Maximum ſcilicet anno uno vel altero poſt obitum Dionyſii Alexandrini deceſſoris ſui; ad Dionyſium Romanum triennio ante mortem ipſius quæ contigit An. Dom. CCLXIX. ut in antiquiſſimo Catalogo traditur, non CCLXXII. ut Baronius pro arbitrio ſtatuit. Qui ab anno CCLXXII. ad annum CCLXX. revocant, & ſub Imperio Claudii collocant, fateri coguntur Epiſtolam illam Synodicam ſcriptam fuiſſe ad Dionyſium Romanum poſt ipſius mortem, ſed Concilio Antiocheno cùm ſcriberetur adhuc incognitam. Verùm nimis hæc ſubtilia, ideoque inania, ſunt. Argumentum pro hac ſententia Valeſius nimis infirmum affert. Libellus Cleri propoſitus eſt Conſulatu Theodoſii XIII. & Valentiniani (anno CCCCXXX.) anno antequam Synodus in Urbe Epheſo congregaretur. *Ab eo igitur Conſulatu*, inquit, *ſi retro numeres annos* CLX. *ſolidos, incides in Conſulatum Claudii & Paterni* (dicere voluit aut certè debuit, *Antiochiani & Orfiti*) *qui eſt annus Chriſti*

Chriſti CCLXX. *Proinde Synodus Antiochena in qua damnatus eſt Paulus, convenit Claudio & Paterno Coſſ. anno Chriſti* CCLXX. (dicere voluit, ut oportuit, CCLXIX.) Argumentum hoc, inquam, nimis infirmum eſt. Primò, conſtat Libellum illum An. Dom. CCCCXXX. ſcriptum eſſe. Ante Concilium quidem ſcriptus eſt Libellus ille, ſive Conteſtatio, non à Clero ſed ab Euſebio Laico ad Clerum. Non autem uno tantum anno ante Synodum Epheſinam, ſed triennio, publicata eſt illa Conteſtatio, ab ipſo ſcilicet exordio hæreſeos Neſtorianæ. Illius autem exordium ſatis notum eſt ex Apologia Cyrilli ad Theodoſium ſub finem anni CCCCXXXI. exaratâ, quod etiam aliunde colligitur. Ipſo igitur Anno CCCCXXVIII. Felice & Tauro Coſſ. ſcripta eſt Conteſtatio. Jam ſi retro numeres annos CLX. ſolidos, incides in Conſulatum Paterni & Maximiniani; An. Dom. CCLXVIII. Secundò, numerus ille CLX. in Conteſtatione poſitus, cum ſit rotundus, non ſtatim pro exacto habendus eſt; & qui ante annos CLXII. condemnatus eſt, ante annos CLX. & verè, & ſatis commode, & ſecundum loquendi modum non infrequentem accepiſſe condemnationem dici poteſt. Jam ſi retro numeres CLXII. annos ſolidos, pervenies ad An. Dom. CCLXVI. & conſulatum Gallieni & Sabinilli, quo anno dicimus Paulum Samoſatenum à Synodo Antiochena condemnatum eſſe, ante Aureliani, imò ante Claudii Imperium, vivo & valente Dionyſio Romano. Quæ addunt ex Hermanno Contracto, aut etiam Methodio Epiſcopo apud Marianum, nimis ſera ſunt. Illud ſolummodo obiter dico, hæc omnia effugia ex inveterata, ſed falſiſſima opinione fluxiſſe, quæ ſtatuit duo fuiſſe Antiochiæ de Paulo Samoſateno Concilia, vel ſex, vel quinque, vel ad minimum quatuor annis diſtincta, quæ cum ſit ex falſis principiis deducta, nullo modo admittenda eſt.

IX. Cùm hæc tam perturbatè atque confusè tradidiſſet Euſebius de annis Xyſti, Dionyſii, & Felicis Romæ Epiſcoporum; ad annum Probi Imperatoris quintum in Chronico

nico ait, *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum ſuſcipit* XXVI. *Eutychianus menſibus octo. Poſt quem Gaius annis quindecim.* Et rurſùs in Hiſtoriæ lib. 7. cap. 32. *Felici Eutychianus ſuccedit, qui vix decem menſibus tranſactis Gaio, qui noſtrâ ætate vixit, ſedem ſuam relinquit.* Hæc autem apertè demonſtrant Euſebium non habuiſſe ante oculos ſcriptum aliquod verum de annis unicuique Romæ Epiſcopo tribuendis. Nam Eutychianum octo tantùm vel novem menſibus ſediſſe affirmat, Gaium annis dein quindecim. Ubi Eutychiano eo annos dempſit, quos antè Xyſto malè adjecerat. Idque tandem neceſſariò ab eo factum eſſe conſtat, cùm perveniret ad Pontificatum Gaii, ſive Caii, explicandum, quem ipſe agnoſcit ſuâ ætate Eccleſiam Romanam rexiſſe. Et erat ſine dubio Euſebius ipſe triginta annos natus ante obitum Caii, ſi modò verum ſit quod ipſe voluit, nempe eum vixiſſe uſque ad annum Diocletiani duodecimum. De quo minimè dubitandum eſt, cùm Vetuſtiſſimus Catalogus eodem anno Caium mortuum eſſe tradat, Diocleſiano VI. & Conſtantio II. Coſſ. Unde apparet vanitas eorum quæ à ſecundo Catalogi autore adduntur Actis Caii: *Hic fugit Perſecutionem Diocletiani in cryptis habitans & confeſſor quievit.* Quæ ſic poſtea in libro Pontificali interpolata leguntur: *Hic fugiens Perſecutionem Diocletiani confeſſor quievit Martyrio coronatus poſt Annos octo.*

X. Expectabunt fortaſſe nonnulli, ut Euſebium etiam in proximis duobus Epiſcopis Romanis deſcribendis pariter erraſſe demonſtrem, quòd Marcellini quidem meminerit, Marcellum autem ejus in Epiſcopatu ſucceſſorem prorſus omiſerit. Hujus enim erroris eum manifeſtè reum eſſe volunt Romani Chronologi, graviterque & frequenter exagitant, ego non item. Fateor apud antiquiſſimum Catalogum Marcellinum & Marcellum, tanquam duos & diſtinctos Antiſtites nominari, & utrique annos Conſulatus diverſos aſſignari. Fateor etiam Marcellum inter Marcellini Clericos ab Auguſtino numerari. Non tamen aſſerere

velim Marcellum unquam in Petri cathedrâ ſediſſe. Nam licèt Autori vetuſti illius Catalogi multum uti par eſt tribuo, ejus tamen autoritati minimè acquieſcendum puto, ubi ſibi ipſi contradicit. In illis autem quæ de his Epiſcopis & ſequentibus in eo Catalogo nunc extant, manifeſtam contradictionem videor mihi deprehendiſſe, de qua alibi potiùs agendum. Hîc autem ea tantummodo addam quæ ad ferendum de Chronologicis & Hiſtoricis Euſebii judicium maximè neceſſaria videntur.

XI. D. Blondellus in Apologia, Sectione 2. §. 19. tradit Chron. deſiiſſe An. Dom. CCCXXVI. Hiſtoriam ſcriptam eſſe Anno CCCXXX. circiter, immani Metachroniſmo.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

H. D.

Deſidia res Occidentalis Imperii parum cognitæ.

1. *Quæ hoc in loco additurus erat Doctiſſimus Pater, ea conſtat* ad ferendum de Chronologicis & Hiſtoricis Euſebii judicium ſpectâſſe, *i. e. ſi rectè illum è præcedentibus interpretari liceat, ad fidem ejus in utriſque elevandam. Præcipuè quod ad* Latinorum Occidentaliumque *Hiſtorias Chronologiamque attinebat, quò erant referendæ illæ quas hoc in loco tractabat*, Romanorum *Pontificum Succeſſiones. Id ille, ni faller, inde colligebat, quod parum eſſet in* Latinorum *Scriptis verſatus* Euſebius, *cum* Chronicon *ſuum* Hiſtoriamque *concinnaret. Id quod erat omnino veriſſimum.* Latinorum *enim quos habemus* Euſebio *antiquiorum Scriptorum Eccleſiaſticorum neminem ille novit qui non aut* Græcè *ſcripſerit, aut in* uſum *ſaltem Græcorum ſuerit* Græcè *verſus. Primi Occidentalium partium Scriptores cum aut* Græci *eſſent, aut à Græcorum ſaltem coloniis ipſam* Chriſtianitatem *didiciſſent, proinde* Græcè *in uſum* Græcorum *colonorum plerorumque ſua Scripta concipiebant. Eâ itaque linguâ uſus* Clemens, Romanus *licèt ipſe*, Romanæque Urbis *Epiſcopus, cum præſertim ad* Græcos *ſcriberet* Corinthios. *Eâdem* Hermas Romanæ *Eccleſiæ ſub eodem Clemente* Presbyter. *Eâdem* Irenæus,

Irenæus, *licèt apud* Celtas *egerit, & in uſum ſcripſerit, ipſo teſte, Celtarum. Erant itaque hi* Euſebio *notiſſimi. Scripſit item adversùs* Græcum Apollonium Tertullianus *ipſe* Græcè *in cauſâ* Montaniſtarum *è* Græcâ *Aſiâ oriundorum. Nec tamen conſtat illudne ejus opus viderit* Euſebius. Apologeticum *vidiſſe conſtat*, Græcè *nimirum ab antiquiori aliquo Chriſtiano* Græco *verſum, quippe qui communem cauſam egiſſet omnium ubique Chriſtianorum. Scripſerat ante* Tertullianum *Græcè* Juſtinus *Apologias Imperatori & Senatui Romæ hærentibus, quæ facilè proinde* Euſebio *innotuerint. Sed cum ſubjunxiſſet Juſtinus* Reſcriptum *Hadriani ad* Minucium Fundanum *ipsâ quâ ſcripſerat* Hadrianus, *pro Imperii Majeſtate*, Latinâ *linguâ conceptum, non illud tamen Latinè, prout in* Juſtino *repererat, ſed* Græcè *retulit Euſebius. Cum enim ad* Græcæ *Aſiæ Proconſulem illud dediſſet Hadrianus, non eſt proinde quòd dubitemus quin* Scriba *à* Græcis Epiſtolis (*cujus mentionem in antiquis Inſcriptionibus ſatis frequentem legimus*) Græcè *illud verterit in uſum* Aſianorum. Euſebius *tamen, cum non eſſet ad manum verſio illa antiquior,* Græcè *ipſe vertendam* Ὑπὲρ Λυδίαμων *ſuſcepit, quâ voce ſatis apertè innuit* mediocrem *fuiſſe illi vertendi* Λυδίαμον, *è* Latinis. *Sic & in* Cypriano, *cujus Opera* ſole clariora *pronunciat* Hieronymus, *adeo erant apud Chriſtianos* Latinos *celebria. Nec tamen alia illius Scripta* Euſebio *innotuere quàm quæ* Græcè *verſa fuiſſe veriſimile eſt, illa nimirum quæ ad* Firmilianum *alioſque ſcripſit* Orientales *de Baptiſmo Hæreticorum. Ut enim* Latinè *verſam hodieque legimus inter Opera* Cypriani *Epiſtolam* Firmiliani *ab ipſo proculdubiò* Græcè, *non* Latinè, *conceptam; ſic vice-verſâ conſentaneum erat ut quæ* Latinè *ſcripſerat ad* Cappadoces Cyprianus, *ea* Græcè *verterint in uſum* Orientalium. *Erant enim ea Scripta* Encyclica, *nec ſolis miſſa* Cappadocibus, *ſed Eccleſiis* Orientalibus *quà patebant*, omnibus *ab illis deinde communicanda. Scripſit enim de eâdem cauſâ* Dionyſius Alexandrinus *Epiſtolas aliquot quarum*

Iren. L. I. Præf.

Euſeb. Eccl. H. IV. 8.

Script. Eccl. Cyprian.

meminit Euſebius. *Id nimirum agebant* Afri, *ut ſi Communionem negandam cenſuiſſet* Stephanus, *cum* reliquâ *tamen Eccleſiâ* univerſâ *Communionem ſervarent, datis, ut antea, receptiſque invicem literis formatis. Proinde omnibus, quibuſcum intercedebat illud literarum formatarum commercium, erat ſatisfaciendum. Et quidem Concilium* Carthaginienſe & Cypriani *ad* Jubaianum *Epiſtolam conſervârunt* Græcè *Græci Canonum collectores, reliqua nimirum amiſſis quæ eodem illo faſciculo miſerat ad* Firmilianum Cyprianus. *Græca itaque illa novit* Euſebius, *non item reliqua ſeu* Cypriani *ſcripta, ſeu* Tertulliani, *utcunque apud* Latinos *decantata. Proinde nullum repræſentat, (quod in* Græcis *Scriptoribus pleriſque fecit) ſcriptorum ab illis Operum, ſeu ab alio quocunque Scriptore Latino, Catalogum.* Novatiani *item* & Cornelii, & Stephani *Scripta novit ille duntaxat Encyclica* Græcè *verſa. Scripta alia eorundem quæ* Latinè *duntaxat extabant, ne quidem nôſſe conſtat. Sic* & Apollonii *Apologiam* Græcam *memorat*, Minucii Felicis *qui* Latinè *ſcripſit, ne quidem vel de nomine meminit. Et quidem quæ in* Scriptoribus Eccleſiaſticis *ſupplevit* Hieronymus *ab* Euſebio *omiſſa, ea ſunt ſcriptorum plerunque* Latinorum. *In* Chronico *autem adjecta ea verbis diſertiſſimis profeſſus eſt, quæ ad* Romanam *maximè* hiſtoriam *ſpectarent. Quæ credidit ille ab* Euſebio *minimè* ignorata, *utcunque tamen* omiſſa *eſſe vel inde ſatis conſtat, in illo etiam Hiſtoriæ omnimodæ Argumento in quo ſiqua nôſſet, non erant ſanè prætermittenda. Ex quibus illud manifeſtum eſt, cùm* Chronicon *ſcripſit* & Hiſtoriam, *quàm fuerit* Euſebius *rerum* Latinarum *imperitus.*

Nulla habuit *Euſebius* nova ſubſidia in *Hiſtoriâ* quibus caruerit in *Chronico.*

2. *Quæ porro additurus erat Pater Eruditiſſimus de intervallo temporis, quod inter* Chronicon *Euſebii* Hiſtoriamque *effluxerit, eò illa erant fortaſſe referenda ut oſtenderet intervallum illud fuiſſe breviſſimum. Unde & illud præterea fortaſſe collegerit, ut ſatis manifeſtos errores* Euſebii *in his* Pontificum Romanorum *temporibus oſtendit in* Chronico; *ita nec eſſe ſecundas curas accuratiores expectandas*

das in Hiſtoriâ. Cùm enim antea obſervaverat alias Euſebio *fuiſſe rationes in* Chronico, *alias in* Hiſtoriâ, *inde ſatis veriſimilis poterat oriri ſuſpicio in nova illum & fide digniora monumenta incidiſſe, & ab ipſis* Romanorum *Archivis forte deprompta, quibus uſus fuerit in* Hiſtoriâ, *in* Chronicorum *verò Canonum diſpoſitione caruerit. Præſertim victo extincto*que Licinio, *cùm uni jam parerent Imperatori Orientis pariter atque Occidentis Imperia, & in eam veniret Euſebius* Conſtantini M. *gratiam, pene dixerim* amicitiam, *ut &* Latinorum *gazas poſſet, atque Bibliothecas luſtrare, atque inde, ſiquid forte in uſus ſuos converti poſſet, eruere. Huic itaque Objectioni ut occurreret Pater conſequentiarum providentiſſimus, id fortaſſe conatus eſt probare, brevius fuiſſe inter* Chronicon Hiſtoriam*que intervallum quàm quod ſufficeret novis monumentis eruendis, refutavitque eo nomine* Blondellum *quòd intervallum illud, quàm par eſſet, diutius illa protraxiſſet. Quibus illum fuerit refutaturus Argumentis divinare nequeo, & lucem illam quæ tempori theſauri Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Euſebiani è Viri excultiſſimi Obſervationibus eſſet emerſura, Reip. literariæ univerſæ interiiſſe doleo. Habuit fortaſſe ob oculos Vir Magnus illam* Metachroniſmum *quem reprehenderat in* Blondello Valeſius. *Dixerat* Blondellus, *anno* circiter CCCXXX. Hiſtoriam Eccleſiaſticam, *clarumque de* Demonſtratione Evangelicâ *Syntagma edidiſſe* Euſebium. *Hoc inde collegit, quod* Chronicon *deſierit in An. Dom.* CCCXXVI. (*Numeravit nimirum ad* completa *Vicennalia, quæ tamen etiam Vicennio* inchoato *celebravit* Conſtantinus) *Sed verò in Hiſtoriâ* Chronicon (Hiſt. *L.* I. *c.* 1.) *in Demonſtr. Evangel.* Hiſtoriam *citâſſe obſervavit* Blondellus, (Dem. VI. 13.) *Contrà* Demonſtrationem *in Hiſtoriâ* Euſebium *oſtendit citâſſe* Valeſius, & *ipſam illam cujus meminit in* Demonſtratione, *non de Hiſtoriarum* Libris, *ſed de* oculorum teſtimonio *eſſe intelligendam. Huic ſi voluit Autor noſter* Metachroniſmum, *in eo tamen illum errâſſe neceſſe eſt ſi* Hiſtoriam *An.* CCCXXX. *aut circiter ſcriptam putârit credidiſſe* Blondellum. *Blondellus*

Blondell. Ap. pro ſent. Hieron.

Valeſ. in *Euſeb.* H. E. I. 2.

dellus de utraque, tam Hiſtoriâ *quàm etiam* Demonſtratione, *locutus eſt, ut proinde ſufficiat ſi vel* poſteriorem *Hiſtoriâ* (*ex ſententiâ* Blondelli) Demonſtrationem *eo* circiter, *quem ſignavit* Blondellus, *anno conſcripſiſſet* Euſebius; Hiſtoriam *ipſam, medio quoque illius intervalli anno, ex mente* Blondelli, *conſcripſerit* Euſebius. *Nec ulla obſtat ratio quo minùs* conſeſtim, *abſoluto* Chronico, *ſeſe ad* Hiſtoriam *accinxerit. Conſtat interim ad* Conſtantini *uſque* Vicennalia *Euſebii pertigiſſe* Chronicon, *ut proinde illud poſt An. Dom.* CCCXXV. *ſcripſiſſe certum ſit, quo illa celebrata fuerint Vicennalia. Conſtat præterea* Chronico *recentiorem fuiſſe, quæ* Chronici *meminit, ejuſdem* Hiſtoriam. *Ut verò fuerit evicturus ante An.* CCCXXX. Hiſtoriam *eſſe ab* Euſebio *exaratam, illud ſane non video. Interim exiſtimo nulla fuiſſe* Euſebio, *cum* Hiſtoriam *conderet, nova monumenta quibus caruerit in* Chronicis; *ſed verò* Librariis *tribuendam eſſe omnem illam, quæ videtur hodie, in horum Pontificum diſpoſitione diſcrepantiam. De quo tamen alibi fortaſſe opportunius. Cæterùm ut mentem Cl.* Ceſtrienſis *minùs fœliciter attigerim, ea tamen breviter duxi eſſe monenda, quæ quidem facere viderentur ad cauſæ, quam agebat, exigentiam.*

CAP.

CAP. XI.

I. *Libellum de Romanis Pontificibus Blondellus in Apologiâ miris effert laudibus, cujus tamen notas Conſulares in Pſeudo-Iſidoro reprehenderat.* II. *Libelli hujus meminerunt antiquiores Anaſtaſio Autores.* III. *Secutus eſt eundem Pſeudo-Iſidorus, & quidem illum quem vulgo habemus, interpolatum, idque in ipſis etiam Librarii erroribus.* IV. *Idem Pſeudo-Iſidorus Damaſum ſuarum Decretalium Epiſtolarum Collectorem haberi voluit, qui etiam Libelli de Pontificibus autor vulgò habitus eſt.* V. *Non Chronicos duntaxat Canones, ſed ipſas etiam Pontificum vitas complecti voluit hujus Libelli Autor adverſus Turrianum.*

I. DE Latinorum Catalogo idem mihi omninò ſtatuendum eſſe videtur, præſerim quod ad priora Eccleſiæ tempora ſpectat, de quibus nunc agimus. Blondellus quidem Libellum de Romanis Pontificibus miris laudibus effert, *eo veteres Eccleſiæ Romanæ Tabulas continueri* aſſerit, *nihil eo ſcripto incorruptius*, aut *à falſi ſuſpicione alienius reperiri poſſe* affirmat; imò Autorem, *quaſi ſolis radio ſcripſerit*, veneratur. Ita enim ſolet ille eos quos ſuæ cauſæ patrocinari putat, coloneſtare. Ut cùm Anonymum autorem libelli, *De ſeptem Eccleſiæ ordinibus*, incertæ ætatis hominem (qui inter annum DCC & DCCCC, ut ipſe putat, ſcripſit) pro ſententia Hieronymi teſtem adducit. *Hinc manifeſtè apparet*, inquit, *quaſi ſolis radio anonymus auctor ille ſcripſerit*, &c. Unde etiam Salmaſius Blon-

Blondelli ſedulus lector, ab eadem phraſi abſtinere non potuit, quamvis eâ paulo modeſtiùs utatur dum de verbis Hieronymi in Epiſtolam ad Titum loquitur: *Si Solis radio hæc ſcripta eſſent, haud poterant eſſe quàm ſunt clariora.* Baronium alioſque tum Pontificios, tum Proteſtantes acriter objurgat, quòd eo calcato, Euſebium potius ſequantur. Hæc ille in Præfatione ad Apologiam, novus Hyperaſpiſtes depromit. Nam cùm miſellum Pſeudo-Iſidorum debellaret, atque confoderet, Epiſtolas Decretales fictas eſſe ex mendosâ notæ Conſularis conſignatione ſæpiſſimè probare conatus eſt, nec ullum eo frequentius argumentum uſurpavit; conſignationes Epiſtolarum eos Conſules habere qui Pontificibus à quibus ſcriptæ Epiſtolæ perhibentur, minimè competerent, graviter conqueſtus eſt. Ipſe tamen in Apologiæ Præfatione, multo jam ſenior ſapientiorque factus eos ipſos annos Pontificibus Romanis aſcribit, quos aſcripſiſſe Pſeudo-Iſidorum apparet. Verbi gratiâ: Iſidorus ille Epiſtolæ Hygini hæc ſubſcripſit, *Data* XVII. *Kal. Octobr. Magno & Camerino Coſſ.* Blondelli nota eſt, *Ad finem, notam temporis mendoſiſſimam addidit plagiarius. Nam ſedere cœpit Hyginus An. Dom.* CLIV. *Glabrione & Variano Coſſ.* Ita ſcilicet clarè refutatur Pſeudo-Iſidorus, qui Hygino Pontificalem Epiſtolam tribuit XIV. annis antequam Pontifex factus eſt. Sed idem Blondellus in Præfatione magnâ cum curâ docet, *Hyginum Teleſphori An. Dom.* CXXXVIII. *Hadriani* XXI. *exeunte, Camerino & Magno Coſſ. Januarii* V. *denati loco, ejuſdem menſis* XIII. *feria* I. ἀφροδισίαις. Quidni igitur Hyginus Epiſtolam Pontificalem ſcriberet XVII. Kal. Octobres, cùm menſe Januario ejuſdem anni Pontifex factus fuiſſet? Rurſus idem Impoſtor Epiſtolæ Pii ſubſcripſit, *Data* VII. *Idus Apriles Claro & Severo Viris Clariſſimis Coſſ.* Rurſus etiam Cenſor, *Notæ Conſularis mendoſa conſignatio; nam Severus cum Claro Conſulatum non adminiſtravit Pio ſedente.* Sed idem Cenſor in Præfatione p. 31. & in Apologiâ p. 18. Pium anno XIV. Claro & Severo Coſſ. Martii VII. feriâ I. ordinatum

ordinatum eſſe docet. Pio igitur ſedente Clarus & Severus Coſſ. fuêre, Pſeudo-Iſidoro tandem conſentiente Blondello. Denique Victoris Epiſtolæ hæc nota Conſularis appoſita eſt: *Data* XIII. *Kal. Auguſt. Commodo & Gravione* corruptè pro *Glabrione Viris Clariſſimis Coſſ.* Ad quæ Cenſor, *Falſâ Conſulum nomenclaturâ farraginem ſuam concludit*; & rationem hanc reddit, quia *Commodus cum Glabrione* V. *Conſulatum adminiſtravit An. Dom.* CLXXXVIII. *Eleutherii* X°. *ſucceſſit Victor An. Dom.* CXCIV. Ejuſdem tamen in Apologiâ hæc verba ſunt, *Victorem à Conſulatu Commodi & Glabrionis ſediſſe conſtat*, ex priſcis nempe Eccleſiæ Romanæ tabulis.

II. Verumenimvero videamus an tot elogiis liber ille Pontificalis meritò ornandus ſit, tantæque certitudinis ea, quæ de annis Romanorum Epiſcoporum in illo traduntur, haberi debeant. Autor illius libri, quiſquis eſt, incerti ſanè laris homo, nec jam Damaſi nomen apud eruditos ſuſtinet, & ſi Anaſtaſii Bibliothecarii nomen vindicare poſſit, nimis illud ſerum eſt. Ante Anaſtaſium opus illud ſæpiùs laudabatur, & quidem cum ſuo titulo, non ſemper eodem, ſed ſine ullo Autoris nomine. Nomen erat libro *Geſta Pontificalia*; ita illum nominat Walafridus Strabo, lib. de rebus Eccleſiaſticis c. 22. Nullum autem nomen Autoris Operi præfixum eâ ætate fuiſſe indicant illa Walafridi verba: *Videtur autem non aliàs lectiones ante Evangelium fuiſſe tunc poſitas, niſi tantùm Apoſtoli Pauli*, *quas ſolùm nominavit, qui Geſta Pontificum ſcripſit.* Ante Walafridum Amalarius idem Opus ſæpe *Geſta Pontificalia*, ſæpe etiam *Geſta Epiſcopalia* nominavit; Autoris nuſquam meminit. Ante Amalarium Rabanus Maurus de Inſtitutione Clericorum librum vocat *Geſta Patrum*, cap. 28. eaque ſæpius citat ſine titulo. Ante Rabanum Beda *Geſta Pontificalia* appellavit, Homil. in feriâ III. Palmarum; & quod notatu valdè dignum eſt, quæ habet de Lucio Rege Britannorum Chriſtiano, ex eo libro tranſcripſit in vitâ Eleutheri, nempe, *Miſit ad eum Lucius Britannorum rex Epiſtolam, obſecrans*

obſecrans ut per ejus mandatum Chriſtianus efficeretur. Ante Bedam noſtrum Agathonis Papæ Legati, ut refert Humbertus contra Nicetam: *Hinc in Eccleſiâ mos obtinuit ut ſacrificium Altaris non in ſerico aut in panno tinctо, ſed in lino terreno celebretur, ſicut corpus Domini fuit in ſyndone mundâ ſepultum. Sic & oblatio munda debet eſſe à fermento, juxta quod in Geſtis Pontificalibus ab Sylveſtro legimus eſſe ſtatutum.* Romani Martyrologii Autor in Pontificibus Romanis Martyrii titulo inſignitis, Librum hunc ſequutus eſt, ut tum ex re ipsâ, tum ex eo loco, VIII. Id. Auguſti apparet; in quo deſcribit Martyrium Xyſti II. & ſociorum, *qui in cœmeterio Prætextati ſepulti ſunt, ut in Geſtis Pontificalibus legitur.* Quæ poſterior pars ſententiæ nunc non comparet: ſed in duobus MSS. etiamnum extat, ut teſtatur Holſtenius. Et quidem Amalarius & Walafridus omnia, quæ ad officia Eccleſiaſtica pertinere putabant, ex eo libro tranſcripſerunt uſque ad Sergium Papam & Gregorium ſecundum aut etiam tertium. Tot Pontificum vitæ eorum ætate extabant.

III. Ante hos Pſeudo-Iſidorus librum Pontificum non nominavit quidem, ſemper tamen ſecutus eſt, & ad illa Geſta Epiſcopalia Decretales Epiſtolas efformavit. Nihil hac obſervatione certius. Nam primò Epiſtolas ad illos nonnunquam ſcriptas eſſe fingit ad quos ſolus Liber Pontificalis eum quaſi manu duxit. Verbi gratiâ, *Hyginus Papa Athenienſibus ſalutem. Multa mihi fiducia eſt apud vos, fratres, & magna gloriatio pro vobis.* Quare hæc ad Athenienſes Hyginus? Nempe quia ſcriptum erat in Pontificali, *Hyginus natione Græcus ex philoſopho de Athenis.* Rurſum, *Pius Romanæ Urbis Archiepiſcopus Italicis fratribus Salutem in Domino.* Quare ad fratres Italicos ſcribit? quia ſic in Vitis Pontificum deſcribitur: *Pius natione Italus ex Patre Rufino, frater Paſtoris, de civitate Aquileiâ.* Quia Pius dicebatur Italus, ideo ſcribit illico ad fratres Italicos: Quia pro fratre Paſtoris habebatur, aliam ei Epiſtolam tribuit, in qua omnes Eccleſias docet, Paſcha

die

die Dominico celebrandum eſſe, quia *Hermæ angelus Domini in habitu paſtoris apparuit, & præcepit ei, ut Paſcha die Dominico ab omnibus celebraretur.* Sic *Soter* dictus eſt *natione Campanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis.* Quare ſtatim ſcribit Epiſtolam *Campanis omnibus*, miroque exordio eos affatur. *Gaudere vos oportet, fratres, quòd divinâ largiente gratiâ familiares Domini vocamini, ejuſque Sacerdotii dignitate fungimini.* Deinde alteram etiam mittit, *Dilectiſſimis fratribus per Italiæ provincias, ſanctis conſtitutis Epiſcopis.* Secundò Pſeudo-Iſidorus Conſules in libro Pontificum Papæ cuique aſſignatos ſuis Epiſtolis ſubjungit; neque alios, quàm eos quos in iſto libro invenerat nominatos, uſurpat; quaſi Papæ Romani nunquam Decreta ediderint, niſi aut primo aut poſtremo ſui Pontificatûs anno. Verbi gratiâ, in Geſtis Pontificalibus de Euariſto hæc legerat, *Sedit à Conſulatu Valentis & Veteris uſque ad Gallum & Braduam Coſſ.* Primæ igitur Euariſti Epiſtolæ, *Data* IX. *Kal. Apriles Valente & Vetere Coſſ.* Secundæ, *Data Kal. Novembr. Gallo & Bradua Coſſ.* ſubſcripſit. Hoc illi ſolenne eſt. Quoties autem Impoſtor ille in aſcribendis Coſſ. falſus eſſe deprehenditur, libri Pontificalis corrupto aut mutilo Codice deceptus eſt. Legerat in Pontificali de Alexandro, *Fuit temporibus Trajani uſque ad Helianum & Veterem.* Hinc primò Trajanum & Helianum par Coſſ. commiſcitur, eoſque primæ & ſecundæ Alexandri Epiſtolæ, tertiæ verò Helianum & Veterem aſcribit. Neque enim eum locum in Pontificali mutilum, ex vetuſtiori Catalogo hoc modo ſupplendum eſſe novit: *Fuit temporibus Trajani à Conſulatu Palmæ & Tulli uſque Heliano & Vetere.* Perinde in vitâ Sixti, Codex & mutilus & corruptus eum in miras anguſtias conjecit. Nam cùm in eo ſcriptum reperiret, *Fuit temporibus Hadriani, uſque Vero & Angulo*, Hadrianum & Verum par Coſſ. fecit, eoſque primæ Sixti Epiſtolæ ſubjecit; & cum mirum Anguli vel Anniculi nomen videretur, eoſdem ſecundæ etiam Epiſtolæ ſubjunxit. Non enim perſpexit quomodo & ſuppleri

ſuppleri & emendari debuerat ex vetuſtiori Catalogo, *Fuit temporibus Hadriani à Conſulatu Nigri & Aproniani uſque Vero & Ambiguo vel Am. Bibulo*, (i. e.) Ambiguo Bibulo; *Ambilulo* quidem corruptè ſcribitur, unde *Angulus* & *Anniculus* in Pontificali multo corruptiùs. Hujuſmodi ferè ſunt apud Pſeudo-Iſidorum mendoſæ notæ Conſulares ex mendoſo aut mutilo Pontificalis Codice profectæ: unde conſtat Impoſtorem illum cùm Decretales Epiſtolas finxit, Geſta Pontificalia ante oculos ſemper habuiſſe. Tertiò, Idem etiam inde confirmatur, quòd in corpore Decretalium Epiſtolarum ſæpe materia ex libro Pontificum ſumatur, & verba etiam multoties recitentur. Autor Vitarum tradit Anacletum Presbyterum factum eſſe à B. Petro; Pſeudo-Iſidorus in Epiſtolâ Anacleti ſecundâ hæc habet, *Ut à B. Petro principe Apoſtolorum ſummus inſtructi, à quo & Presbyter ſum ordinatus:* unde & poſtea de ordinationibus hac occaſione arreptâ plenus tractatus inſtituitur. Pariter cum legiſſet in Geſtis Alexandri, *Hic paſſionem Domini miſcuit in precationem Sacerdotum*; Epiſtolæ illius Papæ primæ hæc inſeruit, *In Sacramentorum quoque Oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolennia Domino offeruntur, Paſſio Domini miſcenda eſt.* Et cùm de eodem ibidem ſcriptum vidiſſet, *Hic conſtituit aquam aſperſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum*; Ipſe pariter eidem hæc addidit, *Aquam enim ſale conſperſam Populis benedicimus, ut eâ cuncti aſperſi ſanctificentur & purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus*, &c. præterea miras illius ritûs rationes ex ſuo penu ſubjecit. Similiter in vitâ Sixti duo Conſtituta de vaſibus ſacris, & de Formatis cùm reperiſſet, utrumque in ſecundam ejus Epiſtolam conjecit. In vitâ Teleſphori ſcriptum erat, *Hic conſtituit ut ſeptem hebdomadis jejunium celebraretur Paſchæ.* Inde eidem aptata eſt Epiſtola, quæ indicat à ſe & Concilio Romano idem ſtatutum eſſe: & præterea ob eandem rationem de Miſſâ nocte Nativitatis Domini celebrandâ, & de Hymno Angelico præceptum dat. Pauca hæc ex multis obſervanda.

obſervanda eſſe duximus. Denique idem Pſeudo-Iſidorus ut majorem Geſtis Pontificalibus autoritatem conciliaret, Epiſtolam quaſi ab Hieronymo ad Damaſum ſcriptam confinxit, aut illis ipſis antè præfixam inter ſuas poſuit, quâ Papam ſic affatur, *Gloriam Sanctitatis Tuæ noſtra humilitas deprecatur, ut ſecundum Apoſtolicæ Sedis autoritatem, quam cognovimus guberuari per tuam Sanctitatem, Actus Geſtorum à B. Petri principatu, uſque ad veſtra tempora, quæ geſta ſunt in Sede tuâ, nobis per ordinem enarrare digneris.* Ex quibus verbis facilè perſpicitur librum illum *Geſta Pontificum* appellatum eſſe, quem à Damaſo ſcriptum fuiſſe credi voluit Impoſtor. Quod etiam adhuc clariùs exprimitur in Epiſtolâ Damaſi eadem manu confictâ: *Veruntamen Geſta Pontificum quæ potuimus reperire in noſtræ Sedis ſtudio ad tuam caritatem gaudentes direximus.* Idem etiam rectè colligitur ex hoc titulo libri Thuanei MS. *Incipit liber Epiſcopalis in quo continentur Acta B. Pontificum Urbis Romæ.* Nihil igitur certius eſt quàm librum Pontificalem eundem fuiſſe quem Geſta Pontificalia, vel Epiſcopalia mediæ ætatis ſcriptores nominabant, quemque Damaſo Papæ aſcribi voluere impoſtores: eumque ipſum librum fundum fuiſſe Pſeudo-Iſidoro omnium Epiſtolarum quas Romanis Epiſcopis falsò aſcripſit.

IV. Hoc autem adhuc manifeſtius fiet ex aliâ obſervatione ad hanc rem appoſitiſſimâ. Pſeudo-Iſidorus non tantum librum Pontificalem aſcribi voluit Damaſo; ſed etiam Epiſtolas Decretales à ſeipſo confictas credi voluit ab eodem Damaſo ex Archivis Eccleſiæ Romanæ productas editaſque fuiſſe. Certiſſimum hujus obſervationis argumentum eſt, quòd Impoſtor ille in ſuæ Collectionis exordio duas Epiſtolas poſuerit, unam quaſi ab Aurelio Carthaginienſi Epiſcopo ad Damaſum, alteram quaſi à Damaſo ad Aurelium ſcriptam. Nam in priori Aurelius à Damaſo petit, ut *Statuta quæ reperire poterit poſt finem B. principis Apoſtolorum Petri uſque ad ſuæ Sanctitatis prin-*

ci-

principium ipſi ſcripta mitteret; quæ inſtituta mox etiam *Decreta* nominat: in poſteriori reſpondet Damaſus, *Quædam ex his quæ petiſti miſimus, & quædam adhuc, cum iterum miſeris, mittere cupimus. Nullum tamen à B. Petri principis Apoſtolorum ſine prædeceſſorum noſtrorum prætermiſimus, de quorum Statutis aliquid tibi non mitteremus.* Quibus verbis Damaſi Impoſtor Collectioni ſuæ præmiſſis, ipſas Epiſtolas Decretales intelligi voluit, ut vel inde apertè colligitur, quòd à fine Petri dicat ſe Damaſus ejus nullum prædeceſſorum ſuorum prætermiſiſſe. Nam ipſe nullam Epiſtolam Lino aut Cleto tribuebat, quia Linum ante Petrum obiiſſe putabat, & Cletum ut ab Anacleto diſtinctum vel non agnovit, vel eum ſimul cum Lino præfuiſſe exiſtimavit. Voluit igitur credi Damaſum *à fine Petri* Pontificum Decreta collegiſſe & à Clemente incepiſſe, & reverà Epiſtolas tam diu poſtea natas edidiſſe, ut maximam ipſis autoritatem conciliaret. Sic enim Damaſum poſtremò loquentem introducit, *His itaque rite deliberatis, & ad Eccleſiarum notitiam noſtrâ deliberatione perlatis, parere vos eorundem Sanctorum regulis ſummopere convenit.* Cùm igitur Pſeudo-Iſidorus, ſive Riculfus, ſive Hadrianus, Librum Pontificalem ſequutus ſit in excogitandis Epiſtolarum ſuarum Argumentis, eundem tum autorem Pontificalis tum Epiſtolarum editorem confinxit Damaſum, in Pontificatu adeundo minùs probatum, in adminiſtrando magis felicem, certè apud poſteros magni nominis Papam.

V. Hæc adeo prolixè proſecuti ſumus, quòd ea neceſſaria eſſe putemus, ut rectè intelligatur quæ fuerit natura Libri Pontificum, quando primùm natus & editus eſt. Inter eos enim qui à Damaſo ſcriptum putant, aliqui in eodem nihil contineri contendunt præter Canones Chronicos. Magdeburgenſes dixerant, *Damaſum ex profeſſo ſuorum anteceſſorum vitas deſcripſiſſe.* Turrianus de anteceſſoribus ſuis Damaſum ſcripſiſſe largitur, Vitas eorum

ſcripſiſſe

ſcripſiſſe negat, *Quia nihil*, inquit, *ferè aliud breviſſimè ſcribit quàm quo loco, quo patre natus, quibus temporibus vixit, quot ordinationes fecit, quibus Coſſ. mortuus, ubi ſepultus; quæ non tam ad hiſtoriæ ſcriptionem pertinent, quàm ad quoſdam velutì Chronicos Canones.* At alia multa in eo libro continentur: Quas ſcilicet fabricas fecit, quot Cæremonias inſtituit, quæ Conſtituta edidit, quomodo Clerum ordinavit, quam partem Miſſæ addidit, aliaque peregit Pontificum quiſque ante Damaſum, in eodem docetur. Addit deinde Turrianus, *Si ex profeſſo vitas Pontificum ſcribebat, ubi ſunt eorum Acta & Geſta?* Reſpondeo, in ipſo Libro Pontificali, quem Geſta Pontificalia ſive Acta Veteres nominabant, moderni, Vitas: in illo, inquam, libro *ſunt eorum Acta & Geſta.*

CAP.

CAP. XII.

I. *De Libri Pontificalis Autore.* II. *Alii Damaſo partem priorem, poſteriorem autem tribuebant Anaſtaſio Bibliothecario; Baronius nihil Damaſo, ſed incerto omnia tribuebat Autori, qui tamen è duobus ſaltem autoribus ſua conſarcinârit; Alii Libri univerſi Autorem ſolum credebant Anaſtaſium; Alii priorem partem ita Damaſo concedebant, ut tamen & ipſam crediderint interpolatam ab Anaſtaſio.* III. *Aſſertio prima, Prioris partis non eſſe Autorem Damaſum.* IV. *Aſſertio ſecunda, Autorem Libri, quicunque tandem is fuerit, non vixiſſe ante Sæculum ſextum.* V. *Aſſertio tertia, Primum Libri Pontificalis Apographum eſſe quod ſub nomine Catalogi ſecundi edidit Henſchenius, cujus Autor ſub finem ſexti Sæculi ſcripſerit; Interpolatum tamen atque continuatum ante Anaſtaſium.* VI. *Aſſertio quarta, Incertum eſſe an quicquam in illo Libro interpolârit, aut continuârit, Anaſtaſius.* VII. *Probatur interpolatum fuiſſe ante Anaſtaſium, & viceverſâ in nonnullis mutilatum.* VIII *Siquid boni habeat in primis Pontificibus Liber Pontificalis, id omne hauſit è Catalogo primo per Cuſpinianum edito, quem tamen ipſum non integrum, ſed vitiatum duntaxat, viderit.*

I. DE his Geſtis Pontificalibus, ſive libro de Pontificibus Romanis, ut judicium meum feram; primò Autores,

Autores, quibus liber ille hactenus tributus eſt, deinde tempora, quibus eum ſcripſiſſe videantur, conſideranda, & quæ ante nos obſervârunt Viri docti, diſcutienda ſunt. Inde enim patebit quanta autoritas tali ſcripto aſcribenda ſit: quippe ſi neq; autorem habeat, neq; ætatem ullo modo venerandam, neſcio ex quo capite aſſenſum noſtrum vendicare poſſit, narrationibus præſertim iis, quæ vel omnem fidem ſuperant, vel omnium Veterum teſtimonio defecta & deſtituta ſunt.

II. Prima autem Virorum doctorum prioris Sæculi ſententia fuit, Damaſum Vitarum omnium Pontificum, qui ſuum Pontificatum præceſſerunt, autorem fuiſſe: ita Onuphrius, Tutrianus aliique. Sed hæc ſententia non diu duravit inter Romano-Catholicos: Nam eam primò Baronius rejecit, nihil omnino in eo Opere ad Damaſum pertinere aſſerens; qui etiam addidit ejuſdem Libri incertum autorem fuiſſe, & ex duobus ſaltem autoribus ſua conſarcinâſſe; quæ conjectura Ill. Annaliſtæ erat veriſſima, licet ipſe Cardinalis, quinam eſſent illi autores duo, ex quibus liber iſte conſarcinatus eſt, penitus ignoraret. Baronii ſententiam ſtatim ſequuti ſunt Binius, Poſſevinus aliique, quod ad Damaſum ſpectat. Qui Damaſum ad ſua tempora Vitas Pontificum ſcripſiſſe putabant, reliquos uſque ad Pontificatum Nicolai I. Anaſtaſium Bibliothecarium addidiſſe aſſerebant; ut Onuphrius aliique. Sed nec hæc ſententia diu obtinuit; nam Moguntini qui Vitas Pontificum An. Dom. MDCII. ediderunt, ſimul ſignificârunt ſe propter ſtyli & totius ſcribendi rationis & methodi earum Vitarum, quæ poſt Damaſum ſcriptæ ſunt, conſenſum cum phraſi univerſâque ſcribendi ratione, quæ eſt in Vitis prioribus, in eam ſententiam inclinare, omnium illarum Vitarum germanum parentem eſſe Anaſtaſium. Unde ſtatim Bellarminus eorum ſententiam quaſi notam amplectitur, eandemque ſequitur ex noſtris Gerardus Joannes Voſſius. Alii etiam ex noſtris, qui multum autoritatis iſti Libro Pontificum tribuendum eſſe ut crederetur, ob rationes

minimè incognitas maximè cupiebant, ad Damaſum rurſus recurrebant, & quicquid in illius Opere minus verum eſſe putabant, poſterioribus ac præcipuè Anaſtaſio tribuebant: quales erant viri ſanè doctiſſimi, Blondellus & Salmaſius. Neceſſe igitur eſſe ſentimus, ut cùm Nos Librum illum Pontificalem in prioribus præſertim Eccleſiæ temporibus enarrandis non flocci facimus, ſententiam noſtram de ejus autore explicemus, ejuſque rationes particulatim reddamus.

III. Dico igitur primò, priorem partem Libri Pontificalis, qui Geſta Pontificum continet, non fuiſſe à Damaſo ſcriptam. Quotquot ab eo natam putabant, nullam aliam rationem iſtius ſententiæ afferre unquam potuerunt, præterquam quòd nomen illius pluribus MSS. Codicibus inſcriptum fuit. Sed nimis infirmum eſt à titulo argumentum, cùm alia omnia refragentur. Nam primò Damaſi fama hoc vetat, cujus ingenii elegantia ſemper agnita eſt, quam planè nullam fateri cogitur quiſquis illum librum ſcabrum tam ſtyli inconditi & ineruditi ei tribuit. Secundò Hieronymus, qui eum juviſſe dicitur, hujus Operis non meminit, cùm ejus Vitam poſt decennium ferè ſcripſerit. Tertiò, materia illius libri adeò novitatem redolet, & antiquitatem adeò craſsè affectat, & res nemini cognitas tam ſecurè recitat, ut nulli quarti Sæculi ſcriptori, quamvis rudi & inerudito, ſine injuriâ ejus nomini factâ aſſignari poſſit. Et ſi duas partes illius Pontificalis ſeorſim conſideremus, quamvis utraque eodem genere ſcriptionis ſimilis ſit, prior tamen poſteriori multo incertior, imò multo pejor, fabuloſior & contaminatior eſt, ideoque Damaſo autore minùs digna.

IV. Dico ſecundò, nullum Papam aut alium quemcunque fuiſſe auctorem Libri Pontificum, ſive Geſtorum Pontificalium ante ſextum Sæculum: imò nullum ejuſmodi librum in Eccleſiâ extitiſſe ante annum CLX. ab obitu Damaſi Papæ. Cum enim tot ritus Eccleſiaſtici, tot opiniones de rebus fidei & diſciplinæ, quæ ante initium ſexti Sæculi

Sæculi minimè obtinuerunt, in eo libro contineantur, & ab ipſo ejus initio utramque paginam faciant, maturiùs quicquam in illis Geſtis ſcriptum fuiſſe nulla ratio admittit.

V. Tertiò, veriſimillimum mihi videtur Librum illum Pontificum in Bibliothecâ Reginæ Sueciæ uſque ad Felicem quartum & Juſtiniani tempora deductum, quem nobis exhibuit Heinſchenius ſub nomine Catalogi ſecundi, Apographum eſſe primi omnium Libri Pontificum, neque ulla ante eum Geſta Pontificalia, aut Vitas Pontificum extitiſſe. Nec tamen eum librum Pontificum ſub Juſtiniano ſcriptum fuiſſe puto, ſed ſub finem ſexti Sæculi ab Impoſtore exaratum editumque, cum Blondello ſentio; autoremque vitas Pontificum poſt Felicem ad ſuam uſque ætatem de induſtriâ omiſiſſe, ne ſeipſum proderet. Eum autem Librum ſub nomine Geſtorum Pontificalium continuatum fuiſſe, atque etiam in aliquibus locis interpolatum ante ætatem Anaſtaſii affirmare non dubito. De continuatione dubitari non poteſt, quia tales libri MSS. in Bibliothecarum forulis adhuc conſervantur, quibus deducta ſunt Geſta Pontificum uſque ad Stephanum tertium ultra An. Dom. DCCL. ut teſtantur Freherus, Labbéus, & Heinſchenius. Quæ Geſta poſt ætatem Juſtiniani per modum continuationis ſcripta, non ſunt ab Anaſtaſio tanquam Autore profecta, quia ante Anaſtaſium meminere ſcriptores haud pauci diverſorum Pontificum, & ab iis geſtorum uſque ad Sergium & Gregorium tertium, hoc eſt, ultra An. Dom. DCCXL. ut cùm ex pluribus aliis, tum ex eo Strabonis loco clarè oſtenditur.

VI. Quartò, Illud porrò obſervo, Librum illum Geſtorum Pontificalium primum Sæculo ſexto exaratum, in poſterioribus editionibus interpolatum fuiſſe ante ætatem Anaſtaſii; quod diligenter notandum eſt. Quia Blondellus putavit veriſimile eſſe Anaſtaſii temeritati nos debere omnia, quæ in eo Libro à veritate aliena ſunt. Ego potius primo ſcriptori temeritatem ſummam tribuo, poſterioribus

aliquam, ſed minorem, an ulla omninò Anaſtaſio tribuenda ſit neſcio; non enim hactenus quicquam vidi, quod Anaſtaſium eum Librum edidiſſe doceat, præter titulum in aliquibus MSS. & ſanè paucis inventum. Reliqui Damaſum agnoſcunt, & tamen falsò omnes: Quinimò rectè à Labbéo notatum eſt, ante ætatem Anaſtaſii illud Opus Damaſo tributum eſſe in libro tempore Caroli Magni ſcripto. Cùm enim Liber ille, antequam Anaſtaſius quicquam ſcripſit, editus ſit, alii autori neceſſariò tribuendus eſt; & cùm etiam eâ ætate Liber ille ſub Damaſi nomine extabat, nimis ſerò eidem Operi etiam continuato Anaſtaſii nomen præfixum eſt, præſertim cùm ille Bibliothecarius tale Opus edidiſſe à nemine ante Sæculum decimum quartum vel quintum perhibeatur.

VII. Interim Librum primum Pontificalem ſexto Sæculo exaratum ante ætatem Anaſtaſii interpolatum fuiſſe ſic probari poſſe ſentio. In primo Catalogo ſive primæ Editionis illius Libri Pontificum Apographo de Alexandro legimus, *Hic Paſſionem Domini miſcuit in prædicatione Sacerdotum.* Quæ ſic interpolata apud Anaſtaſium leguntur, *Hic Paſſionem Domini miſcuit in precationem Sacerdotum, quando Miſſæ celebrantur.* Sed hæc interpolatio ante Anaſtaſium facta eſt: eadem enim verba apud Walafridum Strabonem libro de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. recitantur. In vitâ Teleſphori apud Anaſtaſium legimus, *Hic conſtituit, ut* (legendum enim eſt *ut* pro *cum*) *omni tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret Miſſam celebrare, quâ horâ Dominus noſter aſcendit crucem.* In Catalogo ſecundo hæc verba non comparent: addita autem ſunt ante Anaſtaſium; legit enim eadem in ſuo Codice Walafridus Strabo & exſcripſit cap. 23. De Eutychiano in Catalogo ſcribitur, *Hic conſtituit fruges ſuper altario benedici*, apud Anaſtaſium, *ut fruges ſuper altare tantùm fabæ & uvæ benedicerentur.* Sed & hæc interpolatio facta eſt ante Anaſtaſium, ut patet ex Strabone cap. 18. Apud Catalogum in Vitâ Symmachi hymni Angelici mentio fit: apud Anaſtaſium

hæc

hæc legimus, *Hic conſtituit, ut omni die Dominico vel Natalitiis Martyrum hymnus diceretur Angelicus, id eſt,* Gloria in excelſis: quæ ante eum recitavit Strabo cap. 22. Sic in vitâ proximi Pontificis Hormiſdæ Anaſtaſius hæc habet, *Hic compoſuit Clerum & Pſalmis erudivit*; quæ in Catalogo non comparent; ſed à Strabone memorantur cap. 25. Neque mirum eſſe videatur, ut à poſterioribus aliqua prioribus adderentur: illud potius obſervandum eſt, nonnulla in primâ editione ſcripta extitiſſe, quæ poſterioribus omiſſa aut detracta fuerunt. Verbi gratiâ in Catalogo ſecundo legimus de Teleſphoro, *Hic fecit ut Natali Domini noſtri Jeſu Chriſti noctu Miſſæ celebrarentur, & in ingreſſu Sacrificii hymnus diceretur Angelicus,* Gloria in excelſis, &c. *tantùm noctu Natalis Domini.* Poſtrema autem verba *tantùm noctu Natalis Domini,* apud Anaſtaſium omiſſa ſunt; & ſanè ante eum erant detracta, ut patet ex Strabone, quem locus ille mirè torſit, non ob aliam cauſam, quàm quòd illa verba ante ſublata in ſuo Codice non viderat; viderat autem ea verba Symmachi de hymno Angelico, quæ, ut diximus, in primâ Editione non habebantur. In Catalogo de Gelaſio legimus, *Hic fecit Sacramentorum præfationes cauto ſermone, & Epiſtolas fidei elimato ſermone.* Horum nihil habet Anaſtaſius, ſed eorum loco ſubſtituit, *Hic fecit Conſtitutum de omni Eccleſiâ.* Denique in vitâ Hormiſdæ pars quædam hiſtoriæ de Concilio Conſtantinopoli facto, in quo reddita ratio damnationis Acacii, & ab omnibus accepta eſt; & de concordiâ ab Oriente uſque ad Occidentem factâ in Catalogo habetur, apud Anaſtaſium non reperitur.

VIII. His perpenſis, quis non videt fidem huic Libro Pontificali minimè adhibendam eſſe? Autor enim ejus Anonymus, & incertus ſexti Sæculi ſcriptor, & ſtatûs primitivæ Eccleſiæ planè ignarus fuit. Unde pluribus & fœdis erroribus ſcatet, fictiſque narrationibus plenus eſt, & enormem rituum doctrinarumque antiquitatem venditat. Et quod ad Chronologiam ſpectat, Succeſſionis ordinem non ſemel perturbat, annoſque Pontificum nullâ certitudine,

dine, ſummâ negligentiâ vel inſcitiâ tradit, & quicquid de eorum annis, qui ante Liberium ſedebant, boni habet, illud ex vetuſtiori ſcriptore hauſit, & malè plerumque expreſſit. Scriptorem autem vetuſtiorem illum non alium fuiſſe cenſeo, quàm autorem Veteris Catalogi, per Cuſpinianum primò editi. Hunc primum Catalogum, quod ad rem Chronologicam ſpectat, exprimere conatus eſt autor ſecundi Catalogi ſive Libri Pontificalis; quod ex certiſſimis conjecturis colligi poſſe videtur. Nam cùm primi Catalogi autor omnium à S. Petro uſque ad Liberium Epiſcoporum tempora per Conſules tradidiſſet, ſecundi ſive Libri Pontificalis autor, iiſdem fere Conſulibus uſque ad eundem Liberium utitur. Et cùm primus ille in Liberio deſineret, & quia eo vivente ſcriptus eſt, initium ejus Pontificatus tantùm deſcribere potuit, *à Conſulibus Conſtantio* V. *& Conſtantio Cæſare*, Secundi autor abſurdè ſatis inquit, *Fuit temporibus Conſtantii uſque ad Conſtantium Auguſtum* VII. Nam cùm primi Catalogi autor Conſules, ſub quibus mortuus eſt, non addidit, qui erant Lupicinus & Jovinus, ſub Imperio Valentiniani & Valentis; Utque tam abruptè duce ſuo deſtitutus in Liberio defecit, ſic poſt Liberium per annos ferè CLX. uſque ad Joannem Papam nullos Conſules nominavit, cùm à Conſtantio VII. ad Conſulatum Maximi, ſub quo Joannes ſedere dicitur, anni interceſſerint CLXVIII. Præterea ubi autor ſecundi hujus Catalogi primum, quod ad Conſules attinet, ſequitur, tam abſurdè id facit, ut ſimul & prioris ſimiam ſe profiteatur, & inſcitiam ſuam prodat. Nam cùm primi Catalogi autor S. Petrum vixiſſe poſt aſcenſionem Domini annos tantùm XXV. tradidiſſet, Autor Libri Pontificum eundem Apoſtolum anno poſt Paſſionem Domini XXXVIII. paſſum eſſe docuit; & tamen Lino ejus Succeſſori eoſdem Coſſ. tribuit, quos prior tribuerat. Et rurſus cùm prior Lino Clementem, Clementi Cletum ſucceſſiſſe tradidiſſet, poſterior Lino Cletum, Cleto Clementem ſucceſſiſſe docuit; & tamen mirâ ſecuritate vel ſtupiditate potius eoſdem utrique Conſules

Conſules aſſignavit, quos prior aſſignaverat: imò Clementem ex primo tradit ſediſſe uſque Veſpaſiano VII. & Tito, hoc eſt, An. Dom. LXXVI. quem tamen ſtatim ex Hieronymo ſcribit obiiſſe tertio Trajani, id eſt, An. Dom. Centeſimo. Ex his aliiſque hujus generis Ill. Annalium Conditor conjecit Librum à diverſis autoribus ſcriptum fuiſſe, Ego potius Libri autorem unum fuiſſe, & duos autores ſine judicio ſequutum eſſe, autorem ſcilicet primi Catalogi, & Euſebii in Chronico interpretem Hieronymum: adeóque ſententias de temporibus Pontificum planè diverſas atque diſſentaneas commiſcuiſſe. Denique ne eum quidem Catalogum primum integrum vidit, ſed ut opinor alicubi eodem modo mutilum & mancum, quemadmodum nos eum nunc habemus: quod vel ex illis colligere licet, quæ quaſi de Hygino & Pio ſcripta videntur. Ubi ſupplevit locum miſerè affectum ſine ullo judicio, & Conſules notiſſimos duos Auguſtos, quos non intellexit, omiſit: quam rem latius in ſecundâ Diſſertatione tractabimus. Cùm igitur Libri Pontificalis autor tempora priorum Pontificum ex primo Catalogo deſumſerit, & plerumque malè expreſſerit, & cum iis alia planè diſſona miſcuerit, ſiquæ primorum temporum certitudo à Latinis expectanda ſit, ea ex primo Catalogo eruenda erit. De quo nunc agendum.

CAP.

CAP. XIII.

I. *De primo Catalogo per Cuſpinianum & Bucherium edito.* II. *Magni faciendus, ſi quidem incorruptum haberemus.* III. *Qualis hodie extat non ubique fide dignus.* IV. *Binæ Baronii Regulæ refelluntur. In primis Eccleſiæ Romanæ Traditionibus, Græcis potiùs acquieſcendum, quàm ipſis Romanis. Nec ullam faciunt, hâc in cauſâ, fidem adjecti, nullo tamen idoneo teſte, Coſſ.* V. *Refellitur Heinſchenii conjectura Anterum prioris partis Autorem ſtatuentis uſque ad Urbanum.* VI. *Anterum prioris partis Autorem fuiſſe non eſt veriſimile.*

I. PRimum inter Latinos Catalogum Romanorum Pontificum eum fuiſſe omnino cenſeo, quem Cuſpinianus Commentariis per partes & ſparſim ſuis inſertum edidit: de quo ille hæc ad annum U. C. DCCLXXXI. habet, *Oblatum eſt mihi pervetus opuſculum anonymi Autoris, quo Pontifices Maximi, ſub quibus Conſulibus fuerint, enumerantur; in eo ita ſcribitur,* Imperante Tiberio Cæſare paſſus eſt Dominus noſter, &c. Idem Opuſculum, ut apparet, ex Codice paulò integriori à Bollando ſibi communicato edidit Ægidius Bucherius in Commentario ad Victorii Canonem Paſchalem, & poſt eum nuperrimè Heinſchenius in Diatribâ præliminari ad Acta Sanctorum Aprilis. Hunc Catalogum proculdubio exprimere conatus eſt ſecundi Catalogi, ſive libri Pontificum Autor.

II. His

II. His obſervationibus præmiſſis Auctorem ſecundi Catalogi neminem, quem in aſſignandis Conſulibus ſequeretur, niſi illius Catalogi Autorem habuiſſe ſine controverſiâ patebit. Siqua igitur apud Latinos Chronologos certitudo iſtorum temporum haberi poſſe videatur, non aliunde quàm ex iſta vetuſtiori Catalogo petenda erit: ut nos cum Petavio, Bucherio, & Heinſchenio judicamus. Enimvero eum magni nunc pretii eſſe fateor, & ſi unquam integer & incorruptus prodierit, multo pluris faciendum fore: neque dubitandum mihi videtur, quin propter hunc Catalogum ſpecioſum Damaſi nomen Libro Pontificum primò inditum ſit. Quamvis enim non ab ipſo, illius tamen ætate ſcriptus eſt hic Catalogus ſub Pontificatu Liberii, cui ſucceſſit Damaſus. Fuit igitur ejus Autor ipſo Hieronymo paulo antiquior. Non placet tamen Lemma illud ab Heinſchenio præfixum, *Elogium ex Catalogo priore à S. Damaſo ad S. Hieronymum miſſo.* Hoc enim ex duabus Epiſtolis, quas præfixit, tantùm collegit; eas autem fictas eſſe ſciunt Eruditi: neque quicquam ad earum defenſionem affert, præter duas alias Epiſtolas illis ſimiles, quas Sarazanius inter Opera Damaſi edidit, cùm etiam illas jamdudum ſuppoſititias & ineptiſſimas pronuntiaverit Bellarminus.

III. Huic tamen Catalogo tam vetuſto, primo inter Latinos, ſed poſt Euſebianum Græcum nato, & in ipsâ Romanâ Eccleſiâ ante Latinam Euſebii Verſionem edito, (quod omnino obſervandum eſt) in digerendis annis Romæ Epiſcoporum haud temerè fidendum eſſe arbitror. Obſervat quidem Valeſius non ſemel, annos Pontificum à Calliſto uſque ad Liberium in hoc Catalogo optimè digeſtos eſſe; quod tamen uſquequaque verum eſſe non puto. Nam annos Pontificum ſub quibus floruit S. Cyprianus malè digeſtos eſſe conſtat, quod fortaſſe ex libelli corruptione contigit: Verùm ante Calliſti Pontificatum non tantùm Codex mancus & mutilus eſt; ſed etiam ſi ſuppleatur, nullam in his rebus certitudinem parere poteſt.

Queritur Heinſchenius Bucherium *non parum fuliginis* huic primo Catalogo *adjeciſſe, dum eum, quem confuſiorem & vitioſum judicabat, non ſatis æſtimavit.* Sed hæc mihi querela nimis injuſta videtur; neque ille qui alterum accuſat, eum Catalogum aut minus confuſum, aut minus vitioſum reddidit ediditque. Nam autor ipſe quiſquis fuit nullis adminiculis ſuffultus, nullâ Tabularum autoritate nixus, prioribus Epiſcopis Conſules tanquam Conjector tantùm tribuiſſe deprehenditur; illiſque malè diſpoſitis, cùm ad Hygini, Pii, & Aniceti tempora perveniſſet, in tantas anguſtias redactus eſt, ut quid ſcriberet, non haberet. Quid quòd SS. Petrum & Paulum ſimul paſſos eſſe docet (primo Neronis anno) Coſſ. Nerone & Vetere, quod & Actis Apoſtolorum à S. Luca conſcriptis apertè contradicit, & omnes ferè S. Pauli Epiſtolas antevertit? Legitur quidem in Codice Bucheriano *uſque Nervæ & Veri*, ſed mendosè, ut notat Bucherius ipſe; neque enim tale par Conſulum in Faſtis reperitur. Heinſchenius edidit *uſque Nervæ & Veſtini*, contra fidem ſui Codicis, contra Codicem Cuſpiniani, contra mentem Autoris Catalogi, qui XXV. tantùm annos numerat à Conſulatu Vinicii & Longini, ab eo autem Conſulatu ad Nervam & Veſtinum Coſſ. anni ſunt XXXV. Et Conſules, quos proximè ſolenni more nominat, non ſunt Paulinus & Teleſinus, qui Nervæ & Veſtino ſucceſſerunt, ſed Saturninus & Scipio, qui Neronem & Veterem ſecuti ſunt. Alibi etiam malè in Catalogo Bucheriano ſcribitur *Veri* pro *Veteris*, ut in Euariſto, *à Conſulatu Valentis & Veri*, Fulvii ſcilicet Valentis & Antiſtii Veteris, unde etiam apud Pſeudo-Iſidorum ex meliori Codice nomen Veteris retinetur. Rectè igitur ad mentem Autoris, *uſque Neronis & Veteris* ex Codice Cuſpiniani edidit Bucherius, ſed peſſimè illis Conſulibus Petrum & Paulum paſſos eſſe tradit Autor illius Catalogi, cùm S. Paulus eo anno Romam nondum vidiſſet, & multæ Pauli Epiſtolæ tum ſcriptæ non ſint.

IV. Reliqua

IV. Reliqua non opus eſt hoc loco perſequi, quæ poſtea commodiùs & particulariùs perpendentur: Ex his autem, & ex iis quæ nunc omittenda cenſui, quia poſtea dicentur, ſatis patebit non eſſe huic Catalogo ubique credendum: nam quod ex duabus regulis à Baronio præſcribi ſolitis deducere conatur Heinſchenius, vim nullam habet. Quippe Regula prima, quòd *in his, quæ ſunt Eccleſiæ Romanæ, major fides ſit adhibenda ejus Alumnis, quàm cæteris*, ab ipſo Baronio minimè obſervata eſt; ſed ad unum Cletum ſtatuminandum, cum aliud nullum argumentum ſuppeteret, uſurpata eſt: neque hîc locum habere poteſt, cùm nullus Eccleſiæ Romanæ Alumnus per tria priora Sæcula, quicquam ſcripſiſſe, quod hanc rem ſpectat, perhibeatur; niſi Caium excipias, quem Græcè ſcripſiſſe novimus, ſed & Eccleſiæ Romanæ Presbyterum fuiſſe, & Cletum ab Anacleto minimè diſtinxiſſe alibi probamus. Alii verò nonnulla prodidere, nominatis Romæ Epiſcopis, ſub quibus ipſi vixêre; quales fuerunt Viri præclari Hegeſippus, Irenæus, Dionyſius, Bacchylides, non Romanæ, ſed Græcæ Eccleſiæ alumni. Et hîc obſervatione dignum eſt, quod ego ex verbis Irenæi de Romanâ Eccleſiâ & alumnis ejus colligo, lib. 3. c. 3. ubi de Romanorum Epiſcoporum Succeſſione agit, *Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire* Eccleſiam, *hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in quâ ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Traditio.* Conſervatam enim docet Traditionem ab Apoſtolis in eâ Eccleſiâ, ab his qui ſunt undique, מכל צדדין, Gloſſ. מכל צדדין, *undique*, quorum ſcilicet ipſe Irenæus unus fuit. Cùm autem traditionem Apoſtolorum per Succeſſionem Epiſcoporum ad ſua uſque tempora derivatam fuiſſe ſcribit, non tam ab ipſis Romanæ Eccleſiæ alumnis, quàm ab iis qui ex regionibus convenire ſolebant, Succeſſionem illam tunc temporis obſervatam eſſe mihi videtur aſſerere. Ut igitur Græci, quales erant Polybius, Dionyſius Halicarnaſſenſis,

carnaſſenſis, Plutarchus, & Dio Caſſius optimè hiſtoriam Romanam digeſſiſſe creduntur, neque Romanorum quiſquam cum iis conferendus eſſe videatur, qui exteri erant. Adeo ut *Livius ingens pellibus exiguis arctari* facile potuiſſet, ſi illa excerperentur, quæ ex Polybio aliiſque Græcis ſcriptoribus hauſit. Sic & mihi Græci autores in Eccleſiâ, qui ad Romanam Urbem *propter potentiorem principalitatem undique convenerunt*, Succeſſionem Epiſcoporum & hiſtoriam rerum geſtarum accuratiùs obſervaſſe & conſervaſſe videntur, quàm ipſi alumni in eâ urbe nati, & educati Chriſtiani; qui eo temporis tractu propter fidem celebres, propter doctrinam, aut literarum ſcientiam non adeò præclarum teſtimonium nacti ſunt. Faceſſat igitur prima Baronii regula, quæ ipſum adeo abreptum tenuit, ut ſententiam de natali anno Chriſti in priori editione à ſe promulgatam in poſteriori revocaverit, *Caſſiodoro potiùs acquieſcens*, quem ut ſequeretur illud *maximè perſuaſit*, quòd *homo Romanus* eſſet. Et ſecunda Regula, *Quòd tempora adnumerata per Conſules libentioribus ſint accipienda auribus*, huic cauſæ non favet, & à Baronio malè poſita eſt. Nemo enim unquam eam Regulam ſæpius tranſgreſſus, nemo tam ſæpe Faſtos Conſulares turbavit, & ad ſuam ſententiam detorſit. *Vetera* quidem *monumenta*, ut ait ille, *Conſulibus conſignata* magnam certitudinem pariunt; quia ipſis monumentis Conſulum nomina aſcripta ſunt, quæ ipſum annum, quo ſcripta ſunt, ſignabant, quem ignorare, qui ſcripſerunt, non potuere: ſi autem rebus ipſis geſtis quiſpiam nimiâ diligentiâ Conſules apponat, quarum ipſe ex longinquitate temporis non ſatis gnarus fuit, nomina Conſulum appoſita nullam rebus ipſis autoritatem arceſſere poſſunt. Nos autem aſſerimus Autorem primi Catalogi nullam temporum priorum Pontificum certitudinem acquiſiviſſe, aut Romæ tunc cùm ſcriberet acquirere potuiſſe; & hujus ignorantiæ multa ſpecimina ediditſe. Unde aſſignatio Conſulum illis adhibita, quorum Succeſſionem & tempora neſcivit, plenam à nobis fidem extorquere non poteſt.

V. Fateor:

V. Fateor equidem aliquid nuperrimè ab Heinſchenio excogitatum fuiſſe, quod ſententiæ noſtræ apertè adverſatur, & ulteriorem diſcuſſionem poſtulat. Ille enim primum Catalogum in duas partes dividendum eſſe ſtatuit, ac partem poſteriorem quarto Sæculo ſcriptam eſſe fatetur circa An. Dom. CCCLIV. priorem autem ſub initio tertii Sæculi uſque ad Urbanum Pontificem, qui paſſus eſt An. Dom. CCXXX. ut ipſe ait. Priorem partem ab Antero Pontiani ſucceſſore ſcriptam fuiſſe putat, Papa Romano, non quidem ſub ipſius Pontificatu, (ſatis cautè) ſed ſub Pontificatu Pontiani. Jam verò ſi ſub Pontificatu Pontiani prior Catalogi pars ſcripta ſit, quis ei refragari hâc ætate poteſt? quis contra Anterum tam ſerò de anteceſſoribus ejus diſputare? Sed hæc conjectura quantum valeat inprimis videndum. Nomen Damaſi Tabulis Eccleſiaſticis præpoſitum diu Eccleſiæ impoſuit; cavendum ſolicitè ne Anteri nomen multo antiquius nunc tandem nobis imponat. Conjecturæ ſuæ præcipuum habet fundamentum, quia *in priore parte nulli Conſules bis repetuntur, in ſecundâ paſſim majora Pontificum elogia referuntur, iidem Conſules repetuntur, dies ordinationis & mortis Pontificum aſſignantur.* Sed nimis infirma eſt hæc obſervatio, quàm ut ex eâ argumentum ſumi poſſit, quo probetur duos hos eſſe Catalogos, à diverſis autoribus ſcriptos, quorum unus alterum præceſſit annis fermè CXXX. Satis enim facit ad methodum ejuſdem Autoris diſcriminandam, quòd poſteriora Pontificum tempora ipſi Autori notiora ex Eccleſiæ monumentis fuerint quàm priora. Inde enim ratio optima & firmiſſima petitur, cur dies obitûs Pontificum in poſteriori parte Catalogi, non autem in priori aſſignentur; quia idem autor habuit Depoſitiones Epiſcoporum & Martyrum eodem tempore cum Catalogo editas, priorum temporum Depoſitiones non habuit. Et hæc clara ſunt. Legimus in Catalogo de Fabiano, *Paſſus* XIII. *Kalendas Februarii.* Pariter in Depoſitione Martyrum, *Decimo tertio Kalendas Februarii Fabiani in Calliſti.* Rurſus:

ſus in Catalogo legitur de Lucio, *Deceſſit tertio Nonas Martias.* Et in Depoſitione Epiſcoporum pariter, *Tertio Nonas Martii Lucii in Calliſti.* Sic in Catalogo Sixtus paſſus eſſe dicitur VIII. Idus Auguſti, & in Depoſitione Martyrum, *Menſe Auguſto Octavo Idus Syſti in Calliſti.* Rurſus in eodem Catalogo Dionyſius ſediſſe dicitur *uſque in diem ſeptimum Kalendas Januarii.* Et in Depoſitione Epiſcoporum primo loco legimus, *Sexto Kalendas Januarias Dionyſii in Calliſti.* Has Depoſitiones Epiſcoporum & Martyrum habuit Autor qui ſub Liberio ſcripſit, & ex iis dies obitûs in poſteriori parte ſui Catalogi notavit: nullius Epiſcopi ante Lucium, nullius Martyris ante Fabianum Depoſitionem penes ſe habuit; ſolos igitur Pontianum & Anterum addidit, qui minori quàm annuo ſpacio ante Pontificatum Fabiani deceſſerant, quorum obitus notatos aliunde hauſit; nullius ante eos obitûs meminit, quia certam dierum quibus mortui ſunt notitiam non habuit.

VI. Præterea ut priorem partem Antero aſcribat Heinſchenius, notat eum *Geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſiviſſe, & in Eccleſia recondidiſſe.* Quod primò verum eſſe nihil eſt quod ſuadeat. Nam Maximinus ipſo ſtatim Imperii initio graviſſimam Perſecutionem Romæ excitavit, qua intra paucos menſes duo Epiſcopi Romani paſſi ſunt Pontianus & Anterus. Hunc Anterum *Geſta Martyrum recondidiſſe* volunt. Sed unde hoc habent? à ſecundo ſcilicet Catalogo, qui ſexto Sæculo primùm, ſi forte, prodiit. Cujus autoritas ut hîc potiſſimum vacillet neceſſe eſt; nam qui tradit Anterum Geſta Martyrum recondidiſſe, docet etiam eum per undecim annos Pontificatum tenuiſſe; quem uno tantum menſe & decem diebus ſediſſe fatetur Heinſchenius. Secundò, ſi daremus Anterum Geſta Martyrum collegiſſe, eo minus credibile erit, eundem etiam priorem Catalogi partem edidiſſe. Nam ſi illa ab eo diligenter collecta ſunt, unde factum eſt ut in illa Opuſculi parte, quæ ipſi autori ab Heinſchenio tribuitur,

tribuitur. nullius Martyris aut Pontificis obitus memoretur? Certè multo verisimilius est, eum qui obitus Episcoporum non novit, dies omisisse, quàm eum qui Gesta Martyrum ante suam ætatem diligenter conquisiverat, & recondita habuit, eadem minimè memorâsse. Quis putabit Anterum Gesta Callisti conscripsisse, & diem obitûs ejus in Catalogo omittere voluisse, cùm ipso vivente & florente Antero, non tantùm Callistus, sed & ante eum Zephyrinus obierit?

CAP. XIV.

I. *Hygini, Pii atque Aniceti tempora justo seriùs detrudunt receptæ hactenus rationes tam Latinorum quàm etiam Græcorum.* II. *Extant tamen tertiæ Eutychii Patriarchæ Alexandrini ab utrisque diversæ.* III. *In quibus, ut oportuit, horum Pontificum tempora ad anteriora promoventur.* IV. *Is itaque, quamvis alioqui fide parum dignus, hâc tamen in causâ, Autorem aliquem secutus videtur minimè spernendum.*

I. CUM igitur tempora Veterum Pontificum Romanorum nullâ certâ ratione, aut apud Græcos, aut Latinos in Chronicis aut Indiculis hactenus constituta esse reperiantur; nihil omninò hâc ætate restat, nisi ut alia Chronologiæ ratio investigetur, quæ & Historiæ Ecclesiasticæ & dictis antiquissimorum Patrum maximè consona videatur: illis clarè refutatis, quæ cùm discutiuntur stare nullo modo possunt. Et quoniam Hæreticorum veterum Historica relatio præcipuè ad Hygini, Pii & Aniceti tempora

pora (quod Romam ſpectat) ab antiquis refertur, horum Pontificum tempora tum ex priorum, tum ex proximè ſequentium temporibus eruenda ſunt. Nam ſi priorum Pontificum ætas æquo juſtiùs deorſum extendatur, (de quâ re maximè querimur,) & ſequentium tempora, ut par eſt, ne uſquam hiatus appareat, ſurſum promoveantur, neceſſe eſt ut Hygini, Pii & Aniceti ætas in arctum compingatur, ac penè in nihilum redigatur; præſertim ſiquis poſt Hygini mortem integrum Vacationis quadriennium ſomniaverit.

II. Primo igitur Pontificum Hygino priorum tempora limitanda ſunt, ut quo anno poſt Martyrium Teleſphori ipſe ordinatus eſt, ſtatuatur; dein Soteris ætas eruenda eſt, ut quamdiu Anicetus vixerit, cognoſcatur. Porrò ſi fieri poſſit, alterius veteris Indiculi veſtigia quærenda & eruenda ſunt, qui illis multo verior & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ magis conformis apparere poſſit. Et ſanè extat Chronicon à Latino & Græco longè diverſum, non diu abhinc editum, & hactenus neglectum. Nempe Said Ebn Batrick, Patriarcha Alexandrinus, Eutychius vulgò appellatus, brevem hiſtoriam ſcripſit Arabicè ab initio mundi uſque ad An. Dom. DCCCCXXXVII. In qua de Patriarcharum Romanorum ætatibus clarè & diſtinctè agitur, eorumque ordinationes & exitus ad annos Imperatorum Romanorum particulatim rediguntur. Hæc Eutychii Hiſtoria, dicta نظم الجوهر hoc eſt, *Contextio gemmarum*, cum Latina Viri doctiſſimi Edvardi Pocockii verſione Oxoniæ edita eſt An. Dom. MDCLVIII.

III. Cum autem ego vulgarem Romanorum Pontificum præcipuè priorum Chronologiam valde ſuſpectam haberem, eamque ad veritatem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ reformandam eſſe ſentirem, idque aliquo modo propriâ induſtriâ præſtitiſſe me putarem; vidi Annales Eutychii aliam priorum Romæ Pontificum Chronotaxin, & tum à Latinis tum à Græcis

Græcis insigniter discrepantem exhibuisse, &, quod mihi mirum videbatur, cum observationibus meis ex historiæ monumentis magno labore & diligentia, sine duce, sine comite deductis maximè conspirantem. Unde sua hauserit Eutychius, sanè nescio; ab antiquiore aliquo nobis prorsus incognito ea sine dubio habuit, qui annos Pontificum cum annis Imperatorum ad modum Chronici Eusebiani contexuerat, sed cum maximo ab ipso principio discrimine, tum in initio Pontificatûs Lini, tum in annis Anacleti, ex quibus malè dispositis reliqui errores apud Eusebium præcipuè dimanâsse videantur.

IV. Haud equidem ignoro quid hactenus Viri docti de Annalibus Eutychianis senserint, eorumque judicium video ex Labbæo rectè percipi posse, qui ad calcem Concilii Antiocheni hæc liberrimè, ut solet, annotat. *Tam crassi porro tamque frequentes in rebus præsertim Chronologicis errores Eutychianorum Annalium hoc apud eruditos lectores hactenus effecerunt, ut vix unius assis æstimentur, cùm ab Socrate, Sozomeno, Evagrio aliisque probatis Græcis Latinisque scriptoribus dissentiunt.* Neque ego ab hac sententiâ multum dissentio. Ut enim in Vindiciis Ignatianis latè ostendi, erat hic Batricides veteris historiæ valde ignarus, neque cum priorum Sæculorum scriptoribus, ipse decimi Sæculi scriptor conferendus. Sed non dubito quin Autorem vetustiorem aliquem in Chronologicis habuerit quem secutus est. Hujus itaque vestigia eruenda, & in iis temporibus tantummodo premenda esse censui; quorum neque Græcorum veterum neque Latinorum quisquam satis certam notitiam habuisse deprehenditur. In summâ, hujus Eutychii autoritate haud leviter confirmatus, sed observationibus nostris ex historiâ veteri Ecclesiasticâ petitis præcipuè fretus, prioribus Romæ Episcopis annos suos, eo qui sequitur modo, in posteriori Dissertatione tribuendos esse putavi.

Dissertatio Posterior,

DE

ANNIS

PRIORUM

ROMÆ EPISCOPORUM

SIGILLATIM,

Ex vetustis

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

MONUMENTIS,

Et receptâ

Arabum Chronologiâ rectiùs disponendis.

DISSERTATIO POSTERIOR,

DE

Annis priorum Romæ Epiſcoporum ſigillatim, ex vetuſtis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis, & receptâ Arabum Chronologiâ rectiùs diſponendis.

CAP. I.

I. *In Catalogo Succeſſionis id imprimis curandum eſt, ne aut falſi inſerantur, aut veri è Catalogo excludantur Epiſcopi.* II. *Cletus male in Catalogum intruſus. Eum non agnovit Ignatius.* III. *Non agnovit Irenæus, non Caius, non Euſebius, &c. nec verè Epiphanius.* IV. *Sed nec in Eccleſiâ Latinâ Cyprianus, Optatus, Auguſtinus, Hieronymus, aliique vetuſtiſſimi.* V. *Diſcrepant inter ſe qui Cletum intrudunt, quo tandem ordine fuerit inſerendus.* VI. *Geſta Cleti & Anacleti invicem diverſa pro arbitrio conficta.* VII. *Erroris occaſio.*

1. IN hac poſteriori Diſſertatione idem mihi propoſitum eſt, quod vetuſtiſſimi Catalogi Autor ſibi propoſuit; ut ſcilicet oſtendam *per ſucceſſionem quis Epiſcopus & quot annis præfuit, vel quo Imperatore.* Hoc autem fieri non poteſt, niſi habeamus definitum & certum numerum Epiſcoporum qui in-

in antiquiſſimâ Succeſſionis tabulâ repræſentabantur. Nam ſi aliqua perſona admittatur, quæ ab initio in eâ non continebatur, aut aliqua inde excludatur quæ ab exordio admiſſa eſt, ut manifeſta temporum perturbatio inde oriatur neceſſe erit. Quippe quotcunque anni Epiſcopo extra ordinem inſerto tribuuntur, totidem Epiſcopus ille, qui ejus locum occupare debuit, ordine ſuo detruſus ad inferiora tempora deprimetur, ſucceſſoreſque ſuos loco ſuo dimovebit, ac in ſequiora tempora pariter detrudet. Et eodem modo quotcunque anni Epiſcopo è verâ Succeſſionis tabulâ excluſo aſſignati fuerant, totidem ſequens Epiſcopus ad ſuperiora tempora evehetur, ſucceſſoreſque ſuos ſecum ad altiorem locum efferet. Quocirca præcipuè curandum eſt, ne Epiſcopi Romani in Succeſſionis tabulâ rite ab initio poſiti ſuo loco dimoveantur, & aut per indebitam extranei cujuſpiam intruſionem deorſum premantur, aut per injuſtam veri Pontificis excluſionem ſurſum evehantur. Cujus obſervationis ſumma neceſſitas ab ipſo initio ſtatim apparebit.

II. Ac priores quidem quatuor hi paſſim numerantur, *Linus, Cletus, Clemens, Anacletus*; & eorum tempora ad An. Dom. CXI. à Baronio, ad CX. à Petavio & Labbéo extenduntur, gravi, opinor, [illegible]; utpote quæ vetuſtiſſimorum temporum & ſequentium rationes prorsùs conturbaverit, & plurium errorum in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ fœcunda mater extiterit. Nam primò, quatuor hi Pontifices reverâ tres tantum ſunt; *Cletus* & *Anacletus* ejuſdem hominis nomen diverſimodè prolatum. Rectè Valeſius, *Cletus ex mutilato Anencleti vocabulo fictus mihi videtur.* Verum hoc eſſe multa ſunt, quæ perſuadent: Et quidem ſi S. Ignatius idem docuiſſet, quod vult Halloixius, alio argumento non egeremus; ſed quæ ex Epiſtolâ ad Mariam Caſtabalitin ille adduxit, ſpuria eſſe certò cognoſcuntur; nec omninò quicquam probant, cùm tam Græca, quàm Latina nomina in illius Epiſtolæ Codicibus MSS. variè legantur.

legantur. De qua lectionum varietate ſuo loco dicemus.

III. Nam cùm priores Romæ Epiſcopos perſpicuitatis gratiâ per tetradas conſiderandos eſſe duximus, in primo omnium quaternione hujus obſervationis utilitatem maximam perſpeximus. Quippe quatuor Pontifices poſt S. Petrum & ante Euariſtum vulgo commemorantur, & numerus ille non tantùm diſertè & ex profeſſo ſtatuitur, ſed etiam præfractè à Chronologis maximi nominis defenditur. Primus omnium, quos nunc habemus, Succeſſionis horum Epiſcoporum meminit rerum Eccleſiaſticarum curioſiſſimus indagator Irenæus, apud quem hoc numero & ordine collocantur, *Linus*, *Anencletus*, *Clemens*, lib. 3. cap. 3. & Clementi mox Euariſtus ſucceſſiſſe dicitur. Poſt Apoſtolos igitur & ante Euariſtum tres tantummodo Romæ Pontifices agnovit Irenæus, qui tantâ ſecundi Sæculi parte in Eccleſiâ Occidentali floruit, & tam frequens cum Epiſcopis Romanis commercium habuit, & Hegeſippo harum rerum maximè curioſo ſuppar fuit; à quo denique Succeſſionem Romanam, viri tum ſecundi, tum tertii Sæculi, tum ſequentium temporum doctiſſimi tanquam certam & indubitatam tam in Occidente quàm in Oriente receperunt. Irenæo conſonus eſt Anonymus, ſive Caius, apud Euſebium lib. 5. cap. 28. ipſi ſuppar, & Romanæ Eccleſiæ Presbyter, qui adverſus Artemonis hæreſin ſub Zephyrino ſcripſit. Ille enim Cletum & Anacletum non diſtinxit, qui dixit Victorem fuiſſe poſt Petrum XIII. cum affirmet hæreticos ab Apoſtolis acceptam & conſervatam ἀλήθειαν tradidiſſe μέχρι τῆ Βίκτορος χρόνων ὃς ἦν τρισκαιδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐπὶ Ῥώμης ἐπίσκοπος. Hunc *Anonymum* vocat Blondellus, cùm conſtet eum Caium fuiſſe, eumque ut à Caio diſtinguat, quem ſub Antonino filio Severi ſcripſiſſe dixit Hieronymus, ſub Victore ea ſcripſiſſe affirmat, quod apertè falſum eſt. Nam verbis proximè ſequentibus, χρόνοι δὲ τῆ μέχρι νῦν Ζεφυρίνου διαμενούσης ἀληθείας.

Idem

Idem autor eoſdem hæreticos tradit affirmaſſe *à Zephyrino Victoris Succeſſore adulteratam fuiſſe veritatem*; quæ verba ſcribi non potuerunt ſub Victore, ſed vel ſub Zephyrino, vel Zephyrini Succeſſore. Præterea cum in primâ pericope ab Euſebio excerptâ, cùm meminiſſet Theodoti coriarii à Victore excommunicati, in ſecunda pericope diſcipulorum ejus meminit Aſclepiodoti & alterius Theodoti, qui Vitalem Presbyterum ſuæ Sectæ Epiſcopum conſtituerant, qui rediens ad Eccleſiam ad pedes Zephyrini Epiſcopi ſeſe abjecit; & rurſus in tertia pericope, alios etiam duos condiſcipulos addit, Hermophilum & Apollonidem, hoſque omnes prioris Theodoti diſcipulos edidiſſe tradit varia S. Scripturæ exemplaria, & veritati & ſibiipſis contraria. Hæc igitur vel ſub extremis Zephyrini temporibus vel paulo poſt ſcripta ſunt. Et quin idem hic ſcriptor fuit qui ſub Antonino Severi filio diſputationem cum Proculo Montaniſta iniit, nempe Caius, dubitari non debet. Quamvis enim Euſebius nec nomen Autoris nec libri titulum ex quo excerpta verbatim tranſcripſit, commemoret, titulum tamen libri cognoſcimus μικρὸν λαβύρινθον fuiſſe. Nam non tantum Nicephorus lib. 4. cap. 20. affirmat ἡ μικρὸν εἰρημένον λαβύρινθον redarguiſſe abſurditatem Artemonis & Theodoti quem beatus Victor depugnavit: ſed & Theodoretus Hæreticarum Fabularum lib. 2. cap. 5. trium pericoparum apud Euſebium ſummam ex parvo Labyrintho deducit, de Theodoto agens. Parvum autem hunc Labyrinthum Photius Codice XLVIII. Γαΐου πόημα agnoſcit, τῇ ἀληθείᾳ αὐτὸν συνταξάντος, *quod revera ille compoſuit* qui & Παλέξιν contra Proculum Montaniſtam edidit. Hunc Caium tum Euſebius tum Photius Romanæ Eccleſiæ Preſbyterum fuiſſe aſſerunt. Habemus igitur Romanæ Eccleſiæ alumnum, qui aſſeruit Victorem Epiſcopum Romæ decimum tertium, adeoque Cletum ex numero Pontificum rejecit, fatente Blondello, quique longe antiquior fuit alio quocunque

quocunque Eccleſiæ Romanæ alumno qui duos nobis Cletum & Anacletum protulit. Neque ille *veſtigiis Irenæi inſtitiſſe* dicendus eſt, qui cum vir eſſet doctiſſimus ut ex ipſius ſcriptis patet, & in Urbe ipsâ viveret Presbyteratûs ordine inſignitus, Epiſcoporum Romanorum Succeſſionem, eorumque verum numerum non minus quàm Irenæus cognitum & perſpectum proculdubio habuit. Irenæo etiam conſentit Euſebius tum in Chronico tum in Hiſtoriâ; & Euſebium ſequuntur Græci omnes, Pſeudo-Ignatius, qui Græcorum primus poſt Epiphanium in Epiſtolâ ad Trallianos interpolatâ Epiſcoporum hujus Succeſſionis nominatim meminit, Georgius Syncellus, Indiculi Nicephoro Patriarchæ tributi Autor, Photius, Nicephorus Calliſtus: nec quod ad hanc rem ſpectat, diſſentit Epiphanius, qui tres tantùm hîc cum Irenæo agnoſcit, quamvis Anencletum, Cletum vocet: imò quem Cletum prius vocaverat, poſtea cùm Succeſſionem enumerat, Anencletum vocaſſe videtur. Ὅμως ἡ τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπου ἀρχὴ παύεται ἔχει ἡ ἀναλυτίαν, Πέτρος ὁ Παῦλος, Λῖνος ὁ Κλῆτος, Κλήμης, Εὐάριστος. Ubi non malè Cotelerius ὁ redundare obſervavit; ſed ego potius mendum eſſe puto, & pro ὁ Κλῆτος legendum eſſe Ἀνέγκλητος. Ubi enim ea tradit Epiphanius, quæ in Commentariis quibuſdam viderat, Cletum appellat; cùm autem ſtatim ad ſententiam Euſebii redeat, ſine dubio eodem nomine Anencletum appellare voluit.

IV. Inter Latinos eundem numerum ſervant in Africanâ Eccleſiâ S. Cyprianus, Optatus & Auguſtinus in Epiſtola ad Generoſum, licèt in uno Codice Vaticano hæc addantur, *Lino Cletus*, *Cleto Clemens*, ut teſtantur nuperi Editores, cui cæteri MSS. refragantur. Eundem in Gallia Proſper, in Romanâ Eccleſiâ S. Hieronymus, & ut diximus Caius; inter Arabas Eutychius; in Eccleſiâ Hiſpanicâ Pſeudo-Dexter. Et tametſi Veteris Catalogi Autor cum ſecundo Catalogo, ſive Libro Pontificum, & Pſeudo-Tertulliano,

Cletum & Anacletum tanquam duos Pontifices nominet; Valeſius tamen teſtatur ſe duos vetuſtiſſimos Indices ſive Catalogos vidiſſe, in quibus nulla ſit Anacleti mentio, ſed ſolius Cleti. Quibus concordat ipſe Canon Miſſæ, qui Lini, Cleti & Clementis meminit, nullâ Anacleti mentione factâ. Nec non vetus Litania Ordinis Romani, *S. Line, S. Clete, S. Clemens, Ora pro nobis.* Et nuperrime Joannes Mabillon in egregio Opere, De re Diplomatica, ſpecimen ſcripturæ Sæculi VI. ex vetuſto Catalogo Romanorum Pontificum qui in Vigilio deſinit, nobis exhibuit:

Petrus ſedit annos XX. *menſ.* II. *dies* III.
Linus ſedit an. XI. *menſ.* III. *d.* XII.
Clytus ſedit an. XII. *menſ.* I. *d.* II.
Climens ſedit an. IX. *menſ.* X. *d.* I.
Euariſtus ſedit an. VIII. *menſ.* X. *d.* II.

Ubi nulla mentio Anacleti tanquam Pontificis à Cleto diverſi. Idem etiam aliud ſpecimen ſcripturæ Sæculi VIII. ex Indice affert qui deſinit in Joanne VI. & deeſt inquit in illo Indice Anacletus. Quod nunc omnibus apparet, poſtquam uterque Index inter Vetera Analecta ab eo editus eſt, quorum poſterior ſic incipit:

Linus ſedit annos XII. *menſes* V. *dies* XII.
Cletus ſedit an. VIII. *menſ.* II. *d.* V.
Clemens ſedit an. VI. *menſ.* I. *d.* XIV.
Euariſtus ſedit an. XIV. *menſ.* III. *d.* XII.

Viderint igitur qui in Breviariis repræſentant Cletum Romanum de Regione quintâ, Anacletum verò Athenienſem; & qui Martyrologium Romanum tantopere prædicant, quod agit de Cleto Aprilis XXVI. de Anacleto Julii XII.

V. Præterea

V. Præterea primi illi Scriptores, qui quatuor Pontifices ex tribus fecêre, de ordine Succeſſionis nunquam convenire potuerunt. In Catalogo Bucheriano hoc ordine quatuor recenſentur, *Linus, Clemens, Cletus, Anacletus*; in Catalogo ſecundo & Libro Pontificum alio, *Linus, Cletus, Clemens, Anacletus*; apud Pſeudo-Tertullianum rurſus alio, *Linus, Cletus, Anacletus, Clemens.* Unde apud poſteriores Græcos, qui de Martyrio Clementis ſcripſêre, nunc τρίτος τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας καθέζει ſcribitur, nunc λώπος, ut obſervat Cotelerius. Qui etiam triplicem lectionem notat in Clementinâ Epitome, τρίτος, λώπος, ἕκτος. Et cautè ſatis Primaſius Sæculi ſexti ſcriptor, in Præfatione ad Commentarios meminit *Clementis diſcipuli Apoſtolorum, & poſt eos Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ ordinati.* Nam hæc incertitudo ordinis in Succeſſione quarto Sæculo introducta, & quinto ſextoque continuata, magnam confuſionem peperit tum in Græcis Codicibus ex eo tempore deſcriptis, tum in eorum Verſionibus poſtea factis. Cujus exemplum memorabile extat in Epiſtolâ Pſeudo-Ignatii ad Mariam Caſtabalenſem, Ἐπίχαιρέ μοι λέγει, ὅτι ἀληθώς μοι λόγος, ὅτι ἦλθεν ἐπὶ σέ, ὅτι ὕστερος οὗ ὁ τῆς Ῥώμης ἐπὶ τῷ μαρτυρίῳ Πάπᾳ Ἀνεγκλήτῳ, ὃν ἀνέλαβε τὸ τῶν ὁ ἀξιομακάριστος Κλήμης ὁ Πέτρου καὶ Παύλου ἀκόλουθος. Nam pro hoc Ἀνεγκλήτῳ non tantum in Auguſtano Codice legitur Ἀναγκλήτῳ, in Leiceſtrenſi Ἀνακλήτῳ, ſed etiam in Medicéo Ἀνῷ vel Λύῳ legitur. Vulgatus Interpres habet *Anacletum*, vel *Anencletum*, Vetus *Cletum*. Ita in uno loco triplex Clementis deceſſor habetur, Linus, Cletus, Anacletus, ex variâ ſcilicet ſententiâ librariorum aut interpretum. Quamvis igitur de Cleto ab Anacleto Pontifice diſtincto valdè ſoliciti ſint Baronius & Blondellus, & nuperrimè Heinſchenius, his tamen diutiùs immorari minimè neceſſe eſt; cùm jam Viri doctiſſimi Halloixius,

Carolus à S. Paulo, H. Valeſius, Cotelerius & Natalis Alexander per iſta duo nomina unicum tantùm Pontificem intelligi debere doceant.

VI. Neque audiendus eſt hîc Onuphrius, qui nullo pacto audiendos eſſe vult autores tam Græcos quàm Latinos, qui Cletum cum Anacleto confundunt, quia Cletum ab Anacleto diverſum nomine, Patre, patriâ, rebus geſtis, mortis tempore & die referunt Damaſus & traditio. Nam quæ traduntur de Patre, patriâ & rebus geſtis, non ſunt à Damaſo, ſed ab Autore ſecundi Catalogi, ſub Sæculo ſexto confecti, nullâ hiſtoriæ fide aut probabilitate ſubnixa; & diverſitas dierum obitûs à Martyrologis pro arbitrio excogitata eſt, nè Paparum ullum omitterent; illique cùm duos dies quaſi duobus Martyribus aſſignaſſent Aprilis XXVI. & Julii XII. vel XIII. utroque die alii Cletum, alii Anacletum celebrant: adeò apud eos omnia incerta & confuſa. Quis enim putet patrem & patriam, & dies obitûs eorum Pontificum cuipiam poſt quadringentos & amplius annos innotuiſſe, de quibus nihil Veterum quiſquam ſcripſiſſe cognoſcitur? *Magnum autem*, inquit Heinſchenius, *nobis videtur pondus adferri ex antiquis Miſſalibus & Breviariis Romanis*; ſed ea mihi nullius ponderis ſunt; quippe eorum Lectiones plerumque ex Libro Pontificali excerptæ ſunt, adeoque autoritatem omnem, ſiquam habent, ab illo mutuantur.

VII. Hoc tantùm addo, quòd origo hujus erroris Cletum & Anacletum, tanquam duos Pontifices in Catalogo nominandi, hæc mihi fuiſſe videatur. Cyprianus Irenæum ſecutus dixerat Hyginum, *qui in Urbe nonus fuit*, intelligens Petrum fuiſſe Epiſcopum primum; illi Latini, qui Irenæana neſciebant, & Linum primum Romæ Epiſcopum numerare ſolebant, coacti ſunt ſeptem diſtinctos Pontifices inter Linum & Hyginum ponere. Quos cùm invenire non potuerunt, & Anencletum nomen inuſitatum jam antè in Cletum converterant, Cleto Anacletum addiderunt, ſicque ſe numerum, quem Cyprianus exhibuerat, optimè

optimè implêſſe putaverunt. Petrum enim tantum Cathedram poſuiſſe & in eâ ſediſſe, Linum autem tanquam Epiſcopum primum in eâ ſediſſe docuerunt. Incertus Autor ſub nomine Tertulliani, lib. 3.

Hac Cathedrâ Petrus quâ ſederat ipſe, locatum
Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit:
Poſt quem Cletus & ipſe gregem ſuſcepit ovilis.

Ex hoc autem ordine Cleto Anacletum adjungit, Alexandrum ſextum, Hyginum denique nonum appellat, cùm antea Linum *primum* appellaſſet. Ubi obiter notanda eſt magna Baronii hallucinatio, qui cùm hanc Tertulliani ſimiam pro vero Septimio haberi voluit, ad hunc ejus locum ſtatim ſubdit: *Hæc ille numerans Romanos Pontifices ad Anicetum tantùm, quando opus illud ipſe Tertullianus ſcribebat, quo tempore Marcion Romam ad Anicetum venit.*

CAP.

CAP. II.

I. *Intruſo Cleto, malè collocatur initium Lini.* II. *Linus, ſuperſtitibus etiamnum Apoſtolis, in ſede collocatus, & ante illos etiam mortuus.* III. *Idem aliunde confirmatur.*

I. JAm verò tempora trium horum Pontificum vulgo ultra limites ſuos deorſum extenduntur, non tantùm, quia unius Pontificis anni, qui nunquam fuit, à quibuſdam Latinis adduntur; ſed etiam quia Lini initium cum Euſebio ponunt, ubi finis Pontificatûs ejus poni debuerat: quod temporis ſpatium primò malè poſitum, & mox ſuppoſititio Pontifici additum, immane Chronicon ἀμάρτημα de quo diximus peperit. Lini Pontificatum à morte S. Petri incepiſſe volunt tum Euſebius & Syncellus, tum Theodoretus ad 2 Tim. c. 4. tum ex Latinis plerique recentiores, eique annos XI. aut XII. tribuunt, quem, vivo adhuc Petro, Romæ ſediſſe, nec poſt ejus mortem in vivis fuiſſe potius credendum eſt; aut eodem anno cum eo paſſum eſſe, ut vult Onuphrius, aut etiam priori, quod veriſimilius eſt.

II. Nam primò ordinationem Lini ita diſertè tradit Irenæus, Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι Ἀπόστολοι τὸν τῆς ἐκκλησίας Λῖνον τοῦτον τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν. Vetus Interpres, *Fundantes igitur & inſtruentes Beati Apoſtoli Eccleſiam Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt.* Non meminit Irenæus mortis Apoſtolorum, aut ut jam præteritæ, aut ut mox ſecuturæ, cùm Linus ordinaretur: ſed cùm SS. Petrus & Paulus fundarent Eccleſiam, Linum ei præfecerunt; dum ipſi ſcilicet in alias regiones tranſcurrerent. Ut S. Epiphanius Hæreſi XX.

Πλὴν

Πλὴν ἀλλὰ ἐ ὕπως ἐδύνατο ἔτι τοιοῦτον, φημὶ δὴ τῆς περὶ Πέτρου ἐ Παύλου, ἐπισκόπους ἄλλους καθίστασθαι, ἀφ' ὅτου τοὺς Ἀποστόλους πολλάκις ἐπὶ τὰς ἄλλας πατρίδας τῶν πρώτων γίνεσθαι ἀφ' τὸ κήρυγμα τοῦ Χριστοῦ, μὴ δυνάσθαι δὲ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἄνευ ἐπισκόπου εἶναι. *Veruntamen etiam ſic potuerunt alii Epiſcopi conſtitui, adhuc ſuperſtitibus Petro & Paulo; eò quòd Apoſtoli ſæpè in alias provincias profecti ſint, ut Evangelium prædicarent, Roma autem non potuerit ſine Epiſcopo eſſe.* Eodem modo Irenæum hîc interpretor, quo ipſe alibi loquitur, lib. 3. cap. 1. Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ ἀφελείᾳ αὐτῶν, καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου ἔ Πέτρου ἐ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Μετὰ δὲ τούτων ἔξοδον Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. Vetus Interpres, *Ita Matthæus in Hebræis ipſorum linguâ ſcripturam edidit Evangelii, cùm Petrus & Paulus Romæ evangelizarent & fundarent Eccleſiam. Poſt verò horum diſceſſum* vel (ut in MS. Voſſii legitur) *exceſſum, Marcus diſcipulus & interpres Petri, & ipſe quæ à Petro annunciata erant, perſcripta nobis tradidit.* Unde vel oſcitantia vel fraus Petavii manifeſta eſt, qui lib. 5. c. 5. Rationarii Temporum *Petro à Nerone*, inquit, *interfecto Romanam Eccleſiam Linus regendam ſuſcepit, ut antiqui ſcriptores aſſerunt; quibus ſuffragatur Vetus Indiculus Romanorum Pontificum Liberii tempore contextus, quem penes nos habemus:* Nam inter antiquos eos ſcriptores numerat Irenæum, qui tamen non *Petro à Nerone interfecto Romanam Eccleſiam regendam ſuſcepiſſe Linum*, ſed Petrum & Paulum Lino Epiſcopatum tradidiſſe ſcribit; & in hâc re non Euſebio, ſed Irenæo conſentire veterem Indiculum certum eſt, qui Linum mortuum eſſe tradit Capitone & Rufo Coſſ. hoc eſt, An. Dom. LXVII. cùm Petrus & Paulus paſſi non ſint ante

An.

An. Dom. LXVIII. Coſſ. Italico & Turpiliano. Et reverâ qui, præter Græcos, Linum mortuo Petro ſucceſſiſſe volunt, Petrum ipſum paſſum eſſe ſimul tradunt ſecundo Neronis anno aut circiter, quod ad calculum Chronologicum perinde eſt; nec inde controverſia rectè inſtitui poteſt de Pontificatu Lini, ſed de Paſſione Petri.

III. Secundò, Catalogus Bucherianus notat tempus, quo mortuus eſt Linus; *Fuit*, inquit, *temporibus Neronis, à Conſulatu Saturnini & Scipionis uſque Capitone & Rufo:* Capito autem & Rufus Coſſ. fuêre An. Dom. LXVII. quo paſſus eſſe S. Petrus putatur. Contra hæc diſputat Baronius, non ut ex antiquiſſimo Catalogo referuntur, ſed ut extant in Pontificali, cujus Autor ordinem Catalogi pervertit; unde argumentum ejus non contra rem ipſam, ſed tantùm contra perverſionem ordinis in Catalogo valet, & Librum Pontificalem ferit, ſententiam Euſebii minimè confirmat; quod eſt inprimis obſervandum. Tertiò Eutychius, qui tradit S. Petrum à ſecundo Caii per XIX. annos ſediſſe, Linum autem poſt eum XII. ſi pro inchoatis non exactis accipiantur, in idem ferè tempus finem Pontificatûs Lini conjicit: imò Eutychius primo Catalogo rectè congruit, dum primò ait, وكان لبطرس بعد سيدنا المسيح حين قتل اثنين وعشرين سنة *Occiſus eſt Petrus ſub annum* XXII. *poſt Dominum noſtrum Chriſtum.* Quippe XXII. annus Eutychii idem planè eſt cum XXV. Catalogi. Tertio enim ille poſt Conſulatum Geminorum anno obiiſſe Chriſtum antè docuerat, quem paſſum eſſe putavit Autor Catalogi Geminis Coſſ. Secundo idem Eutychius, وصير بعد بطرس لينوس بطريرك علي رومية اقام اثني عشر سنة ومات

Erat

Erat verò poſt Petrum Linus Patriarcha Romæ, quâ functus dignitate duodecim annos obiit. Jam ſi annos XII. addas annis XXII. Eutychii, ſive annis XXV. Catalogi, pervenies ad ultimum Neronis annum ineuntem, hoc eſt, ab An. Dom. LV. quo paſſum eſſe S. Petrum uterque credebat, ad An. Dom. LXVII. Capitone & Rufo Coſſ. Quem calculum rectè pridem Onuphrius, & nuper Vendelinus, Blondellus & Heinſchenius ſecuti ſunt. Neque eum diu poſtea ſuperſtitem fuiſſe docet Sixtus Senenſis, qui de Lino loquens, *Moritur*, inquit, *Romæ ſub Galba Imperatore anno Chriſti ſeptuageſimo poſt expletos Pontificatûs ſui annos undecim, menſes tres, dies duodecim.* Qui cum eſſet Onuphrii coætaneus, ſine dubio eodem anno cum Apoſtolis ſub Nerone obiiſſe Linum dixiſſet, niſi pravâ opinione imbutus fuiſſet, quòd nempe Linus libros duos de agone SS. Petri & Pauli ſcripſerit. Et Chronicon Metenſe non malè, *Niſi tempora Pontificatûs Lini atque Cleti ſub ſpatio Præſulatûs B. Petri comprehenderis, non ſibi conſonè reſpondebunt anni Pontificum Romanorum annis Imperatorum.* Hæc obſervatio de Lino peropportuna eſt, ſed quod ad Cletum ſpectat, difficultas non aliter rectè ſolvitur, quàm ipſum è numero Pontificum eliminando, aut in ejus locum Anencletum, à quo malè diſtinguitur, ſubſtituendo.

CAP. III.

I. *Unde ortum habuerit opinio de pluribus Romæ uno tempore ſedentibus Epiſcopis.* II. *Ita ſenſere Ruſinus & Beda.* III. *Plures ſimul Epiſcopos non agnoverunt vetuſtiores, Irenæus, Cyprianus, Cornelius, Novatianus, Pacianus.* IV. *Nemo ante Ruſinum, cui occaſionem errandi dedit ſuppoſititia Clementis Epiſtola à ſe Latinè verſa.*

I. HIC autem obſervatio quædam ad hæc rectè intelligenda, & ab aliorum aſſertionibus vindicanda prorſus neceſſaria eſt. Cùm enim tres priores Pontifices à morte Apoſtolorum ſucceſſivè in Hieronymiano Chronico deſcriberentur, in Catalogo autem Romano unus illis tribus additus appareret, & ad breviora tempora quatuor reducerentur in Catalogo, quàm in Chronico, (ultimus enim eorum quatuor mortuus eſt An. Dom. XCV. juxta Catalogum, cùm trium ultimus vixerit ad annum C. juxta Hieronymum) aliquos ex his quatuor ſimul Eccleſiæ præſediſſe nonnulli arbitrabantur; & ſuas ſententias Geſtis Pontificum inſeruêre, ut ex MSS. Codd. Libri Pontificalis apparet: in quibus omnibus Cl. Voſſius hæc reperiri de Petro teſtatur: *Hic ordinavit duos Epiſcopos Linum & Cletum, qui præſentialiter omne miniſterium Sacerdotale in Urbe Româ populo ſupervenienti exhiberent; B. autem Petrus ad Orationem & Prædicationem populum erudiens vacabat.* Priora verba aliter ex MSS. refert Blondellus: *Hic ordinavit tres Epiſcopos Linum, Cletum & Clementem, ex quibus Linus & Cletus præſentialiter, &c.* pag. 28. Imò Liber ipſe Pontificalis, *Clemens ex præcepto B. Petri ſuſcepit Eccleſiæ Pontificatum gubernandum, ſicut.*

ſicut ei fuerat à Domino Jeſu Chriſto Cathedra tradita vel commiſſa: tamen in Epiſtolâ, quæ ad Jacobum ſcripta eſt, qualiter ei commiſſa eſt à B. Petro Eccleſia, reperias: ideo Linus & Cletus ante eum conſcribuntur, quia ab ipſo Principe Apoſtolorum ad miniſterium Sacerdotale exhibendum ſunt Epiſcopi ordinati. Hæc quidem in Libro Pontificali extant, ſed in ſecundo Catalogo non apparent, ut conſtet non niſi ſerò addita fuiſſe.

II. Ille autem qui iſta inſeruit, occaſionem nactus eſt à Ruffino in Præfatione ad Recognitiones Petri, ubi ait, *Quidam regerunt, quomodo cùm Linus & Cletus in Urbe Româ ante Clementem fuerint Epiſcopi, ipſe Clemens ad Jacobum ſcribens ſibi dicat à Petro docendi Cathedram traditam? cujus rei hanc accepimus rationem, quòd Linus & Cletus fuerint quidem ante Clementem Epiſcopi in Urbe Româ, ſed ſuperſtite Petro, ut illi Epiſcopatûs curam gererent, ipſe verò Apoſtolatûs impleret officium.* Ex his Catalogo additis Venerabilis Beda in Vitâ Abbatum Weremuthenſium, duorum Abbatum in eodem Monaſterio præſidentiam hoc argumento approbat: *Nam & Beatiſſimum Petrum Apoſtolum Romæ Pontifices ſub ſe duos per ordinem ad regendam Eccleſiam conſtituiſſe, causâ inſtante neceſſariâ, tradunt Hiſtoriæ.* Et idem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 40. *Succeſſit autem Auguſtino in Epiſcopatum Laurentius, quem ipſe idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne ſe defuncto ſtatus Eccleſiæ tam rudis vel ad horam paſtore deſtitutus vacillare inciperet. In quo & exemplum ſequebatur primi paſtoris Eccleſiæ, hoc eſt, beatiſſimi Apoſtolorum principis Petri, qui fundatâ Romæ Eccleſiâ Chriſti, Clementem ſibi adjutorem evangelizandi, ſimul & ſucceſſorem conſecrâſſe perhibetur.*

III. Et hæc quidem à poſterioribus Latinis excogitata ſunt; neque tale quicquam Irenæo notum fuit, ut ex ejus Catalogo patet. Imò nec Cyprianus, nec Cornelius, nec Novatianus, duos ſimul Romæ Epiſcopos ante ſua tempora unquam ſediſſe putârunt. Certè Cyprianus ſemper Uni-

tatem à Petro petit, *Unitatem* autem intelligit *Sacerdotalem*, hoc est, Episcopalem, unius scilicet Episcopi in unâ Ecclesiâ præsidentiam. Cornelius Epistolâ ad Fabianum, de Novatiano, Ὁ ἐκκλησίᾳ ὢν τῇ εὐαγγελίῳ οὐκ ἐπίστευσεν ἵνα ἐπίσκοπος λαῷ ὄντι ὁ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὃ ἦν οὐκ ἀγνοῦ, &c. Quod Maximus & reliqui Confessores ad Ecclesiam reduces nuper agnoverant his verbis: *Nec enim ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in Catholicâ Ecclesiâ esse debere.* Cyprianus de Unitate: *Monet ipse in Evangelio suo & docet dicens*, Et erit unus grex, & unus pastor; *Et esse posse in uno loco aliquis existimat aut multos pastores, aut multos greges?* Ep. 41. *Agnoscant atque intelligant, Episcopo semel facto & collegarum ac plebis testimonio ac judicio comprobato, alium constitui nullo modo posse.* Ep. 44. ad Confessores: *Cùm vos illic comperissem contra dispositionem Dei, contra Evangelicam legem, contra institutionis Catholicæ unitatem, alium Episcopum fieri consensisse, id est, quod nec fas est, nec licet fieri, Ecclesiam alteram constitui.* Ep. 52. ab exemplis Cornelii & Novatiani plenè hanc rem explicat: *Nisi si Episcopus tibi videtur, qui Episcopo in Ecclesiâ à sedecim Coepiscopis facto, adulter atque extraneus Episcopus fieri à desertoribus per ambitum nititur; & cùm sit à Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus; ille post Dei traditionem, post connexam & ubique conjunctam Catholicæ Ecclesiæ unitatem, humanam conetur Ecclesiam facere.* Inde Pacianus diligens Cypriani Lector unum hunc Episcopatum *Sacerdotium singulare* vocavit, & Novatiano tanquam principale crimen objecit, quòd *sedente jam Romæ Episcopo adversus fas Sacerdotii singularis alterius Episcopi sibi nomen assumserit.*

IV. Ita postea cùm Constantius tum Felicem, tum Liberium simul Romæ Episcopos sedere voluit, populus exclamavit, εἷς Θεὸς, εἷς Χριστὸς, εἷς Ἐπίσκοπος, Theodoret. lib. 2.

lib. 2. cap. 17. Ita Optatus contra Parmenianum lib. 1. *In Africa ſicut & in cæteris provinciis, una erat Eccleſia, antequam dividerentur ab ordinatoribus Majorini; cujus tu hæreditariam Cathedram ſedes: Videndum eſt, quis in radice cum toto orbe manſerit; quis foràs exierit; quis Cathedram ſederit alteram, quæ ante non fuerat; quis altare contra altare erexerit; quis ordinationem fecerit, ſalvo altero ordinato.* Novum igitur erat hoc commentum de duobus aut tribus Epiſcopis ſimul Romæ præſidentibus, nec Veterum cuiquam cognitum; antequam Ruffinus ex Epiſtolâ ſuppoſititiâ Clementis, quam uti genuinam verterat, & Romano Orbi intulerat, hoc effugium excogitavit, ut merces ſuas vendibiles faceret. Certè ſi Linus & Cletus duo Epiſcopi ab initio Romæ ſimul ſediſſent, Novatianus nunquam illud argumentum omiſiſſet: nam eâdem ratione probare potuerat duos ſimul Epiſcopos in eadem Urbe admitti poſſe, quâ Beda duos Abbates in eodem Monaſterio; ſi eo tempore idem tradidiſſent hiſtoriæ. Sed hæc neſcivit vera antiquitas. Certè Cl. Salmaſius in Apparatu, p. 51. *Ne hunc quidem Clementem liquet fuiſſe ſpecialem Romæ Epiſcopum, ut tota antiquitas credidit.* Quòd ſi tota antiquitas Clementem ſpecialem Romæ Epiſcopum fuiſſe credidit, idem etiam de Lino & Anacleto reliquiſque ſentiendum eſt: neque enim quiſquam inter antiquos aliter de Clemente quàm de reliquis opinatus eſt. Et nimis jam ſerum eſt in rebus Eccleſiæ antiquiſſimis à totâ Antiquitate diſcedere.

CAP.

CAP. IV.

I. *Prædictam de pluribus eandem ſedem poſſidentibus Epiſcopis ſententiam ut in uſus ſuos detorqueant Epiſcopalis Regiminis Adverſarii.* II. *Commenta Blondelli.* III. *Aliter de Succeſſione ſenſit Clemens ipſe Epiſcopus Romanus.* IV. *Hauſit è Libro Pontificali Paradoxa ſua Blondellus, quem nec ipſe tamen bonæ fidei teſtem agnovit; nec, ſi agnoſceret, cauſæ ſuæ favere deprehenderet.* V. *Commenta Salmaſii ex eodem Libro Pontificali.* VI. *Mirum eſt Librum Pontificalem tanti, hac in cauſâ, feciſſe utrumque, tam Blondellum quàm Salmaſium.*

I. QUamvis hæc de duobus vel tribus Epiſcopis ſimul Romæ ſedentibus tam infirma ſint, & nullo veterum teſtimonio ſuffulta; multa tamen hinc comminiſcuntur Viri doctiſſimi, D. Blondellus & Cl. Salmaſius, ad convellendam ordinis Epiſcopalis antiquitatem, quæ hoc loco opportunè ad examen revocanda eſſe duxi. Ac primò quidem Blondellus in Apologiæ Præfatione ſententiam ſuam novam atque ſingularem de Presbyteris συμπλήθουσι, qui reliquis ex ordine & jure præſidebant, tueri & illuſtrare conatur. Ab initio ferè Eccleſiæ antiquioribus in Chriſto regimen plebis commiſſum eſt. Ex illis ſenioribus, quibus regimen fuerat commiſſum, ille qui cæteris prior vocatus eſt, reliquis ſui ordinis præfuit quaſi Presbyterorum præpoſitus, aut capituli Decanus. Penes hunc ſeniorem Preſbyterum primæ in Presbyteriis Cathedræ ac poteſtatis jus orbe toto fuit. Hanc ille hypotheſin ex obſcuris quibuſdam

dam incerti ſcriptoris Ambroſiaſtri verbis, iiſque à mente Autoris alienâ expoſitione detortis expiſcatus eſt. Et tunc ille, Autori qui Eccleſiæ Tabulas ordinavit primus, *hoc unum propoſitum* fuiſſe putat, ut doceret tres primùm à Petro qui Romæ unà Epiſcopatu fungerentur, urbicique Cleri Collegium conſtituerent ordinatos fuiſſe; hâc tamen lege, ut Linum ſeniorem, ac exinde Clementem proximè adlectum, Presbyterii primatus contingeret.

II. Hæc de primi Catalogi uno propoſito mirè philoſophatus eſt, cùm Illius Autor Linum poſt obitum Petri ſediſſe tradiderit. Vult enim Petrum paſſum eſſe Nerone & Vetere Coſſ. Anno æræ vulgaris LV. Linum ſediſſe à Conſulatu Saturnini & Scipionis Anno LVI. Hoc tamen uno propoſito à mente Autoris Libri illius Pontificalis prorſus alieno animatus Blondellus tandem hanc nobis fabulam proponit. Primo Linus πρωτοχαθέδριος, eoque inter collegas ſenior ſedit. Proximè ex iis, qui à S. Petro ordinati ſunt, adlectus Clemens. Clementi Cherſonam deportato ſucceſſit Cletus à Petro tertio loco ordinatus. Cleto mortuo Anacletus antiquitate proximus ſucceſſit, pòſt Cletum à Petro ordinatus. Anacleto mortuo, Clemente Cherſonæ adhuc hærere juſſo, Euariſtus ætate proximus ad collegarum πρεσβυτέριον ſuo loco & ordine evectus eſt. Euariſti Martyrio coronati locum Alexander, Sixtus, Teleſphorus, Hyginus ordine tenuerunt. Hæc Blondellus ex Tabulis Eccleſiæ Romanæ hauſiſſe ſe profitetur, quarum nulla ullam talis prærogativæ prioris ordinationis mentionem facit, aut ullo modo innuit. Cùm nemo Veterum Linum inter collegas ſeniorem tradiderit, nemo Clementem aut Cletum aut Anacletum, nemo denique Euariſtum ſuo ordine evectum fuiſſe dixerit. Putidam illam fabulam de Clemente Cherſonæ Martyrium paſſo non tantùm amplectitur, ſed & amplificat. Vult enim eum An. LXXVI. Cherſonam deportatum eſſe, & An. XCV. Cherſonæ adhuc hærere juſſum, ac denique An. Dom. C. Cherſonæ paſſum, atque

atque ita per XXIV. annos in exilio fuiſſe, quod nemo unquam aut dixit aut cogitavit. Poſt Clementem reliquos ſuo ordine promotos eſſe ſine ullo teſte, ſine ulla veriſimilitudine tradit.

III. Hanc quidem ille, ſed aliam nobis rationem Succeſſionis tradit Clemens Romanus, qui ignorare non potuit quomodo ipſe ad Epiſcopatum promotus eſt, aut quâ ratione alii poſt eum jure ſucceſſuri erant. Sic enim ille p. 57. Καὶ οἱ Ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν προγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν (MS. ἐδώκασιν) ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. Τοὺς οὖν καταστᾶντας ὑπ' ἐκείνων, ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης, &c. *Et Apoſtoli noſtri per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum cognoverunt, contentionem de nomine Epiſcopatûs oboriturâm; ob hanc igitur cauſam cùm perfectâ præſcientiâ præditi eſſent, conſtituerunt prædictos, & deinceps præceperunt, ut cùm illi obdormiverint, in eorum munus ſuccederent alii probati viri. Conſtitutos itaque ab illis, vel deinceps ab aliis viris celebribus, cum conſenſu totius Eccleſiæ,* &c. Ex his Clementis Romani verbis, non diu poſt obitum Petri & Pauli, & diu ante mortem Joannis Apoſtoli ſcriptis, liquidò conſtat ipſos Apoſtolos præſcientiâ futuri Eccleſiarum ſtatûs, & controverſiæ de nomine Epiſcopatûs orituræ præditos, non tantùm Epiſcopos conſtituiſſe pro vitæ cujuſque ſpatio Eccleſiæ præfuturos, ſed inſuper in mandatis dediſſe, ut quoties ex iis aliquis è vitâ migraret, alius ei ſuccederet à viris præſtantiſſimis electus, & à tota Eccleſiâ cui præfuturus erat comprobatus. Nihil hîc de Succeſſoris ordinatione, nihil de ordine & ſuccedendi jure; de probatione perſonæ idoneæ & conſenſu Eccleſiæ tantùm agitur.

IV. Ana-

IV. Anacletum poſt Linum, Clementem, & Cletum à Petro ordinatum eſſe credit, *ex aperto Libri Pontificalis teſtimonio.* Cùm nec illius Libri teſtimonium ad fidem in re adeò antiquâ ſatis valeat, nec ſit per ſe ſatis apertum. Quòd non ſatis valeat illius Libri teſtimonium, habeo mihi ipſum Blondellum conſentientem. Cujus hæc verba ſunt Apologiæ pag. 221. *Extant ſanè de Euariſto hæc in libello Pontificali verba,* Hic titulos in Urbe Româ diviſit Presbyteris. *Nemo autem neſcit longè poſt Damaſi, cui vulgo adſcribitur, tempora, anno circiter* DC. *ab Euariſti paſſione ferè* D. *farraginem illam ἀναχρονισμῶν, ſerò natum de re antiquiſſimâ teſtem, congeſtam fuiſſe.* Neque verò illius ſerò nati teſtis ſatis apertum eſt teſtimonium. Certè locus ille tum in Catalogo ſecundo, tum in Pontificali adeò obſcurus eſt, ut nullum videatur ſenſum fundere. Scriptor uterque id voluit docere, Anacletum memoriam Petri conſtruxiſſe; cætera vix intelligas. Primus ita de Anacleto: *Hic memoriam B. Petri conſtruxit & compoſuit, dum Presbyter factus fuiſſet B. Petro, ubi Epiſcopi reconderentur.* Rectè Editores docuerunt, legendum eſſe *factus certior.* Quod ad præſens negotium ſpectat, unicum illud de quo nunc ago, ſatis omnes ejus rationes convellit. *Græcos omnes,* inquit, *ut & ex Latinis veteribus multos Cleti & Anacleti nominum affinitas & Epiſcopatuum continuatio eò compulêre, ut ex duobus unum Urbis Papam conflarent.* Siccine verò? An nominum affinitas S. Irenæum & Euſebium compulit, ut ex duobus unum Papam conflarent? Quis ætate Irenæi, aut etiam Euſebii audivit nomen Cleti tanquam Epiſcopi Romani? Nemo ſanè. Ex Græcis nemo ante Epiphanium Cletum nominavit, nec poſt eum Græcorum quiſpiam. Et fortaſſe apud ipſum Epiphanium Κλήτου corruptè legitur, ubi Catalogum ſic recitat, Πέτρος καὶ Παῦλος, Λίνος καὶ Κλήτος, Κλήμης, Εὐάρεστος. Expungendum enim eſſe καὶ Cotelerius cenſet; ſed fortaſſe

pro ΚΛΗΤΟΣ legendum eſt ΑΝΕΓΚΛΗΤΟΣ, ut apud Irenæum & Euſebium, quos Epiphanius ſequi ſolet, ſcribitur. An continuatio Epiſcopatuum compulit quenquam aut Græcum aut Latinum, ut Cletum & Anacletum pro uno Pontifice haberet, cùm qui ita ſenſerunt, Euſebium & Hieronymum ejus interpretem ſequuti ſint? Imò Cleti & Anacleti nominum diverſitas ſenſim introducta compulit Latinorum aliquos ut ex uno duos Epiſcopos facerent; contra vetuſtiſſimam Succeſſionis tabulam, quam, ut puto, Hegeſippus, certè Irenæus habuit. Nec igitur vera ſunt, quæ de his quatuor Pontificibus tradidit Blondellus; neque ſi vera eſſent, novitiam illam de præſidentiâ & cathedrâ Presbyterorum conjecturam ſtabilire poſſent.

V. Ex his primis Romæ Pontificibus Cl. Salmaſius commentum ſuum de duobus generibus Epiſcoporum, ſive Presbyterorum tuetur. *Duûm generum*, inquit ille de Trapezitico Fœnore pag. 407. *ſub Apoſtolis Presbyteri, iidemque Epiſcopi, fuêre.* Hæc duo genera ita diſtinguit, ut aliqui eſſent Epiſcopi ſive Presbyteri, quorum munus erat orationi & prædicationi vacare; alii, qui Sacramenta adminiſtrabant, & exhibebant plebi. Hanc diſtinctionem, omnibus inauditam, autoritate Damaſi, cujus inter Epiſcopos Romanos magnum, nec immeritò, nomen fuit, tueri conatur. Sic enim ait, *Damaſus in Vitâ Clementis tradit Petrum, cùm eum Epiſcopum conſecrâſſet, eique Cathedram & Eccleſiam diſponendam committeret, dixiſſe*, Sicut mihi gubernanti tradita eſt à D. Jeſu Chriſto poteſtas ligandi ſolvendique, ita & ego tibi committo, ut ordines diſpoſitores diverſarum cauſarum, per quos actus Eccleſiaſticus profligetur, & tu minimè in curis Sæculi deditus reperiaris; ſed ſolummodo ad orationem & prædicationem populi vacare ſtude. Sed quis neſcit Damaſum nihil horum ſcripſiſſe, quæ tanto viro prorſus indigna jam ab omnibus judicantur? *Hæc omnia deſunt*, inquit Salmaſius, *in Editione à Sociis Moguntinis procuratâ, ſed leguntur in omnibus ſcriptis Codicibus.* Foreaſſe;

Fortaſſe; in Codicibus Anaſtaſii, non Damaſi. Et nunc quidem in editione Anaſtaſii à Fabroto adornatâ inter varias Lectiones ex MSS. depromptas eadem verba de Clemente extant. Reliqua de Lino & Cleto in Libro Pontificali ſemper extabant: ut hæc annotatio nihili ſit, quamvis à Salmaſio ſæpe inculcata, ut in Apparatu ad libros de Primatu. Sed & verba ipſa, cujuſcunque ſunt, neque ſenſum, quem illis tribuit Salmaſius, neque ullum ſanum fundunt. An enim poteſtas ligandi & ſolvendi ullam ſimilitudinem habet cum poteſtate ordinandi diſpoſitores diverſarum cauſarum? An unquam memorati ſunt diſpoſitores per quos actus Eccleſiaſticus profligetur? An qui adminiſtrabant Sacramenta & exhibebant plebi, in curis Sæculi reperti ſunt? Adeò hæc à Salmaſii Damaſo tradita ab omni ratione remota ſunt, ut plura dicere pudeat.

VI. Quæ poſt argumentum tam infirmum, tam nullum, ex duobus S. Pauli locis, quaſi lucem aliquam ab his tenebris accipientibus, affert, ad hoc inſtitutum non pertinent, niſi quia ſi vera eſſent, aliquam occaſionem ſive prætextum inde quiſpiam formare poſſet profitendi ſimilem expoſitionem Damaſi. Nihil enim hîc ago, niſi ut oſtendam, quàm immeritò Clementem & Linum & Cletum ſimul Romæ ſediſſe dicunt Blondellus & Salmaſius, & quàm prodigioſas inde concluſiones futiliter eruant. Et ſanè mirum mihi ſemper videbatur, quòd Blondellus & Salmaſius, ſtatim poſtquam contra Epiſcopos ſcribere decreverant, in admirationem Damaſi prorumperent, & Solis radios in Libro Pontificali repente perſpicerent, & fundamentum Sententiæ ſuæ in illo muſtaceo collocarent.

CAP. V.

I. *Ad Annos trium primorum Epiſcoporum acceditur.* II. *Sedem tenuit Linus ab An. Dom.* LV. *ad* LXVII. III. *Corrupta ſunt è Platinâ, hoc in loco, Romana Breviaria recentiùs edita.* IV. *Linum ante Apoſtolos deceſſiſſe credidit Autor Conſtitutionum Apoſtolicarum.* V. *Anencletus ab An.* LXVII. *ad* LXIX. VI. *Non longè inde diſcedit Henſchenius.* VII. *Clemens ab An.* LXIX. *ad* LXXXIII. *quo anno Euariſti ingreſſum ponit Eutychius, cujus inde veſtigia premit Autor. Tertius Trajani Annus fatalis Veterum erroribus.* ⁂ Additio.

I. HIs prælibatis, & tum Presbyterorum πρωτοκαθεδριτῶν Cathedrâ dejectâ, tum duplici Presbyterorum genere exploſo, tum recto Succeſſionis ordine & Succeſſorum numero ſtabilito, anni primorum trium Epiſcoporum, Lini, Anencleti, & Clementis, ex ſententiâ Græcorum Euſebio vetuſtiorum, & Latinorum etiam ſic rectè mihi digerendi videntur.

II. Cùm Petrus & Paulus fundarent Eccleſiam, hoc eſt, Apoſtolis illis adhuc ſuperſtitibus, Linus Romæ Epiſcopus conſtitutus eſt, ut docet Irenæus: ſedit autem uſque ad annum Domini LXVII. jam vergentem, Imperii Neroniani XIV. incuntem, Coſſ. Capitone & Rufo, ut tradit Catalogus Bucherianus; cui conſonant Catalogus ſecundus, Liber Pontificalis, Anaſtaſius & Breviaria vetera, in quibus hæc verba de Lino conſervata erant. *Fuit temporibus Neronis, à Conſulatu Saturnini & Scipionis uſque Capitone & Rufo.* Unde Florus Lugdunenſis aſſeruit, *S. Linum tempore Neronis Martyrio coronatum.* Obſervanda etiam hic ſunt

ſunt quæ Nicephori Chronicon habet ad hanc rem ſpectantia, Πέτρος ὁ ἀπόστολος, ἔτη β'. Λῖνος, ἔτη ιβ'. *Petrus Apoſtolus, annos* 2. *Linus, annos* 12. Cùm enim biennium S. Petro, Lino annos 12. tribuit, manifeſtè reſpexit Imperii Neronis annos 14. & traditionem illam, quæ ſtatuebat Petrum primò Romam veniſſe circa initium Imperii Neronis, ibique ſediſſe uſque ad ſecundum Neronis annum, Coſſ. Nerone & Vetere. Obſervandum porrò Chronologiam Eutychii primo Catalogo exactè congruere, dum primò ait, *Occiſus eſt Petrus ſub annum* XXII. *poſt Dominum noſtrum Chriſtum.* Quippe XXII. annus Eutychii idem planè eſt cum XXV. Catalogi. Tertio enim ille poſt Conſulatum Geminorum anno obiiſſe Chriſtum antè docuerat, quem paſſum eſſe putavit Auctor Catalogi Geminis Coſſ. Secundò idem Eutychius, *Erat verò poſt Petrum Linus Patriarcha Romæ, qui functus dignitate duodecim annos obiit.* Jam ſi annos XII. addas annis XXII. Eutychii, ſive annis XXV. Catalogi, pervenies ad ultimum Neronis annum ineuntem, hoc eſt, ab An. Dom. LV. quo paſſum eſſe S. Petrum uterque credebat, ad An. Dom. LXVII. Capitone & Rufo Coſſ. Quare non immeritò ſtatui poteſt, Linum An. Dom. LXVII. exeunte deceſſiſſe, anno Neronis XIV. ineunte, quo tempore Conſules ordinarii erant L. Fonteius Capito & C. Julius Ruſus.

III. Cùm verò verba illa, quæ modò recitata ſunt, in Breviariis Romanæ Eccleſiæ antiquis, tam excuſis quàm manuſcriptis legerentur, autoritate Sixti V. & Gregorii XIII. extrita ſunt, fabulis quibuſdam ex Platina, & quidem nominato, eorum loco, repoſitis: cujus nomen proximâ correctione authenticâ pariter extritum eſt, & quidem prudenter. Nam reverâ in his Platina toto cœlo erravit, dum ait, *Linus Natione Tuſcus patre Herculaneo, ab ultimo Neronis anno uſque ad Veſpaſiani tempora pervenit, à Conſulatu Saturnini & Scipionis uſque ad Capitonem & Rufum Coſſ.* Duo enim hi Conſulatus ſub uno Imperio Neronis geſti ſunt. Quomodo igitur idem Pontifex ab ultimo Neronis

Neronis anno, & à Conſulatu Saturnini & Scipionis, qui partim ſecundo partim tertio Neronis anno Conſules fuerant, ſedere, quomodo idem ad Veſpaſiani tempora, & ad Capitonem & Rufum, qui ejuſdem Neronis partim decimo tertio, partim decimo quarto anno Conſules erant, pervenire potuit? Hæc ſunt ab omni ratione prorſus aliena.

IV. Nimis acerbè Labbéus ad A. C. LXVII. ubi de SS. Petri & Pauli Martyrio agit, *Succeſſit S. Linus, ut quidem doctiores quique Chronologi ſentiunt, hoc certè tempore. Nam Novatores non morer, qui ut in cæteris, ſic in ſucceſſione Romanorum Pontificum omnia perturbant.* Novatores enim non ſunt nec minus docti, qui veteres tabulas conſulunt, & ſucceſſionem Epiſcoporum cæteraque ad vetuſtiſſimorum Patrum ſcripta & ad antiquiſſimæ hiſtoriæ monumenta diſponere, ſimulque errores receptos detegere, & legitimis argumentis refutare conentur. Certè ante Apoſtolos Petrum & Paulum complures, ante Neronem mortuum fuiſſe Linum omnes pene crediderunt. Conſtit. Apoſtol. lib. 7. c. 46. Τῆς δὲ Ῥωμαίων ἐκκλησίας Λῖνος μὲν ὁ Κλαυδίας υἱὸς τοῦ Παύλου, Κλήμης δὲ μετὰ τὴν Λίνου τελευτὴν ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου — καθίσταται. *Romanorum Eccleſiæ primus quidem Linus Claudiæ filius à Paulo, ſecundus autem à me Petro poſt mortem Lini ordinatus fuit Clemens.* Qui dixerunt poſt mortem Lini à Petro Clementem ordinatum eſſe, putabant Linum ante Apoſtolorum exceſſum obiiſſe.

V. Lino ſucceſſit Anencletus, ut oſtendimus, ſeditque annos duos. Ita certè Eutychius de Veſpaſiani Imperio agens, *Porro anno Imperii ejus tertio Patriarcha Romæ conſtitutus eſt Dacletius* (ita Anencletum ſive Anacletum nominat) *& cùm biennio ſedisſet mortuus eſt.* De biennio rectè eum ſcripſiſſe non dubito; duos enim teſtes habeo, qui ei in annorum numero diſertè conſentiunt. Quippe idem tradit vetus auctor Indiculi Nicephoro Patriarchæ attributi, quem ita repræſentat prima Editio Scaligeri, & ſecunda Editio Pariſienſis, Ἀνέγκλητος ἔτη β'. *Anencletus, annos*

annos duos; & utrique editioni conſentiunt MSS. Codices duo, Oxonienſis & Londinenſis. Huic adjungendum eſt Georgii Syncelli teſtimonium, cujus hæc verba ſunt, Τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος γέγονε μετὰ Πέτρου τὸ καρυφαῖον Ἀνέγκλητος ἔτη δύο. Hoc eſt, interprete Goaro, *Romanæ Eccleſiæ poſt Petrum coryphæum fuit Epiſcopus Anacletus annis duobus.* Hæc cùm ſint ab Euſebianis tantopere diverſa atque diſſonantia, unde ea habuerit Syncellus neſcio, niſi fortè ex Africano, cujus brevis Hiſtoria à Chriſto ad ſua tempora penitus deperdita eſt. Cujus nuſpiam meminit Euſebius niſi ſub Imperio Macrini, his verbis in Chronico, *Abgarus vir ſanctus regnavit Edeſſæ, ut vult Africanus.* Unde juſta ſuſpicio eſt fuiſſe eam brevem Africani Hiſtoriam ab Euſebianâ valde diverſam. Sive autem Africanum, ſive Anonymum, qui paulo poſt Africanum ſcripſit, ſive alium aliquem, quem viderunt Autor Indiculi & Eutychius, ſequebatur Georgius, cum habemus pro ſententiâ noſtrâ teſtem locupletem. Quare cùm Linus obierit, ut dictum eſt, An. Dom. LXVII. Capitone & Rufo Coſſ. quod fatetur Henſchenius, ſequitur Anencletum mortuum eſſe An. Dom. LXIX. exeunte, Veſpaſiani primo, Coſſ. Galba & Rufino.

VI. Mira hæc fortaſſe videbuntur, iis præſertim qui Cletum & Anacletum duos Pontifices faciunt, & Anacletum non ſtatim poſt Linum, ſed demum poſt Clementem & Cletum ſediſſe putant. Sed qui Cletum & Anacletum unum Pontificem fuiſſe arbitrantur, & ordinem ab Irenæo poſitum amplecti volunt, ut certè debent, mirari confeſtim deſinent. Benè Henſchenius, *Si aliqui arbitrentur Cletum præponendum eſſe Clementi, volumus funem eâ de re contentioſum ducere.* Ponatur igitur Cletus, (qui idem eſt Anacletus, ut probavimus) poſt Linum & ante Clementem; cùm ipſe Henſchenius fateatur Linum obiiſſe An. Dom. LXVII. & Cleto, (quem concedit à S. Petro fuiſſe ordinatum) anni tantummodo ſex in antiquiſſimo Catalogo,

logo tribuuntur; ſequetur Cletum ſive Anacletum An. Dom. LXXIII. obiiſſe, Veſpaſiani quinto, ſolius quadriennii Metachroniſmo.

VII. Anacleto ſucceſſit Clemens An. Dom. LXIX. exeunte vel LXX. ineunte, ſeditque ad An. Dom. LXXXIII. Domitiani ſecundum, Domitiano IX. & Rufo II. Coſſ. Eo certè anno ordinatum eſſe Euariſtum tradit Eutychius, quem jam ſequor. Certè Baronii Chronologiâ hoc maximè confirmatur, quòd, ut inquit, *Euſebius ac cæteri omnes tam Græci quàm Latini Autores teſtentur Clementem ſubiiſſe Martyrium tertio anno Trajani Imperatoris*, idque *S. Hieronymus firmiter aſſeveret, imò & ipſe Liber de Romanis Pontificibus apertè doceat.* Sed neque Euſebius neque Hieronymus Martyrii Clementis meminit; & illa apud Nicephorum Calliſtum & Martyrologium Bedæ attributum putida fabula eſt. Autor Libri Pontificum ſecutus eſt Hieronymum, Hieronymus Euſebium, Euſebius ſi fortè Catalogum aliquem, certiſſimè vitioſum, unde ex ſolâ ſupputatione tradit Clementem tertio Trajani anno obiiſſe. Et quidem tertius hic Trajani annus Chronologis quaſi fatalis fuit; unde errores in Hiſtoriam varii redundârunt. Scaliger aſſerit vitam Joſephi ab ipſo ſcriptam eſſe ſub Imperio, non Domitiani, ſed Trajani: *Nam*, inquit, *in ea Agrippæ Regis mentio fit, ut de eo qui adhuc in vivis non eſſet. Deceſſit autem Agrippa anno tertio Trajani.* Certè poſt mortem Agrippæ vitam ſuam ſcripſit Joſephus, ſed ante mortem Epaphroditi, cui extremis illius libri verbis Antiquitates ſuas dedicavit. Occiſus eſt autem Epaphroditus à Domitiano An. Dom. XCV. C. Valente & C. Antiſtio Coſſ. ut accuratè notat Dio. Ante igitur eum annum Agrippa mortuus eſt. Euſebius ad poſtremum Domitiani annum in Chronico notavit, eum omnes ex genere David interfici præcepiſſe, *ut nullus Judæorum regni reliquus foret.* Ad quæ verba rurſus Scaliger, *Atqui reliquus erat ejus regni Rex Agrippa, quamvis non ex ſtirpe David, regnavitque uſque ad annum tertium Trajani.*

1. *Vidit*

* * * * * * * * * * * * * *

H. D.

1. *Vidit hoc in loco Vir Eruditiſſimus è* Photio *natam* Scaligero *erroris occaſionem, cujus proinde verba repetenda duximus atque expendenda. Sic autem ille de* Originibus Judaicis *à* Joſephi *æmulo* Juſto Tiberienſi *deſcriptis:* Καλλίγης δὲ ἴσως πλευτῆς Ἀγρίππα τοῦ ἐβδόμου μὲ τῆς ἀπὸ τὸ ὀνόμ. Ἡρώδου, ὑφ' ὃν καὶ ὁ τῆς Ἰωάβου βασιλεῦσι. ὃς παρέλαβε μὲ τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου, ηὐξήθη δὲ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ ἔτι μᾶλλον ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ· πλευτᾷ δὲ ἔτει τρίτῳ Τραϊανοῦ, ὧ καὶ ἡ ἱερεία κατέλυσε. Juſto *itaque Autore tertio* Trajani *Anno* Agrippæ *mortem aſſignavit* Scaliger. *Nec vidit Criticus alioqui perſpicaciſſimus lectionem illam quæ in* Photio *hodierno obtinet, à mente* Juſti *eſſe alieniſſimam. Quorſum enim attinet tantus ille ſaltus à* Veſpaſiano *ad* Trajanum, *prætermiſſis tot intermediis annis atque Principibus? Quaſi verò ſi ad* Trajanum *uſque ſuperſtes fuiſſet* Agrippa, *nullam habuiſſet in tantâ fortunâ, ſeu* εὐξήσεως, *ſeu* ἀλλάξεως, *hic utique commemorandam. Credidit itaque Doctiſſimus Pater pro* Τραϊανοῦ, *reponendum eſſe* τοῦ αὐτοῦ, *ut tertio nimirum ejuſdem, cujus antea meminerat Juſtus,* Veſpaſiani *Anno deceſſerit* Agrippa. *Id quod erit ſane veriſſimum ſi* XXIII. *annos Regni* Agrippæ *aſſignemus cum* Syncello. Herodem *Regem* Chalcidis VIII. Claudii *Anno defunctum conſtat è* Joſepho, *ſub finem Anni, ut videtur, Æræ vulgaris* XLVIII. *vel initium* XLIX. *In illius locum ſuffecit* Claudius Agrippam, *cujus proinde Anni ab An. Dom.* XLIX. *numerandi ſunt. Ita inciderit Bellum* Judaicum, *menſe* Maio & Neronis *Anno* XII. Chriſti *proinde* LXVI. *cœptum, in Annum* Agrippæ XVII. *ut incidiſſe idem teſtis eſt* Joſephus. *Unde diſcimus poſt* Maii *initium Regem factum à* Claudio *eſſe* Agrippam. *Quin & Excidium* Hieroſolymitanum

Tertio *Veſpaſiani*, non Trajani, anno mortuum Agrippa junior.

Phot. Bibl. Cod. XXXIII.

Bell. Jud. L. II. c. 24.

num *mense* Septembri, Vespasiani *An.* II. *à* Junio *nimirum inchoato, Christi* LXX. *cum anno* Agrippæ XXI. *conjungunt nummi. Id si verum est, non ante Anni* XLIX. *mensem* Septembrem, *Rex fuerit à* Claudio *constitutus. Idem tamen ante finem* Januarii, *aut initium* Februarii *Anni* L. *Rex fuerit necesse est. Anno enim* Claudii XII. *idem,* Chalcide *sublatâ, novis ditionibus donatus est, cùm* tribus quatuorve *annis esset* Chalcide *potitus. Anno itaque* Claudii XII. *tres annos in Chalcidis Regno* expleverat *Agrippa, quartum* inchoaverat. *Ut proinde à* Septembri *Anni* XLIX. *non longe potuerit abesse initium* Agrippæ. *Sic itaque ut annum* XXIII. *attigerit, & tamen* III. Vespasiani *anno defunctus fuerit, ante* Julii *initium An.* LXXII. *obierit necesse est. Ita* duobus *fere annis Excidio* Hierosolymitano *superstes fuerit, quo tempore* scripsisse *Historiam suam potuerit* Justus, *quamvis non* ediderit, *& ad* Josephum, LXII. *Epistolas dare, quas memorat* Josephus, *Rex ipse potuerit* Agrippa. *Nec jam diu post excisam urbem* Hierosolymitanam *scribere potuit* Justus, *cum jam annis* XX. scripsisse *illum historiam dicat* Josephus *antequam* ediderit, *& tamen Editio illa ipsa præcesserit* vitam Josephi *à seipso conscriptam sub finem Anni* XCIII. *aut initium* XCIV. *Et verò numero illi* Syncelli *nullam subesse mendam, summa ipsa* generalis *extendit, annorum* Herodi posterisque *ejus* Regibus *attributorum: extendunt illi qui ex eodem, unde ille, Autore descripserunt. Nec verò alium illum, quàm* Justum, *Autorem fuisse verisimile est. Scripsit ille de* Regibus *per* stemmata. *Et* stemma Regum *ab* Herode *M. prognatorum universum consignatum hîc habemus. Fateor esse Antiquarios qui* Nummos *proferant in quibus annus* Agrippæ XXVI. *& XXVII. memorentur, & quidem* KZ. *cum vultu* Domitiani. *Sed Inscriptio* Græca, *non* Romana, *ostendit non à* Domitiano *ipso cusos illos nummos, sed ab* Agrippâ *in honorem* Domitiani. *Et* Cæsarem Domitianum, *non* Augustum, *appellant ipsi nummi. Et vultus ipse* juvenilis *est, quique* Domitianum *repræsentet sub* Vespasiani *potiùs* initium, *quàm cum ipse esset Imperium adeptus.*

Ant. L. XX. c. 5.

Niceph. Callist. L. III. c. 3.

Spanhem. & Goltzius.

Et

Et quacunque demum ſupputandi rationem inierint, nusquam profectò id efficient ut Annus Agrippæ XXVII. *inciderit in Imperium* Domitiani. *Ego, ſiqua Nummis illis fides, à morte* ſenioris Agrippæ *annos illos* XXVII. *numerandos eſſe cenſerem. Sic enim coincidet annus à morte* majoris Agrippæ XXVII. *cum anno Regni* Chalcidenſis XXII. *Sic etiam poſtea Imperator factus* Domitianus *Conſulatus illos ſuffectos numeravit, quos Patre imperante, & Fratre, numerare permiſſus non eſt. Pro eodem exemplo,* Agrippa *ipſe, aut captandæ Agrippæ gratiæ libera fortaſſis aliqua* Græca *civitas, inde Regni ejus annos numerârit, unde duxerit fuiſſe de jure numerandos. Exhibet præterea & alium Spanhemius* Agrippæ *nummum, in quo habetur annus ejus* ιθ, *ſed cum* Veſpaſiani *vultu, non* Domitiani, *conjunctum. Annus ille, ſi quidem ab initio Regni* Chalcidici *numeretur, in an. incidet Ær. Vulg.* LXXVIII. *& in* Veſpaſiani *tempora, rectè. Tantum abeſt ut deducat* Agrippam *ad Imperium uſque* Trajani. *Si verò à morte* ſenioris Agrippæ *repetatur, exibit annus ejus* XXVIII. *initio Ann.* LXXII. *Sic itaque ſpatium illud quod* mortem *Agrippæ ſenioris &* Kal. Julias *interceſſit, tam anno* junioris Agrippæ XXIX. *rectè imputari poterat quàm etiam* tertio Veſpaſiani. *Sed verò ut fuiſſet aliqua, ob rationes quas neſcimus, inter Veteres, in Annis* Agrippæ *numerandis diſcrepantia,* Juſti *tamen ſententiæ explicandæ rationes illæ potiſſimùm ſubſervient, quas ipſi* Juſto *placuiſſe, & ob oculos fuiſſe, poſſit oſtendi. Tales illas quas modò dedimus, fuiſſe probavimus. Nulla interim eſt ratio quæ ſuadeat* Agrippam *ad tertium* Trajani *annum perveniſſe.*

2. *Sed verò* Librariis *hunc errorem potiùs quàm* Photio, *tribuendum* Juſto, *tribuendum eſſe veriſimile eſt. Sunt & alia tamen quæ idem, quod voluit Autor, doceant, Exempla, quàm fuerint proni Veteres ut quæ ſub* Trajano *contigiſſe didicerant, ea ſolis ductis conjecturis,* tertio *ejuſdem* anno *audacter aſſignarent. S.* Joannem Domini Diſcipulum *apud Epheſios ad* Trajani *tempora permanſiſſe prodiderat* Irenæus. *Quem verò* annum *ejus attigerit omninò non prodidit, nec verò*

S. Joannis obitum tertio Trajani anno contigiſſe putarunt Veteres. Iren. L. III. c. 3.

alius quiſpiam ab Euſebio in Hiſtoriâ memoratus, cum tamen ſoleat in Hiſtoriâ ea omnia diligenter excerpere quæ ad tempora ſtabilienda ſpectarent. Et tamen tertio Trajani anno mortem S. Joannis tribuunt exemplaria Chronici Euſebiani hodierna, non primo, quò ſolet ille incerti temporis geſta referre, quoties de Principe quidem quo fuerint Imperante geſta conſtat, non item de certo Principis anno. Nec verò recentium Librariorum erroribus illam tribuendam eſſe diſtributionem, ex ipſo illo qui Chronicon quale hodie habemus, Latinè vertit, Hieronymo colligitur. Bis enim ille LXVIII. à Chriſti Paſſione anno S. Joannem obiiſſe teſtatur, in Libris de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & adverſus Jovinianum. Pro rationibus Euſebianis aſcendit Chriſtus tertio anno à XV. Tiberii duorum Geminorum Conſulatu inſigni, Tiberii nimirum ejuſdem XVIII. Æræ vulg. XXXII. Addantur anni LXVIII. Sic anno Æræ vulg. C. defunctus fuerit Joannes, quo tertius Trajani exierit, ſi ab eo initio anni ejus numerantur quo fuit à Nerva in Imperium allectus. Nec verò aliter in Græco Chronico lectum quàm poſuit Hieronymus, Argumento ſunt Autores illi Græci qui eodem modo annos LXVIII. ab Aſcenſione Chriſti numerant ad exceſſum S. Joannis, ut numeravit Hieronymus. Ita Chronicon Alexandrinum, Nicephorus Calliſtus, alii, quamvis quarto Trajani anno locum ille habeat exceſſus in Chronico Alexandrino. Sed verò rectiùs numeravit Chronici illius Autor quàm numeravit Euſebius, non ab anno Tiberii XVIII. ſed XIX. Chriſti XXXIII. quanquam notam illam ipſam anno Tiberii XVIII. apponunt Codices hodierni. Idem Chronicon, pro aliorum ſententiâ, eundem obitum tribuit anno Trajani VII. Atque hinc pendet, ni fallor, occaſio erroris univerſi quo tot alia geſta, nullo prorſus Autore teſte, in eundem illum Trajani annum conjecerint.

Script. Eccl. in Joann. l. 1. adv. Jovin.

3. *Cum enim S. Joannem Martyrem obiiſſe, præterquam voluntate, nulla traderent Eccleſiæ monumenta; proinde Perſecutionem Trajani, non ante ejus obitum, contigiſſe crediderant. Iidem tamen eodem obitûs anno Perſecutionem inchoandam

* Quo anno obiit S. Joannes, eodem Trajani Perſecutionem, Martyrumque omnium abitur, quos in ea Perſecutione paſſos credebant, contigiſſe exiſtimabant.

inchoandam cenſuerant, pro illâ nimirum Regulâ quam in Temporibus pro conjecturâ aſſignandis obſervârunt illius Seculi Chronologi, quâ res geſtas temporis incerti cum re geſtâ aliquâ cujus tempus conſtaret, jungendas cenſuere. Ita quia morte S. Joannis recentiorem *credebant* Trajani *Perſecutionem, nec interim conſtaret quo tandem intervallo annorum* Perſecutio *mortem fuiſſet* conſecuta; *proinde eodem tempore quo* mortem Joannis & *memorant,* & Perſecutionem *cenſuerunt eſſe memorandam. Ita in* Hiſtoriis. *Ita etiam in* Tabulis *iſtorum Temporum Chronologicis. Sic certè cum* Juſti Tiberienſis *Hiſtoriâ* Perſecutionem Plinii *nectit* Syncellus, & *utramque* Trajani *initiis aſſignat,* & *ante Bellum* Dacicum. *Unde obiter intelligimus lectionem illam de* Juſti *Hiſtoriâ* tertio *Trajani anno conſcriptâ* Syncello *ipſo fuiſſe vetuſtiorem,* & tertio *illi, quem dixi, Trajani anno, quo ſcriptam credidit* Syncellus Juſti *Hiſtoriam*, Perſecutionem *illam* Plinianam *fuiſſe ſimiliter, pro* Syncelli *mente, reponendam. Nec modò* Plinianam *illam, ſed & alias quaſcunque ſub* Trajano *Perſecutiones,* & Martyrum *ſub* Trajano *paſſorum obitus, eodem illo anno quo obierit* Joannes, *plerunque collocant. Eodem illo anno quo* obierit *S.* Joannes, Perſecutionem *locat Chronicon* Alexandrinum, *eodemque anno paſſum tradit* Simeonem Cleopæ, *S.* Marcum Evangeliſtam, Creſcentem, *ipſumque noſtrum, de quo agimus,* Clementem Romanum. *Eoſdem memorat, eâdemque occaſione* Nicephorus Calliſtus, Simeonem Cleopæ, Perſecutionem Plinianam, *paſſionem* Clementis & Ignatii, *& quidem ſub* initiis Trajani. *Sic itaque intelligimus cur tot Chriſtianorum obitus uni eidemque Trajani* anno *Veteres aſſignârint. Hæc illi nimirum de* Martyribus, *vel de illis ſaltem quos ipſi pro Martyribus* haberent. *Illos conſentaneum exiſtimabant ad* Perſecutionis *tempora referre, quam nec aliam ſub* Trajano *quàm* unicam *credebant, nec pluſquam unius* Anni, *ab* Edicto Trajani *excitatam, ſtatimque* Plinii *Reſcripto* ſedatam. *Et verò* Perſecutionem *confeſtim à S.* Joannis obitu *conſecutam,* & *cum eo in unum eundemque Annum conferendam. Intelligimus*

Syncell. p. 346.

Niceph. Calliſt. L. III.

præterea:

prætereà quàm aptè in tertium *Trajani annum referenda fuerit mors* Clementis. *Cùm enim* Martyrio *coronatum crederent, & verò mors S.* Joannis, *pro* Euſebii *ſententiâ &* Hieronymi, *atque adeo* Martyria, *in* tertium *Trajani annum incideret; proinde rectè, pro eorundem mente, mors* Clementis *eodem erat Trajani anno* tertio *ſtatuenda.*

Quibus nixi *Ratiociniis* Veteres tam *varias* de S. *Joannis obitu* ſententias adinvenerint.

4. *Vidimus itaque Veterum adeo diverſas de Perſecutionis anno ſententias à diverſis eorundem de S.* Joannis obitu *ſententiis fuiſſe oriundas. Venio itaque præterea ut oſtendam, quibus illi nixi Ratiociniis tam diverſas invicem ſententias invenerint. Dixi antea ex* Irenæi *Teſtimonio collegiſſe Veteres S.* Joannem *ſuperſtitem fuiſſe ſub* Trajano, *nec alium teſtem adduxiſſe ipſos illos Veteres qui* certo *Trajani* anno *mortem illam affixerint, quam tamen certo anno ipſe non affixerit* Irenæus. *Ait* Irenæus *de S.* Joanne, παρέμεινε μέχρι τῶν Τραϊανοῦ χρόνων. *Quæ verba ita intellexerunt Veteres quaſi attigiſſet S. Joannes duntaxat* initia *Trajani. Sic certè Hieronymus, dum primorum ante* Euſebium *ſententiam narrat,* uſque ad Trajanum, *in Libro de* Viris Illuſtribus. *Et verò adversùs* Jovinianum *adhuc manifeſtius:* Manifeſtiſſimè docent (*inquit*) Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quòd uſque ad Trajani vixerit Imperium, id eſt, poſt Paſſionem Domini ſexageſimo octavo anno dormierit. *E quibus verbis intelligimus, à* Paſſione Domini uſque ad Trajanum, *id eſt,* initium *Trajani* LXVIII. *annos numerâſſe Eccleſiaſticos Autores* Euſebio *vetuſtiores. Quæ ſane ſupputatio erat, pro eorum dogmatibus, omnino veriſſima.* Paſſum *enim Dominum duobus* Geminis Coſſ. *credebant Veteres plerique* Euſebio *antiquiores, anno nimirum Ær. vulg.* XXIX. *Addantur anni* LXVIII. *fient* XCVII. *quo certe anno exeunte* Trajanum Nerva *adoptavit, ſociumque fecit in* Imperio. *Eam* Veterum *Chronologiam correxit* Euſebius, *additis nimirum, pro* tribus *Feſtis* Paſchalibus, *quorum meminit* (*poſt* XV. Tiberii *illis Coſſ. ſignatum*) *S.* Joannes: *atque ita* Paſſionem Domini *tribus præterea Annis in* anteriora *promovit.*

Iren. L. II. c. 39. L. III. 3. *Græca apud Euſeb.* H. E. III. 23.

L. I. adv. *Jovin.*

promovit. Sic tamen numerum illum annorum LXVIII. *quaſi* Hiſtorico *aliquo teſtimonio traditum, Hypotheſi ſuæ adaptavit, & à* primo *ad* tertium Trajani *annum S.* Joannis *obitum*, Perſecutionemque *protraxit, annum nimirum* Domini C. *Alii rursùs* Euſebio *recentiores, ut ille Veteres, ſic & ipſum illi* Euſebium *correxerunt, ſeu fortè illi quartum* Feſtum *in eodem S.* Joannis *Evangelio memoratum, pro* Paſchali *accepiſſent, ſeu fortè potiùs quòd* Eclipſim *illam* Phlegontis *ab ipſo* Euſebio *huc traductum, quarto* Olympiadis CCII. *anno cum* XIX. Tiberii, *non cum* XVIII. *ut* Euſebius, *nectendam obſervâſſent. Id vidit certè* Philoponus *Scriptor de hac* Eclipſi *accuratiſſimus. Ita* IV. Trajani *anno, Domini* CI. *S.* Joannes *ad ſuperos evolârit, ut in Chronico* Alexandrino. *Nondum tamen penitùs rejecta eſt alia illa Chronologia, de Chriſto* Geminorum *Conſulatu crucifixo, tot nimirum tantorumque nominum Autoritate venerabilis, & in* Cyclis Paſchalibus, Faſtiſque Conſularibus *in* Cyclorum *uſum aptatis, etiam in vulgari uſu conſervata. Fuiſſe enim adhuc in eâ opinione etiam* Euſebio *recentiores, Faſti* Victorii Proſperique *confirmant. Hi ergo cum S.* Joannis *obitum* quarto *Trajani anno contigiſſe è priorum conjecturis didiciſſent, proinde* LXXII. *annis à* Geminorum *Conſulatu, atque adeo à* Domini Paſſione *removendum collegerunt. Inde nata alia illa eſt opinio cujus meminit Chronicon* Alexandrinum, *S.* Joannis obitum *à* Chriſti Paſſione LXXII. *annis ſemoventium. Inde rurſus natæ aliæ opiniones, alia* Perſecutionem VII. *Trajani anno, alia* VIII. *ſtatuentium. Erant nimirum rurſus illis recentiores qui* LXXII. *annos ab An.* XXXII., *erant qui ab An.* XXXIII. *numerarent, utrique etiam Chronico* Alexandrino *antiquiores. Sic illi invicem alternis illudebant, dum vetuſtiorum* conjecturas *invicem pro Teſtimoniis* Hiſtoricis *acciperent. Nobis itaque cavendum ne & ipſi vetuſtiorum* conjecturis *ſimiliter illudamur. Conſtat interim multa Veteres de certo, quo fuerit* Trajanus *perſecutus,* anno *temere pronunciâſſe, nec ullo fretos* Hiſtorico *Teſtimonio, quæque adeo non ſint* Hiſtoricis Teſtimoniis *opponenda.*

CAP.

CAP. VI.

I. *Ad Clementis tempora ab Eutychio deſignata propugnanda propius acceditur.* II. *Tria in contrarium Argumenta proponuntur.* * * Additio.

I. SED cùm hæc de fine Pontificatûs Clementis & initio Euariſti à nobis ex Eutychio tradita aliiſque teſtimoniis ad deceſſores ejus pertinentibus aliquo modo confirmata, non niſi difficillimè fidem apud viros doctos inventura prævideam; cúmque ea non tantùm Chronologiæ omni hactenus receptæ adverſentur, ſed & Hiſtoriam Eccleſiaſticam (quam ego ſartam tectam hâc totâ diſſertatione conſervari maximè cupio) perturbare & convellere haud paucis videantur: paulo latiùs hîc diſſerendum eſſe duxi tum de obitu, tum de ordinatione Clementis, tum de iis quæ hiſtoricè ad ejus Pontificatum referuntur, ut vel ſic maximum ſententiæ noſtræ præjudicium tollatur.

II. Tria præcipuè ſunt quæ ad hiſtoriam pertinent, & pleroſque ſi non omnes in eam ſententiam deduxerunt, quæ Eutychianæ ſive noſtræ apertè contradicit. Primum eſt de Domitilla cui velamen virginitatis ſub extremis Domitiani Clemens dediſſe fertur. Secundum de Martyrio Clementis quod Cherſonæ anno Trajani tertio ſuſtinuiſſe dicitur. Tertium de Perſecutione Domitiani, qua ſæviente Epiſtolam ad Corinthios eum ſcripſiſſe volunt.

* * * * * * * * * * * * * * * *

H. D.

1. QUÆ, hoc in loco, afferuntur in contrarium Argumenta, ea recentiorum nituntur ſeu Fabulatorum *inventis*, ſeu Doctiorum etiam duntaxat *conjecturis*, nullâ certè fide Veterum *Hiſtoricâ*, quæque adeo ſufficiat convellendæ horum Pontificum Chronologiæ ab *Eutychio* ſtabilitæ. *Flaviam* illam imprimis *Domitillam* aliam volunt Fabulatores à verâ *Domitilla* Clementis uxore. Hanc enim ejuſdem *Clementis* è ſorore *neptem*, nec in *Pandatariam* Inſulam, ut illa, ſed in *Pontiam*, ſtatuunt fuiſſe relegatam. Eam itaque *Virginem* exiſtimant, & proinde, pro more recentiorum, quibus vixerint Fabulatores, temporum, *velo* à *Pontifice* ſolenniter induendam. *Tempus* autem, quo fuerit Virginitatem profeſſa, colligunt è tempore *Perſecutionis Domitianeæ*, quæ cùm in Annum ejus penultimum, teſte *Brutio* & *Dione*, inciderit, *Chriſti* nimirum XCV. eam propterea eo ipſo Anno putant fuiſſe velatam. Et verò cum *Romæ* fuerit, non ab alio proinde velatam quàm à Pontifice, quicunque fuerit, *Romano*. Atqui alium *Romæ*, hoc tempore, *Pontificem* quàm *Clementem* agnoſcere non potuit Fabulator, ſeu *Librum Pontificalem* conſuluerit, ſeu *Euſebium*. Uterque enim tertio *Trajani* Anno obitum ejus aſſignat. Objectio prima de *tempore velatæ à Clemente Domitillæ.*

2. Sic illi Argumentati ſunt, ut ſibi quidem videbantur, argutè, pro illis quæ habebant monumentis. Quæ tamen ſi pro veris obtrudantur *Hiſtoriis*, multa obſtant quo minùs aſſentiamur. Id habemus in bonæ fidei monumentis conſignatum, fuiſſe *Domitillam* quandam *Domitiani* συγγενῆ, quæ *Atheiſmi* nomine fuerit relegata, quod quidem Atheiſmi crimen τοῖς εἰς τὰ Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκείλασι intentatum tradit *Dio*. *Chriſtianitatis* causâ exulâſſe, id *Fictitia* eſt ſecunda illa *Domitilla Virgo*. *Xiphilin.*

licet *Dio* non fuerit expreſsè teſtatus, eſt tamen fateor omnino veriſimile. *Atheiſmi* nomine atque *Judaiſmi* accuſatos fuiſſe *Chriſtianos* è Chriſtianorum conſtat *Apologiis*. Et quod non dixit *Dio*, dixit tamen Autor *Dione* fortaſſe antiquior *Bruttius Præſens*, Chriſti illam fuiſſe cauſam quam Atheiſmo tribuerat atque Judaiſmo *Dion*. Hæc ex *Hiſtoriâ*, reliqua omnia ex ingenio commenti ſunt. *Unam* memorant *Hiſtorici* Domitillam, & quidem illam *Fabii Clementis* Conſulis *uxorem*. Aliam illam quæ *Virgo* fuerit, primi invenere Fabulatores, qui etiam Martyrem fecerunt, cum, pro recentiorum Martyrologiorum formis, *fœminæ* nullæ eſſent in *Martyrologiis* commemorandæ quæ non *Virgines* fuiſſent aut *Martyres*; & *Virgines* omnes antiquiores *fœminas* exiſtimarent recentiores *Martyrologiorum* Collectores, de quibus nihil conſtaret in contrarium. Unicum memorant etiam exilii *locum* Hiſtorici Inſulam *Pandatariam*; *Pontiam* recentiores, ſed & illi antiquiores *Hieronymo*. Hæc nos alibi obſervavimus, fontemque etiam erroris oſtendimus. Quæ ſi vera comperiantur, jam nullus *uſus* erit *Clementis* noſtri Pontificis in *Hiſtoriâ* quæ contigerit ſub finem *Domitiani*. Si enim nulla fuerit apud Veteres *Domitilla* Chriſtiana *Virgo*, nulla erat utique quæ à *Clemente* velaretur. *Matronam* enim *uxoremque* Conſulis à *Clemente* velatam ne quidem ipſi vellent Fabulatores.

Ap. *Euſeb.* H. E. lib. 3 & Chron.

Reſp. ad *Grot.* Cap. V. §. 2.

Non fuit *primis* Chriſtianitatis *initiis* in *honore Virginitas*, ne quidem apud *Philoſophos*.

3. Sed fac demum eſſe *Domitillam Virginem*. Nec tamen ita obtinebunt fuiſſe ab illorum temporum *Epiſcopo*, nedum à *Clemente*, velandam. *Fœminas* omnes, etiam *nuptas*, ſed præſertim *Virgines*, pro illorum temporum Diſciplinâ, inceſſiſſe *velatas*, probavit eruditè **Baronius*. *Nuptarum* tamen *velum* nemo dixerit ab *Epiſcopo* fuiſſe imponendum. Sed nec *Virginum*, niſi ſi quæ fortè *votum* emiſiſſent *Virginitatis* perpetuò conſervandæ, quæque adeo *Deo* Virginitatem ſuam conſecrâſſent. In illis enim duntaxat *conſecrationibus* Dei vicem repræſentabat *Epiſcopus*, accipiebatque ſolenniter *Dei* vice illud quod *Deo* eſſet ex voto.

**Baron.* Martyr. *Maii* VII.

voto *conſecrandum.* Sic *Veſtales* velabat *Pontifex Maximus*, ſub cujus etiam Diſciplinâ eſſent deinde victuræ. Ergo ubi nulla erant Virginitatis *vota*, ibi conſentaneum erat nullam fore etiam *ſolennem* Virginum *Conſecrationem*; nullam fore, ſub manu *Epiſcopi*, ſolennem Virginum *profeſſionem*; nullam Epiſcopi *benedictionem*, nec proinde opus fore, qui velum indueret, Epiſcopo. Nec vero ulla fuiſſe illis temporibus Virginitatis *vota*, breviter, &, pro hujus loci modulo, oſtendam. Conſtat imprimis apud Judæos adeo non fuiſſe in *laude* perpetuam Virginitatem, ut contrà potiùs *opprobrio* daretur ſiqua nullos ſuſtuliſſet liberos. Ita *Gen.* XXX. 23. *Iſai.* IV. 1. Sed & ſub primis *Novi* etiam *Teſtamenti* temporibus eadem illa invaluit opinio. S. *Luc.* I. 25. Nec modò apud *Judæos*, verumetiam apud *Romanos*, ſummo in honore erat *conjugium*, & legitima *liberorum* procreatio. Graviſſimam habemus in *Dione*, hâc de causâ, *Auguſti* Orationem, qui tantis conjuges parenteſque ornavit in Rep. privilegiis, ut jura illa ambirent qui liberos nullos creâſſent, ſi tamen conjuges fuiſſent, & infœlix ſortiti fuiſſent, nullâ ſuâ tamen culpâ, Matrimonium. Sed & apud *Græcos*, ne quidem ullum legimus *Philoſophum*, aut inſignis *exempli* virum, qui, *virtutis* excelſioris causâ, à matrimonio temperârit. *Uxores* habuere *Pythagoras*, *Socrates*, & reliqui plerique ab illis oriundi Philoſophi. *Uxores* etiam Judæorum *Eſſenô* πολιτικὸι, & Indorum *Gymnoſophiſtæ*. Nec alii inter utroſvis conjugium averſati, niſi ſi qui ſorte vitam *Anachoreticam* ſequerentur, omnique adeo *hominum* conſortio ſibi interdixiſſent. Et tamen de vitâ illa *Anachoreticâ* ſemper diſputatum, fueritne in laude ponenda, an Sapienti potiùs eſſet capeſcenda Reſpublica? Diſputârunt eâ de causâ *Plutarchus*, *Seneca*, & *Maximus Tyrius*. Plerique vitam illam pro *tempore* duntaxat amplexi ſunt; nullus ſeſe *voto* ad eam obſtrinxit, idque in perpetuum: nullus docuit *laudandum*, ſiquis ita ſeſe obſtrinxiſſet. Egit in *Eremo* aliquot annos *Joſephus*, egit *Juſtinus Martyr*, egit Lilybæi *Porphyrius*. Sed *Porphyrium*

revocavit *Philoſophus* ipſe *Plotinus*. *Joſephus* etiam vitam egit Politicam *uxorem*que duxit. Deſeruit eremum *Juſtinus Martyr*, atque etiam *Chryſoſtomus*, nullo utique *voto* obſtricti omnes ad vitam ſolitariam. *Philoſophiam* etiam primis Chriſtianiſmi temporibus profeſſi ſunt *Antonini* Imperatores, profeſſus eſt privatus *Euphrates*, uxorati tamen omnes. Uxorem ipſe non quidem duxit *Epictetus*, idem tamen *Demonacti* Autor ut duceret. Adeo vitam conjugatam ne *Philoſopho* quidem credidit indignam. Sic etiam ante Chriſtum viri apud *Romanos* Philoſophiæ deditiſſimi, uterque *Cato* & *Brutus*, ductis tamen omnes *uxoribus*. Nec ſane inter dogmata Philoſophorum, quæ certè admodum aliena & Paradoxa docuerunt qui novorum dogmatum, atque Hæreſeon ambitu vellent inclareſcere; ullum tamen reperio qui docuerit Sapienti ſuo non eſſe ineundum Matrimonium. Unum reperit *Baronius Naumachium*, nec tamen *Philoſophum* illum, ſed obſcuri nominis *Poetam*, qui vitam *cælibem* laudârit. Sed alio tamen nomine laudavit ille quàm *Baronius*; non *Virtutis*, nedum *Religionis*, ſed quòd immunis eſſet à *moleſtiis* aliiſque *Sæculi* incommodis, quibus obnoxia eſt vita *Sæcularis* atque *conjugata*.

Lucian. Demon.

Sed nec apud *Sacerdotes*.

4. Sic in *Philoſophis*. Nec aliter in *Sacerdotibus* ſanctiſſimis illis Religionum antiſtitibus. Cum in illis tamen vita illa cœlebs videri poſſet utilior, propter ἁγνείαν illam, ſeu *caſtimoniam*, & tori etiam conjugalis *abſtinentiam*, quæ, pro illorum temporum receptis moribus, erat *Sacrificaturis* obſervanda. Ita illam ſanctè obſervatam conſtat, ut cùm per *ſomnium* cum uxore rem habuiſſe viſus eſſet *Matthias*; duxerit, pro eâ vice à *Sacrificiis* eſſe abſtinendum. Docent itaque *Rabbini* perpetuum fuiſſe Summi Pontificis vicarium, quem *Segenem* appellant, qui ejus *vicem* in *Sacrificiis* obiret, ſiquando id genus *ſomniis* ipſe fuiſſet inceſtatus. Sed multa iſtiuſmodi de majorum moribus commenti ſunt *recentiores* Rabbini. Et fictitium illum eſſe *Segenem* poſſem è *Veteribus* oſtendere, ſi id impræſentiarùm agerem. Illud tamen

tamen certum, in omni *Veterum*, etiam *Judæorum*, *Sacerdotio* locum habuiſſe illam, quam dixi, *Sanctimoniam*. Etiam apud *Chriſtianos* in uſu fuiſſe innuit Apoſtolus 1 *Cor.* VII. 5. nec modò celebrantes *Sacerdotes*, ſed *participes* Sacrificiorum *Chriſtianos* etiam *Laicos*, cum νηστείας & προσευχῆς attenderent. Nec enim aliam hoc in loco προσευχὴν intelligi conſentaneum eſt, quàm quæ eſſet *Sacrificiis* in Templo *publicis* adjuncta, vel ſaltem in Eccleſiâ *Euchariſticis*. Sic etiam *Chriſtianos* memorat *Origenes* qui à commercio *Venereo* abſtinerent πρὸς τὸ καθαρώτερον προσεύξασθαι τῷ θεῷ. Sed multa erant in ipsâ illâ *caſtimoniâ* laudanda quidem ſi obſervarentur pro *tempore* quo ſacra illa eſſent obeunda, eadem tamen rurſus vituperanda ſi obſervarentur in *perpetuum*. Sacra illa inceſtabat *dolor* quacunque ille de causâ conceptus. Ut proinde in laude eſſet ſiquis etiam propinquorum funeribus non indoluiſſet, vel ſaltem nulla edidiſſet doloris externa teſtimonia dum Sacris obeundis eſſet occupatus. Laudatum id in *Xenophonte Socratico*, & *M. Horatio Pulvillo*. Propterea *Judæorum Pontificibus* luctûs *modum* conſtituit ipſe Deus, & lugentium veſtitu, externiſque pleriſque luctûs indiciis interdixit. Et tamen pium erat, & humanitatis officiis conjunctiſſimum charorum mortes accepiſſe cum luctu, quin & luctûs externis indiciis teſtatum facere quanti mortuos feciſſent, cùm nullâ id Religionis munerumq; publicorum fraude conſtaret. Sacra eadem inceſtabat contactus ipſe *morticiniorum*, adeo ut non *Sacrificiis*, non *precibus* ſolennibus liceret illis intereſſe, non *Templis*, ne quidem *domibus*, quas, pro receptis illorum temporum moribus, *conſecrare* ſolebant, qui etiam piis de cauſis mortuos *contigiſſent*. De *Judæorum* moribus teſtis eſt idoneus Autor Apocryphus *Tobiæ*. Illum enim legimus ne quidem *domum* propriam intrare auſum cùm fuiſſet piâ *mortui* ſepulturâ pollutus. Nec tamen ſe *culpam* admiſiſſe ex eâdem illâ colligitur Hiſtoriâ. Volens enim, & cum ingenti vitæ periculo, piaculum contraxit,

Orig. cont. Celſ. p. 21.

non

non id proculdubio facturus ſi Deo credidiſſet ingratum, ſi non ingenti etiam mercede ab eodem munerandum. Sic nimirum aliis officiis implicita ipſa illa piacula *laude* digna habebantur, & proinde neceſſariò incurrenda. *Ad ſemper* autem Officia illa Præceptorum *Affirmativorum* obligare ipſi exiſtimant Scholaſtici, licèt non *pro ſemper*. Nunquam certè penitùs ejuranda, quod tamen illos feciſſe oportebat, pro illorum quoque temporum receptis opinionibus, qui perpetuò ſe obſervaturos voviſſent ipſam illam ſanctimoniam.

Nihil *imminutæ* Sacerdotii honor legitimo *Matrimonio*.

5. Et verò in hâc ipsâ causâ *Praxis* ipſa Veterum oſtendit quàm nihil illi legitimis *Matrimoniis* imminutum crederent honorem illum ipſum *Sacerdotii*. Multi Sacerdotia *hæreditaria* poſſidebant, & ad ipſam Sacerdotii ſanctimoniam ſpectare arbitrabantur, ſi illud ne quis aliud, quàm de *ſancto* etiam *ſemine* prognatus attingeret, & viciſſim inceſtari ſi quis illud arripuiſſet *alienigena*. Ita Sacerdotia pleraque *Aſiana*. Ita *Judæorum* illud omnium ſanctiſſimum, quodque maximè ob oculos Primævi videntur habuiſſe *Chriſtiani*. Et verò illa *Judæorum* de *ſeminis* è ſanctis parentibus oriundi *ſanctimoniâ* apud *Chriſtianos* fuiſſe recepta conſtat è 1 *Cor.* VII. 14. De *Corporis* illum *ſanctimoniâ* loqui certiſſimum eſt, quæ è *Corporum* ſanctorum conjunctione deducitur. Et quidem ratio eadem procedit ſi de *Sacerdotali* ſanctimoniâ eadem urgeantur quæ de *Baptiſmali* vera eſſe ipſe ibidem concedit Apoſtolus. Si enim contracta illa à *Parente* in *Baptiſmo* ſanctimonia ad *filium* ita tranſire intelligatur, non quidem ut eſſet ſine Baptiſmo *ſanctus* filius, ſed ut propter *Parentis* ſanctimoniam jus habeat *filius* ad ſimilem ſanctimoniam in Baptiſmo conſequendam; Quidni etiam ſequetur *filium* è *Sacerdote* oriundum, non quidem naſci ſine *conſecratione* Sacerdotem, ſed inter Sacerdotii *Candidatos* illum, modò reliqua reſpondeant, vel ipſo illo *Natalium* jure eſſe præponendum? Si enim ſanctior *Baptizati* infans reliquis omnibus habeatur *Infidelium* infantibus; cur non etiam *Sacerdotis* infans

ſanctior

ſanctior reliquis etiam *Baptizatorum* infantibus? Hæc certè Ratiocinia cum fuerint in *Judæorum* Peculio, ſeu *Segullâ*, probata, ea certè à *Chriſtianis* improbata ſupponendum non eſt, ni id manifeſtis poſſit probari in contrarium Teſtimoniis. Ea nulla hic proferunt Adverſarii, nos verò ea produximus quæ pro receptis *Judæorum* dogmatibus Argumentari videantur. Dedimuſque alibi exempla quæ *hæreditaria* id genus *Sacerdotia* ne quidem *Chriſtianis* ipſis diſplicuiſſe confirment. Primarium primis illis temporibus oſtendimus Epiſcopum *Hieroſolymitanum*. Eum verò probavimus, quamdiu duravit Familia *Davidica*, unde Dominus noſter erat oriundus, *Domini* noſtri *Familiæ* fuiſſe hæreditarium, ejuſque etiam reliquos *cognatos* hæreditario quodam jure Epiſcopo *Hieroſolymitano* fuiſſe à conſiliis, reliquiſque adeo omnibus per orbem Eccleſiis præfuiſſe. Idem etiam oſtendimus in Eccleſiâ *Epheſinâ*, octavum illi ejuſdem *familiæ* præfuiſſe *Polycratem*. Sed & aliis in locis ubi *Sacerdotia* non eſſent *hæreditaria*, ſic tamen Sacerdotibus *permiſſa* ſunt *conjugia* ut nullâ prorſus honoris Sacerdotalis imminutione id fieri intelligeretur. Virginibus *Veſtalibus* poſt XXX. annos in Sacerdotio peractos (*ſeptennes* autem eligebantur) nubere conceſſum eſt. Uxoreſque ducebant Romani *Pontifices*, liberas nimirum Virgineſque. Quæ etiam Diſciplina valuit in *Judæorum Pontificibus*. Et rari admodum fuere *Sacerdotes* quibus penitus *negata* legimus fuiſſe *Matrimonia*. Et illi etiam omnium contemptiſſimi, ne ad honorem illorum hanc intelligamus pertinuiſſe caſtimoniam. *Cybeles Gallos*, non excelſioris Diſciplinæ causâ, ſed in memoriam *Agdeſtis* Cybeles amaſii, qui ſeſe execuerit, exectos fuiſſe conſtat, & nullo pretio apud ipſos etiam fuiſſe Gentiles. Sic & *hierophantas* quos tradit *Tertullianus* epotâ cicutâ virilitatem ſibi ademiſſe. Nullos certè memini qui, integrâ virilitate, ad caſtimoniam *perpetuam* Sacerdotes conſtringerentur. Et verò *Eunuchi* quanto fuerint in contemptu apud Veteres, teſtantur *Lucianus* & *Claudianus*. Utque uno verbo dicam, erant in *laude*

Lucian. Eunuch. Claudian. in Eut.

laude Matrimonia *ſingula*, laudatoſque multos eo nomine legimus tam in Libris quàm etiam in Inſcriptionibus, locumque adeo habuere tam in Diſciplinâ Sacerdotali *Gentilium* quàm etiam *Chriſtianorum*. Laudatum in illius temporis Scriptoribus neminem obſervavi quòd in *Virginitate* conſenuiſſet. Quanquam hæc fateor ad cauſam *Domitillæ* parum eſſe neceſſaria. Nec enim ad *fœminas* attinebat cauſa illa ſeu ἀναχωρήσεως, ſeu etiam *Sacerdotii* apud *Chriſtianos*, ut utrovis nomine *Virginitatem* crederet ſibi eſſe excolendam.

Quis *Eunuchus* propter *Regnum Cœlorum*.

Phil. IV. 8.

6. Ita conſtat non è receptis *illorum temporum* opinionibus, tantam illam, quæ poſtea invaluit, *Virginitatis* æſtimationem haurire potuiſſe *Chriſtianos*. Non itaque è generali illo Canone hauſtam fuiſſe oportuit, quo ὅσα σεμνὰ, ὅσα ἁγιὰ, ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετὴ, εἴ τις ἔπαινος, pro *receptis* nimirum Judæorum Gentiumve *opinionibus*, ea *Chriſtianis* Apoſtolus obſervanda commendavit. Alia itaque ejus origo quærenda eſt. Credunt Pontificii è verbis illis Domini natam quibus monet, eſſe *Eunuchos* οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. S. *Matth.* XIX. 12. Quæ illi ſic intelligunt ut *Eunuchi* illi, de quibus loquitur illo in loco Dominus, tam ſibi, vinculis ſponte accerſitis, aditus ad conjugia obſtruxiſſent, quàm mutilatis corpore *Eunuchis* fuiſſent obſtructi. Sed verò verba illa εὐνοῦχοι Εὐνοῦχοι, non *novam* aliquam de *Eunuchis* opinionem introducere videntur, ſed ad *receptam* potiùs alludere, taleſque planè deſignare qui jam eſſent in *Judæorum*, quorum erat *Regnum cœlorum*, moribus notiſſimi. Nec tamen ullos legimus *Judæorum*, ne quidem ipſos ἀναχωρητικοὺς *Eſſenos*, qui aut corpus *mutilandum* cenſuiſſent, aut ſaltem *Virginitatem* ſuam *voto perpetuo* conſecrandam. Ad *Phariſæos* autem hæc diſputavit Dominus, notiſque adeo ab illis conceſſiſque Principiis. Nec verò *illis* fuiſſe difficilia, exinde facilè colligimus, quòd nec *offenſos* legamus

mus tantâ illâ ſermonis duritie Phariſæos, quod tamen alibi, ubi ſententiam Domini minus aſſequerentur, ſæpe contigiſſe legimus; nec ad novam explicationem quærendam excitatos ipſos etiam *Diſcipulos*. Id voluit omnino Dominus quòd alibi cùm *manus* præcipit *amputandas, oculoſque eruendos*, quoties *ſcandalo* eſſet unum è membris illis omnium chariſſimis, i. e. quoties ad *peccatum* ſolicitaret. Nec tamen quenquam legimus è *Chriſtianis* qui propterea, aut manus ſibi *amputârit*, aut oculos *eruerit*: Sed nec unquam legimus qui proinde ſibi omni manuum oculorumque *uſu* interdixerit. *Prophetarum* Dialecto conſtat uſum eſſe Dominum, non utique ad *literam*, ſed *Myſticè* duntaxat intelligendum. Eâ autem Dialecto qui manibus oculiſque præditus, ſic tamen ſibi temperârit quoties manuum oculorumque ſubſidiis ad cupiditates illicitas ſolicitaretur, quaſi cæcus mancuſque fuiſſet, ei membra illa *periiſſe*, ſtylo illo, quem dixi *Prophetico*, cenſuit Dominus, S. *Matth.* V. 29, 30. eum κυλλὸν & μονοφθαλμὸν εἰς ζωὴν εἰσελθεῖν, S. *Matth.* XVIII. 8, 9. S. *Marc.* IX. 43, 45, 47. Plane his in locis idem valent, *mancum* fieri *mutilumque* propter *vitam*, quod in illo de quo agimus, *Eunuchum* fieri propter *Regnum Cælorum*; nec magis uſum membrorum genitalium *legitimum* ille excludit *Eunuchiſmus*, quàm uſus manuum, pedum oculorumque *legitimos* excludunt illæ *mutilationes*. Nec aliò certè quàm ad concupiſcentiarum illicitarum coercionem ſpectant horum ſermonum occaſiones. Qui mulierem viderat quidem, non tamen πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, S. *Matth.* V. 28. is *oculum eruiſſe* cenſetur, v. 29. Et qui duros illos de *divortiis* non propter πᾶσαν αἰτίαν faciendis ſermones S. *Matth.* XIX. 3, 9, 10. cepiſſet tamen, v. 11. & in vitæ officiis expleviſſet, is ille eſt *Eunuchus* quem ait Dominus ob *Regnum Cælorum* ſeſe *caſtraviſſe*, v. 12. Eodem ſermonis idiotiſmo dixit apud Minucium Felicem Octavius, *Nos uxoribus noſtris ſolummodò* Viri *naſcimur*. Et Tertullianus, *Chriſtianus uxori ſuæ ſoli* Maſculus *naſcitur*. Si ſolis uxoribus

S. *Matth.* V. 29, 30.

Minut. Fel. Octav.

Tertull. Apol. c. 46.

oribus *Viri*, & *Maſculi*, ergo apud reliquas ***Eunuchi***, cum quibus nullum erat ſexûs Virilitatiſque commercium. Nec modò in ſermone *Prophetico*, ſed in alio quoque eundem vocis *Eunuchi* uſum probat *Athenagoras*. Jungit ille τὸ παρθένον & τὸ εὐνουχίαν μένειν, quaſi idem eſſet in viris Εὐνουχία, quod in Fœminis παρθένια. Rurſus Εὐνοῦχος & μονογάμους invicem opponit, ut plane *cœlibatum* Εὐνουχίαν nomine intelligat. Nec enim de *eviratis* fuerat apud *Imperatores* præſertim gloriaturus, quorum *legibus* habebantur infames. Prohibuerat enim *Domitianus* illum *Eunuchiſmum*, prohibuerat *genitalium* mutilationem *Hadrianus*, ut etiam *Circumciſionem* illo *mutilationis* nomine complecteretur. Permiſit quidem *Pius Judæis* Circumciſionem, ſic tamen ut in *reliquis* omnibus Deceſſorum decreta confirmârit. Eodemque retulerim quòd *Melitonem Sardenſem Eunuchi* titulo quaſi quodam encomio legamus exornatum. Quòd ſi omni *conjugio* abſtinentes rectè poſſimus *Eunuchos* appellare; Quidni & illos qui ita ſibi in legitimo conjugii *uſu* temperant quaſi omnem ſibi penitùs interdixiſſent? qui ita *habent uxores ut* ſint *tanquam non habentes*, 1 Cor. VII. 29?

Athenag. Legat. p. 153. Edit. Oxon. p. 157.

Matrimonium in horrore habebant primi Chriſtiani.

7. *Novam* itaque de honorandâ *Virginitate* opinionem nullam introduxit ipſe Dominus. Niſi fortè Dominum ita locutum arbitremur ut *poſteris* novæ opinionis *occaſionem* præbuerit, rectiùs illum, quàm feciſſent coævi Auditores, deinde intellecturis. Fuiſſe cauſas de quibus hoc appoſitè rectéque dici poſſit, exiſtimo. Hanc verò illis accenſeri poſſe non arbitror. Verbis diſertiſſimis Apoſtolus, quo loco Virginitatem commendandam cenſuit, *De Virginibus autem, præceptum* (inquit) *Domini non habeo.* Nec itaque prædictum de *Eunuchiſmo*, nec alium aliquem Domini ſermonem in illam, quam volunt Adverſarii, ſententiam intellexit Apoſtolus. Idem enim γαμεῖν τίμιον τὸ πᾶσι, & κοίτην ἀμίαντον pronunciat. *Aſſerentis* enim potiùs quàm *Præcipientis* ea eſſe verba, oſtendit particula Adverſativa δὲ in ſequentibus.

1 Cor. VII. 24.

Quaſi

Quaſi diceret propter illam Matrimonii πμωτητα duriorem experturos à Deo ipſo pœnam tori conjugalis violatores, quaſi quodam piaculo conſtrictos. Quod *honorabile connubium* dicit, in eo alludit, ni fallor, ad leges *Romanas*, honoreſque conjugibus à legibus *Auguſti* decretos, quos quidem *honores*, dum ipſe γαμου τιμιου agnoſcit, proinde jure meritoque neceſſe eſt agnoverit fuiſſe decretos. Cùm verò Deum violati Matrimonii vindicem minatur, jam non *honorem* Matrimonii duntaxat apud *homines*, ſed apud *Deum* aſſerit ejuſdem *ſanctimoniam*. Nec enim alibi quàm in flagitiis piacularibus pœnas illas γηλατης minabantur metuebantque Veteres. Ergo οναγοις Apoſtolo conjugii violatores. Nec modò ob *fœderis conjugalis* tacitam ſaltem execrationem, cujus ſequeſtrem Deum conjuges viciſſim interpoſuerant, verumetiam ob *corporum* Chriſto ſanctoque ejus Spiritui dicatorum ipſiuſq; vinculi Matrimonialis *ſanctitatem*, Sacrificiis plerunque, Sacerdotumque benedictione, acceſſitam. Et verò apud *Chriſtianos* propria quædam erat Matrimonii *ſanctitas*, quòd cum vinculo illo *Chriſti* & *Eccleſiæ* omnium ſanctiſſimo habere quandam crederetur affinitatem. Sic enim illa invicem contendit Apoſtolus, quaſi Typi Antitypique rationibus viciſſim reſponderent, *Eph.* V. Et ſic *Viri caput Chriſtum* ſtatuit, ſic *Chriſti caput Deum* ut *Virum caput mulieris*, 1 *Cor.* XI. 3. *Eph.* V. 23. Et ab Officiis *Chriſti* erga *Eccleſiam virorum* erga *conjuges* officia collegit, *Eph.* V. 24, 25, 26, 27. Quin & in *ſacris* Eccleſiæ *Officiis* virilis *ſexûs* honorem ex ipſo illo *Capitis* munere collegit, 1 *Cor.* XI. 3, 4, &c. ne prorſus *civilia* jura illa, nihilque *ſacri* in ſe continere, ſuſpicaremur. Nec verò mirum *Chriſtiana Myſteria* ad *conjugia* adumbranda retuliſſe Dominum, cùm eadem fœdiſſimis Symbolis adumbrârint recepta etiam *Myſteria Ethnicorum*. Is uſus *Phallorum* & *Ithyphallorum* in *Bacchicis*, in *Iſiacis*, in *Eleuſiniis*, in Sacris *Veneris* Matriſque *Dindymenis*. Idque illâ ipsâ *adumbratione* conſequebatur Matrimonium ut in *cæleſte*

illud *conjugium* redundare crederentur illius violationes, nec proinde poſſit ſine *piaculo*, & quodam quaſi *ſacrilegio* temerari. Is enim erat uſus *ſacrorum Symbolorum*, non modò ut *repræſentarent*, ſed ut unà ſignificarent quo modo homines *Symbola* tractâſſent, eo etiam fore ut & res per Symbola *repræſentatas* tractâſſe apud *Deum* æſtimarentur: & ad *Typi* contumeliam referendam fore *Symboli* contumeliam, & viceversâ honorem *Symboli* ad honorem *Typi* ſpectare. Quæ certè faciunt ad ſummum Matrimonii *honorem*. Quod verò ad *Virginitatem* attinet, cenſetur ἀσχημοσύνη, pro receptis illorum temporum opinionibus, ſiquis Virginem ὑπερκμίαν non dediſſet in Matrimonium, 1 *Cor.* VII. 36. Qui ita ſentiebant ἀσχημοσύνης ratione *Virginitati* anteponebant *Matrimonium*.

Conjugium non aſpernabantur nonnulli in Eccleſiâ *honoratiſſimi*. *Clem. Alex.* Strom. III. p. 448. & apud *Euſeb.* H. E. III. 30.

8. Nec ſane ad *honoris* diminutionem ſpectâſſe *Matrimonium* ipſum illud oſtendit, quòd viri in Eccleſiâ omnium *honoratiſſimi* fuerint *conjugati*. De SS. *Petro* & *Philippo* Apoſtolis tradit è Veterum Traditionibus *Clemens Alexandrinus*, additque *Philippum* filias ſuas *viris* elocâſſe. Idem etiam de S. *Paulo*. Sic enim γύναιον σύζυγον, *Phil.* IV. 3. intellexere veteres, quæ certè *fœminis* in eo ipſo loco accenſetur. De *illo* tamen fuerit id minùs fortaſſe certum, non tamen pugnat locus 1 *Cor.* VII. 7. Locutus enim fuerat de conjugatis, quos ne quidem *Orationis* causâ voluit invicem fraudare, ne quidem è *conſenſu*, præterquam *ad tempus*, ne *tentaret* illos *Satanas* propter *incontinentiam* ſuam. Hoc ait ſe non ſecundùm *imperium*, ſed ſecundùm *indulgentiam* dixiſſe, malle enim omnes eſſe ſicut *ſeipſum*. Quibus verbis id potiùs innuit, ſibi quoque fuiſſe *conjugem*, à cujus tamen *commercio* abſtinuerit, licèt *abſtinentiam* illam nollet aliis *maritis* injungere. Quod verò ait *Clemens* de S. *Petro*, non eſſe ſine causâ dictum ex ipſo conſtat Evangelio S. *Marc.* I. 30. Nec porro de S. *Philippo Evangeliſtâ* & *Diacono*, ſed *Apoſtolo*, verum fuiſſe quod tradit *Clemens*, exinde

exinde conſtat, quòd *Diaconi* filiæ in *Virginitate* conſenuerint, hujus *Philippi* filiæ *omnes* fuerint *viris* elocatæ. Errorem enim *Valeſii* alibi refutavi, *unam* ſaltem *Philippi Diaconi* filiam *uxorem* exiſtimantis, de quâ credidit intelligendum eſſe *Clementem*. Malè enim *Philippum Apoſtolum* putat cum *Diacono* confudiſſe *Clementem*. Neque verò rectè quis *Clementi* oppoſuerit in re *Hiſtoricâ*, recentiores *Clemente* teſtes *Tertullianum* atque *Hieronymum*. Cùm tamen ſit *Tertullianus* à ſeipſo varius. Negat ille *uxores* habuiſſe *Apoſtolos* in Opere de *Monogamiâ*, jam *Montaniſta*. Conceſſerat tamen licuiſſe Apoſtolis *nubere & uxores circumducere* in *Exhortatione Caſtitatis*, jam antea, ut exiſtimo, *Catholicus*. Et quod ait de S. *Philippo Clemens*, id è ſolâ veterum potuit haurire Traditione. *Tertullianus* omnia ejuſque excriptor *Hieronymus* è loco Apoſtoli 1 *Cor.* IX. 5. in cujus loci vero ſenſu indagando nullum illis fuit à *vetuſtate* præſidium. Conſtat denique in *Matrimonium* iniquiores fuiſſe utrumque tam *Tertullianum* quàm etiam *Hieronymum*, quàm fuerint coævæ illis *Eccleſiæ*. Ut proinde non ſit de *Antiquæ Eccleſiæ*, in hâc præſertim causâ, ſeu *dogmatibus*, ſeu etiam *Traditionibus*, ex eorum Teſtimonio ſtatuendum.

Diſſ. I. ad *Iren.* n. 33.

De *Monog.* c. 8.

Exhort. Caſt. c. 8.

9. Fateor interim, ſi *Clementem* audiamus, nullam fuiſſe uxoratis Apoſtolis, cùm *Apoſtolatum* ſuſcepiſſent, conjugale commercium. Nec uſum Conjugii à loci ſui ſanctimonia alienum cenſebant.

Ὅτι (inquit) διὰτοῦτο τῇ ἀξιοπίστῳ ἀποστολικῷ τῷ κηρύγματι ἐπηκολούθησεν, οὐχ ὡς γαμετὰς, ἀλλ' ὡς ἀδελφὰς φιλόχρι τὰς γυναῖκας συναξομένας ἐπιδίδασι πρὸς τὰς ἰδιαιτέρας γυναῖκας, δι' ὧν ἡ εἰς τὰ γυναικεῖα ἀξιοβλέπτως παρεισδύετο ἡ τοῦ Κυρίου διδασκαλία. Eodem nimirum in Evangelio diſſeminando functas putat officio Apoſtolorum *uxores* quo & Apoſtolicorum Temporum coævæ *Diaconiſſæ*. Illarum nempe miniſterio in *Gynæceo*, etiam in *Parthenonas*, quò erat *Viris* aditus, pro illius ævi moribus, ſane difficillimus, penetrâſſe Chriſti Domini Diſcipli-

Diſciplinam. Id quod ſanè concedimus fuiſſe veriſimillimum. Quod verò ait *Clemens* non ut *uxores* illas, ſed ut *ſorores*, ab Apoſtolis fuiſſe circumductas, id nec potuit è *Textu* colligere, nec verò, ut in reliquis ſolet, vel ipſe ſe è *Traditione* didiciſſe profitetur. Et verò cauſam, quàm tunc agebat *Clemens*, vel maximè læſiſſet, ſi ab *Apoſtolici* muneris dignitate alienam cenſuiſſet *conjugalis* etiam *tori* conſuetudinem. Id enim *Encratitæ* & reliqui *Nuptiarum* hoſtes Hæretici rapturi erant avidiſſimè, inque ipſum *Clementem*, &, quam tuebatur, *Eccleſiam*, converſuri. In eo certè conſtabat vis Argumenti, quòd *uxoratos* Dominus ſuiſſet *Apoſtolatûs* munere dignatus, cùm poſſet alioqui *cœlibes* in ordinem illum omnium celſiſſimum eligere. Nec ita tamen illos admiſerit, ut admiſit *Publicanum* Matthæum, *Perſecutorem blaſphematoremque* S. Paulum, *peccatorum primum*, 1 *Tim.* I. 15. ut Apoſtolos pleroſque ὑπὲρ πάντας ἀνομίαν ἀνομωτέρους, teſte *Barnabâ*. Sic enim *illos* ad *Apoſtolatum* vocavit, ut vocati deinceps mores priſtinos *exuerint*, ni exuiſſent proculdubiò nequaquam admiſſurus. Sic tamen *uxoratos* admiſit, ut liberum illis reliquerit conjugii *uſum*, etiam *poſt* Apoſtolatum, ſi minùs abſtinendum cenſuiſſent, ſummo tamen illo honore nequaquam depellendis. Aliter foret, nulla eſſet prorſus adversùs *Hæreticos* conjugio infenſos Argumentatio. Nec *ipſis* modò, verumetiam *uxoribus* eorum conceſſit Deus ut intercederent quo minùs etiam conjugii *uſum*, ſine earum conſenſu, abdicarent. Ut enim in privatorum precibus, *corporis ſui poteſtatem* non habuit *vir* ſine conſenſu *mulieris*, 1 *Cor.* VII. 4 ita nec *Sacerdotibus* conceſſit, nolentibus *uxoribus*, poteſtatem corporis ſui Jus idem *Matrimonii*. Utque *caſtimoniam* Orationi, pro receptis illorum temporum moribus, neceſſariam non impedire tamen cenſebatur *conjugii* uſus à *conjuge*, pro jure, poſtulatus; ita nec *precum* Sacerdotalium *caſtimoniam* violare potuit idem conjugii *commercium* à conjuge *nolente* abſtinere poſtulatum. Ita cenſuit etiam * *Theano Pythagorica*. Rogata enim,

* Vid. Ep. *Theanûs* & ejuſd. Apophthegm. apud *Clem. Alexandrin.* Strom. IV. p. 522.

enim, Πότερα γυνὴ λαβὼν ἀνδρὸς εἰς ὑπηρεσίαν κάτεισιν; Reſpondit, Ἀπὸ μὲν τοῦ ἰδίου ἐγκρατῶς, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀλλοτρίου ἀνυπόπτως. Nec verò neceſſe eſt ut moneam quantùm valuerint apud *Eſſenos* dogmata *Pythagoræ*, quantumque rursùs apud *Chriſtianos* mores *Eſſenorum*. Obſervavitque idem *Clemens* nullam fuiſſe *Chriſtianis* ad preces euntibus à coitu legitimo *luſtrationem*, ſupplente nimirum *Baptiſmo* Chriſtianorum univerſas *Judæorum Gentiliumque* luſtrationes.

10. Ut ergo munere ſuſcepto *abſtinuerint* ab uſu Matrimonii *nonnulli*, cùm tamen nullo neceſſario officio cogente abſtinuerint, abſtinuiſſe *omnes* parum certè veriſimile eſt. S. quidem *Petri* uxorem, adepto jam *Apoſtolatum* marito, Martyrio coronatam teſtatur idem *Clemens*, è Seniorum nempè Traditione quos ille diligentiſſimè conſuluerat. *Uxorem* ab eo in Evangelio prædicando *circumductam* conſtat ex Apoſtolo, 1 *Cor.* IX. 5. Toro fuiſſe *diſſociatam*, nec è S. *Paulo*, nec è Veterum expreſsâ *Traditione* colligitur, ſed è conjecturis parum certis. Contrarium potius innuit S. *Paulus*. Qui enim *abſtinuit*, non *circumduxit uxorem*. Proinde conſentaneum erat ut qui *circumduxerint*, illi ne quidem *abſtinuerint*. Addit S. *Paulus* Apoſtolis uxores circumducentibus *Fratres Domini*. De *Judâ* certè conſtat, fratre S. *Jacobi* quem ἀδελφόθεον appellant, nepotes ejus (υἱωνοὺς & ἐκ γένους *Euſebio*) ſub *Domitiano* Chriſtum eſſe confeſſos, & ſub *Trajano* mortuos, ſub finem, ut exiſtimo, Trajani, cùm pateretur *Simeon Cleopæ*, ſtirpemque *Davidis* univerſam *Trajanus* penitus extingueret. Sic etiam *ſecunda* poſt *Judam* generatio filios procreârit, ne dubitemus *converſos* jam *Chriſtianoſque* procreâſſe. Cùm autem Apoſtolis *maritis Fratres* hoſce *Domini* & *Cephæ* accenſet, eâdem, ni fallor, ſermonis formâ uſus eſt quâ *Homerus* cum *Trojanis Hectorem*, quâ SS. etiam literæ cum *inimicis David Sion* annumerat. Id vult igitur, *Apoſtolos*, & quidem *totæ* inter Apoſtolos

Nonnullos cum *Uxoribus* etiam *conſuevisſe* veriſimillimum eſt.

Strom. VII. p. 736. *Euſeb.* H. E. III. 30.

Apoſtolos *primariæ*, Fratres Domini & Cepham *uxores circumduxiſſe*. Quanquam etiàm alibi oſtendimus in ſede *Hieroſolymitanâ* omnium celſiſſimâ *cognatos Domini* præcipuum quendam poſt *Apoſtolos* locum tenuiſſe, eo etiam nomine *Apoſtolis* ipſis *ſuperiorem*, quòd *hæreditarius* fuerit *cognatis* illis, quouſque ſupereſſent, *Epiſcopatus Hieroſolymitanus*. Cum enim *Cleri Hieroſolymitani* præcipuum fuerit Collegium *Apoſtolorum*, Clero tamen univerſo, ipſiſque adeò *Apoſtolis* præfectus eſt *Epiſcopus Hieroſolymitanus*, ex *Apoſtolis* quidem, donec ſupereſſent *Apoſtoli*, eligendus, non aliis tamen illis quàm qui Dominum ipſum *cognatione* contigerant. Unde illud quoque ſequitur, *celſiſſimis* etiam Eccleſiæ Apoſtolicæ *locis* fuiſſe *conjugatos*, nec à conjugali etiam *commercio* alienos. Cùm enim *hæreditaria* illis eſſet Urbis *Hieroſolymitanæ* Præfectura, tam longè aberat ab eo ut illos dedeceret tori conjugalis *uſus*, ut fuerit etiam *ſemini ſancto* propagando plane neceſſarius. Sic nimirum in Urbe *Hieroſolymitanâ*. Nec aliter in Clero *Apoſtolicorum* temporum *Romano*. Jubetur *Hermas* duo Revelationum exemplaria deſcribere, *Clementi* alterum ad *exteras Civitates* tranſmittendum, alterum *Graptæ viduis* legendum *orphaniſque* ſub viduarum curâ inſtitutis, ſuum *ipſe* tertium lecturus exemplar *Eccleſiæ Presbyteris*. Videmus ut *ſimiles* delegerit qui Revelationes illas curaret communicandas ſui quiſque ordinis collegis. *Clementem* itaque *Epiſcopum* tranſmittere oportebat reliquis exterarum Eccleſiarum *Epiſcopis*; *Grapten viduam* legere collegis *viduis*. Ipſum itaque qui renunciaturus erat *Eccleſiæ Presbyteris*, *Presbyterum* fuiſſe erat ſane conſentaneum. *Uxorem* tamen *liberoſque* memorat aliquoties. Talem inquam *uxorem* quæ *nondum* eſſet, *futurâ tamen SOROR*. Fieri quidem poteſt ut *ſororis* nomine *Chriſtianam* intelligamus. Eſt tamen magis conſentaneum ut *diſſociata* à tori *uſu uxor ſororis* nomine appellata fuerit, quæ ita *ſoror* ſit ut non ampliùs *uxoris* munere fungatur. Sic ſane recentiorum Sæculorum Scriptores uſurpant plusque quoties *uxoris* nomina

Herm. Paſt. L. I. viſ. 2. n. 3. Græca ap. *Orig.* Philocal. c. 1. p. 9.

Herm. Paſt. L. I. viſ. 2. n. 2, 3.

nomina *ſororiſque* invicem opponunt. Sic illis *Hermæ* temporibus propinquior *Clemens* etiam *Alexandrinus*. Sic etiam ad ipſum *Hermam* Virgines illæ viſionariæ in turris ædificatione occupatæ, *Nobiſcum* (inquiunt) *dormies ut Frater, non ut Maritus.* Vidit hæc ſcripſitque *Hermas* poſito jam in *Romanæ* ſedis Pontificatu *Clemente* ante Annum Dom. LXXXIII. poſt An. LXIX. ſi *Ceſtrienſem*, poſt LXXIV. ſi *Eutychium* potiùs audiendum exiſtimemus. Habemus itaque temporum illorum *Apoſtolicorum* tam *Presbyterum* quàm *Prophetam*, qui tamen à *Prophetæ Presbyterique* honore *uſum* quoque ipſum *conjugii* non cenſuerit alienum.

Herm. Paſt. L. III. Simil. 9. n. 11.

11. Ut minùs tamen *Honeſtatis*, *Utilitatis* ſaltem nomine multos concedo, etiam Sæculo illo *Apoſtolico*, Conjugio *Cælibatum* antepoſuiſſe. Ipſum imprimis Gentium Apoſtolum, non *Dei* tamen *præcipientis*, ſed *ſui* duntaxat *conſulentis*, nomine. *Utilitatem* certè potiſſimùm reſpiciunt pleræque ejus *rationes*. Utilitatem illa, *Exiſtimo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem*, 1 *Cor.* VII. 26. Nempe faciliorem arbitratus eſt in *Perſecutione* conſtantiam *Cælibi* quàm *Conjugato*. Quæ certè ratio nec *abſolutè* docet, nec *ſemper*, Conjugio *Cælibatum* eſſe anteferendum. Non *abſolutè*, ſed propter noſtram duntaxat *infirmitatem* qui libentiùs *noſmetipſos* Deo Providentiæque permittimus quàm ſi etiam affectus chariſſimi *unà* devovendi ſint. Nec *ſemper* etiam, ſed urgente *Perſecutione*. Eódem ſpectat & illa, *Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi. Ego autem vobis parco*, v. 28. Nec enim ad *Virtutis* laudem ſpectat quòd vellet illos *tribulationes* non tam *vincere* quàm potiùs *effugere*. Utilitatem rursùs illa, *Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe*, v. 32. Denique illa verbis diſertiſſimis, *Porro hoc ad UTILITATEM veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam*, v. 35. Utque abſtinentiam *Utilitatis* nomine commendat, ſic viceversâ deprimit eodem *Inutilitatis* nomine Matrimonium. Imprimis propter *moleſtias* curarum Sæcularium, *Qui* (inquit) *cum Uxore eſt*,

Rationes Apoſtoli plurasque majorem Cœlibatûs Utilitatem quàm Conjugii reſpiciunt, paucæ potiorem etiam Honeſtatem.

ſolicitus eſt, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt, v. 33. Sic enim legit vulgatus Interpres. Præcipuè verò propter opinionem illis temporibus receptam de imminente Sæculi univerſi fine. *Hoc itaque dico, Fratres, Tempus breve eſt. Reliquum eſt ut & qui habent uxores tanquam non habentes ſint, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc Mundo tanquam non utentes. Præterit enim figura hujus Mundi*, v. 29, 30, 31, 32. Cùm non *præceptum Domini*, ſed *ſuum* dat *conſilium*, *diſputare* potiùs, quàm *Revelare* ipſe forte cenſendus eſt Apoſtolus. Utcunque tamen, ſeu ipſe in *humanis Ratiociniis* errârit, ſeu alii plerique *illius ætatis* homines, non rectè ejus Ratiocinia *intellexerint*; Id tamen certum, & invaluiſſe primis illis temporibus illam, quam dixi, opinionem; & ita opinantes *plus* quàm oportuit *cœlibatui*, *minus* quàm oportuit legitimo tributuros *Matrimonio*. Minuerit oportet opinio illa tam *fruitionem* ipſius *Matrimonii*, quàm generis etiam humani *propagandi obligationem*. Minuebat ipſius *Matrimonii fruitionem*. Quodnam enim, quæſo, poterant è *Matrimonio* percipere ſolatium, cùm & perpetuo *Mundi* protinus *collapſuri* terrore ſolicitarentur; nec poſſent interim ſpe *prolis* ſeſe oblectare nunquam *adulturæ*? Ita factum ut qui *haberent uxores* tanquam *non habentes* eſſent, *ſolutis Matrimonio* ne quidem *hujus vitæ* deliciis ſuperiores. Minuebat etiam generis humani propagandi *obligationem*. Quorſùm enim attinebat genus humanum *propagare* ſtatim *interiturum*? Quorſum liberos ſuſcipere nec ullis hujus Sæculi voluptatibus fruituros, & ſpe virtutis incertâ futuro in perpetuum fortaſſe cruciandos? Cùm tamen *erroneam* hanc fuiſſe conſtat Argumentationem, minùs eſt urgere illam poſtea potuiſſe, non *Tertullianum* modò, verumetiam *Hieronymum*. Hæc itaque ad *Utilitatem Cœlibatûs* referenda erant. Erant fateor & alia ejuſdem Apoſtoli Ratiocinia quæ ad potiorem *Cœlibatûs* referri poterunt *Honeſtatem*. Eò illud, *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domi-*

Domini ſunt, quomodo placeat Deo, v. 32. Et, *Virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*, v. 34. In pari itaque *Corporis* utrobique ſanctimoniâ, *Spiritu* tamen illos *ſanctiores* exiſtimavit qui ſola illa cogitarent quæ *Domini* eſſent. Quod proculdubio veriſſimum eſt ni *moleſtiæ* illæ mundanæ, bono animarum *publico* compenſentur, & ad plures redundaturo. Fieri enim alioqui poteſt ut *inferior* boni honeſti *gradus* qui ad *plures* pertineat, *ſuperiori* qui ſit tamen *privatus*, ſit etiam *honeſtate* anteferendus. Sed *fructus* illos vitæ *conjugalis* impediebant temporum circumſtantiæ quibus ſcripſit Apoſtolus. Sed verò *Corporis* majorem *ſanctimoniam* in *cœlibe* quàm in *conjugato* agnoſcit Apoſtolus, cùm pro receptis illorum temporum dogmatibus neceſſariam ſupponit *Orationi* caſtimoniam illam quæ in *tori* conjugalis *abſtinentiâ* conſtituta eſt; dum rationem etiam illam adjungit cur vellet illos, peractâ oratione, ad conſueta conjugii officia redire, *ne tentet vos* (inquit) *Satanas, propter incontinentiam veſtram*, v. 5. ne quidem reditum illum ſuaſurus ni metueret illorum *incontinentiam* in gravius aliquod flagitium, ſi prohiberetur, erupturam; dum proinde *continenti*, qui *ſtatuit in corde ſuo firmus, non habenti neceſſitatem, poteſtatem autem habenti ſuæ voluntatis*, ſuadet potiùs omnimodam caſtimoniam, v. 37. dum hoc à ſe obſervatum dicit, *ſeque* adeo *conjugatis* proponit in exemplum ne quidem *redeundi* ad officia conjugalia, v. 7. De *conjugibus* enim ſuprà fuerat illi ſermo.

12. His itaque Ratiociniis perſuaſus *ipſe* ſuaſit etiam *aliis* tanti nominis Apoſtolus negandum fuiſſe potius quàm indulgendum, illis præſertim Perſecutionis temporibus, tori conjugalis *uſum*. Neque verò eſt quòd dubitemus quin magna fuerit illius, non *Præcipientis* modò, verumetiam *conſulentis* atque *Ratiocinantis* Autoritas. Præcipuè verò illud faciebat ad majorem Cœlibatûs *honeſtatem*, quòd omnium fere gentium moribus receptum eſſet *abſtinere* ſaltem *Sacerdotes* tantiſper dum Sacerdotii *muneribus* fungeren-

Rationes aliæ quibus factum ut *Apoſtolicis* quoque temporibus coeperit in pretio eſſe *Virginitas*.

gerentur. Sic enim ad *Sacerdotii perfectionem* ſpectare credebatur, ſi perpetuò abſtinerent. Erant autem Chriſtiani *Sacerdotium ſanctum*, 1 S. *Pet.* II. 5. *Regale Sacerdotium*, v. 9. Sic autem opponi ſolebat Diſpenſatio Legalis Diſpenſationi Evangelicæ, quòd *non poſſet Lex juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem*, *Hebr.* IX. 9. nec *accedentes perfectos facere*, Cap. X. 1. Quod itaque *Legi* negatum propter ἀδυνάτου νόμου, *Rom.* VIII. 3. id *Evangelio* concedi videbatur, ut *perfectos* faceret illâ nimirum, quæ cadit in *hanc vitam*, perfectione. Proinde *perpetuò continentes* morem τελείων ἱερέων obſervare docet *Origenes*. Accedebant adeo *propenſis* ad magnificas de *Abſtinentiâ* opiniones, verba illa Domini de *Eunuchiſmo* propter *Regnum Cœlorum*, quæ, non rectè quidem illi, receptis tamen opinionibus imbuti Veteres eò facilè traxerunt. Eò certè traxerunt verba illa non recentiores modò Patres verumetiam Hæreticus antiquiſſimus *Baſilides*. Accedebant præterea *Apoſtolicorum* temporum *Hæretici* qui erant plerique *Nuptiis* iniquiores, 1 *Tim.* IV. 3. Non equidem puto *Hæreticos Orthodoxis* novarum opinionum Autores eſſe potuiſſe, *apertè profeſſos*. *Subdolè* tamen atque ex *inſidiis* agentes poterant, ſi præſertim alioqui ab illis opinionibus non admodum abhorrerent. Et verò ex *inſidiis* egiſſe omnia illorum temporum *Hæreticos* alibi probavimus. Poterant etiam confictis *Apoſtolorum* nomine libris, noviſque *Evangeliis*. Et verò hodieque habemus id genus antiquiſſima Fragmenta Operum vix dum fortaſſe defunctis Apoſtolis confictorum Matrimoniis minùs propitia. Fuit apud *Hæreticos* Liber ſub nomine S. *Matthiæ* Apoſtoli, cui titulus *Traditiones*. In eo ſcriptum erat ita docuiſſe S. *Matthiam*, Σαρκὶ μὲ μάχεσθαι καὶ ἁμαρτάνειν, μηδὲν αὐτῇ πρὸς ἡδονὴν ἀκόλαστον ὑπείκοντα· ψυχὴν δὲ ἄυξειν καὶ πίστιν καὶ γνῶσιν. Hunc locum proferebant *Baſilidiani*, deque S. *Matthiâ* dogmatum Autore gloriati ſunt. Orti nimirum illi ſub initium Sæculi *ſecundi*, ut proinde

Origen. L. VII. cont. *Celſ.* p. 365.

Baſilides ap. *Clem. Alex.* Strom III. init.

Diſſ. I. ad *Iren.*

Clem. Alex. Strom II. p. 382.

—— III. p. 436.

—— VII. p. 765.

proinde, ni ipſi confinxerint, extare illum librum *primo* etiam Sæculo oportuerit, ut *Catholicis* poſſit ſub S. *Matthiæ* nomine obtrudi. Iidem etiam Teſtimonia proferebant è commentitio quidem illo, *antiquiſſimo* tamen, *Evangelio* ſecundùm *Ægyptios*. Finxerat Autor ille, *Salome* Reſpondiſſe Dominum, Μέχρι τότε ἥξει θάνατος ἔχεις ὅ ἂν αἱ γυναῖκες τέκωσι. Item, ἦλθον καταλύσαι τὰ ἔργα τῆ θηλείας. Et rurſus reſpondiſſe *Salomen*, Καλῶς ὖν ἐποίησα μὴ τεκοῦσα. Certè hæc ad *literam* accepta *Matrimonio* videbantur adverſa, quamvis ſcio id conari *Clementem*, ut *Myſticâ* interpretatione eludat, oſtendatque aliter illa intellexiſſe *Hæreticos* quàm voluit Autor Pſeud-Evangeliſta. *Antiquitatem* autem ſummam, nec ipſis Apoſtolis inferiorem huic Evangelio aſtrueret *ſecunda* illa, quam *Romano Clementi* tribuunt, Epiſtola, ſi quidem verè eſſet *Clementis*, & ſi *priùs* à *Clemente* ſcripta quàm *prima*, ut putat *Wendelinus*. Id tamen certò ex ipſo S. *Lucâ* conſtat fuiſſe, etiam temporibus *Apoſtolicis*, ſuſpectæ fidei *Evangelia*, S. *Luc.* I. 1. Illud etiam è S. *Paulo* 2 *Theſſ.* II. 2. fuiſſe etiam *illis temporibus* Impoſtores qui *Traditiones* Apoſtolorum nomine, tam *verbo* quàm etiam *Scriptis*, obtenderent. Ut proinde curàrit Apoſtolus *notam* deinceps *genuinis Scriptis* apponendam, ſalutationem nimirum *propriâ*, non *Amanuenſis*, *manu* conſignandam, ib. Cap. III. 17. Erat autem eò facilius primis illis temporibus ut Scripta nominibus adeo venerandis aſcripta fucum facerent etiam Orthodoxis, quòd nondum *genuina* Evangelia ab *Apocryphis* decreto publico Eccleſiæ ſecernerentur, & proinde frequentiora ex *Apocryphis* Teſtimonia quàm è *genuinis* Evangeliis in *Orthodoxis* etiam *primi Sæculi* Scriptoribus advocentur, ut alibi obſervavimus. Sic itaque fontes, ni fallor, indicavimus unde opiniones illæ de *Virginitate* adeo magnificæ poſſent in Eccleſiam etiam *Apoſtolicam* emanare, præſertim adeo propenſis ad *dura* quæque ſuſcipienda eorum animis, & quæ viderentur *Sæculo* atque *voluptatibus* adverſa.

Epitom. *Theodot.* ad fin. *Clem. Alex.*

Ap. *Clem. Alex.* Strom. III. p. 452.

—— III. p. 543.

13. Illud

Cœpit certè de *Fide*, illo quoque *Sæculo*, in *honore* eſſe *Virginitas*.

13. Illud ſane conſtat, undecunque ortum habuerit, cœpiſſe tamen illis etiam temporibus in *laude* haberi *Virginitatem*. Meminit *Clemens Romanus* Schiſmaticorum qui ἁγνείας nomine ſeſe venditarent: Ὁ ἁγὼς σὺ (inquit) σαρκὶ μὴ ἀλαζονεύεσθω, γινώσκων ὅτι ἕτερός ἐστιν ὁ ἐπιχορηγῶν αὐτῷ τὴν ἐγκράτειαν. Quos etiam ſæpe in illâ Epiſtolâ eodem illo nomine perſtringit. Nec enim aliò retulerim illa, ἐγκρατευόμενοι ἀπὸ παντὸς ψεύδους, p. 39. ἐγκράτεια σὺ ἁγιασμῷ, p. 45. ἅτε ἁγνὸς σὺ ὄντες, p. 63. Quamvis hoc poſtremo loco σεμνὸς legatur apud *Clementem Alexandrinum*. Denique in fine quòd optet illis ἐγκράτειαν ἁγνείαν καὶ σωφροσύνην εἰς εὐαρέστησιν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, p. 57. Erat itaque jam illis quoque temporibus tanto in honore illa σαρκὸς ἁγνεία & ἐγκράτεια, & quidem apud *Eccleſiaſticos*, ut *Schiſmaticis* etiam Autoritatem in *Schiſmate* conflando conciliârit. Eundem *Clementem* παρθενίας ὑμνῆσαι, tradit *Epiphanius*, *Omnem pene ſermonem ſuum de Virginitatis puritate contexuiſſe*, obtendit *Hieronymus*. Sed mihi fateor illa eſſe ſuſpecta, ne forte ex *Apocryphis* Clementis nomen mentientibus deprompta fuerint, qualia multa fuiſſe certum eſt ætate *Epiphanii* atque *Hieronymi*. Ut ita ſuſpicer ipſe facit *Hieronymus*. *Eunuchis* ille inſcriptas illas Epiſtolas teſtatur, quales nullas habemus hodie, ſeu genuinas, ſeu etiam *adulterinas*. Et verò longe abeſt, ut in Epiſtola ad *Corinthios* primâ omnem pene ſermonem contexuerit de *Virginitate* S. *Clemens*, cùm & pauca duntaxat, idque obiter, de *carnis* ἁγνείᾳ, memorârit, *Virginitatis* nullâ factâ mentione. Sed nec unum in *Clemente* verbum unde colligi poſſit ἁγνεία illa fuerit*ne Virginum*, an potiùs *Viduarum*. Nec verò illa quæ ſub finem deſiderantur adeo multa ſunt ut, ſi omnia *Virginitatem* extuliſſent, dici tamen potuerit proinde Clemens *omnem pene* in

Epiph. Hæreſ. XXX. n. 15.

Hieronym. l. 1. adv. Jovin.

Ep. 1. ad Cor. p. 50. Ed. Jun.

in hâc Epiſtolâ *ſermonem de Virginitatis puritate contexuiſſe.* Accedit præterea quòd, ut *laudandam* Clemens *Virginitatem* cenſuiſſet, alienum tamen fuerit ab illius in hâc Epiſtolâ conſilio. *Laus* enim illa nimia *Schiſmaticorum* ſtudiis favebat, ut proinde non fuerit, hoc ſâltem in loco, nimium efferenda. Sed de *ſecundâ*, quæ fertur *Clementis* Epiſtolâ intelligenda hæc putat *Wendelinus*. Sed nec *Epiſtolæ* formam ſervat *ſecunda* hæc, quæ *dicitur*, Epiſtola; nec *Eunuchis* inſcribitur; nec certò conſtat in eâ ullum fuiſſe de *Virginitate* ſermonem. Et verò *recentiorem* illam eſſe *Clemente*, & pro ejus Διδαχῇ potiùs habendam, alibi oſtendimus. Sed verò *Virginitatem*, illis quoque temporibus, in pretio haberi cœptam docent illius Sæculi exempla. *Virginitatem* ſpernebant *recentiores Ebionæi*, in *pretio* habebant *antiquiores*, ἀφ' ἧς Ἰάκωβος ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου, teſte *Epiphanio*. *Virgo* itaque illis ipſe *Jacobus* frater Domini & in ſummo *Epiſcopatûs Hieroſolymitani* loco poſitus. Convenit certè cum duriſſimâ illius diſciplinâ quam ex *Hegeſippo* retulit *Euſebius*. Erant autem hâc in causâ fide digniores *Ebionæi*, quòd hæc tradiderint illius Sectæ Hæretici *antiquiſſimi* Apoſtolis coævi, & quidem adversùs placita *recentiorum*, quos utique Traditionem illam eſſe *commentos* parum certè veriſimile eſt. Eódem ſpectat quòd *Nuptiis* fuerint infenſi *antiquiſſimi* quique *Hæretici*, quòd illam causam *favorabilem*, ut videtur, exiſtimarent propter nimiam illam Sæculi ad Virginitatem *propenſionem*. Eódem ut videtur quòd S. *Paulus* ab *uxore* etiam abſtinuerit. *Uxoratis* enim, non *cœlibibus* abſtinentiam ſuam proponit in *exemplum*. Nec *Virorum* duntaxat illa erat abſtinentia, verumetiam *Mulierum*. *Philippi* filias *Prophetiſſas* in *Virginitate* conſenuiſſe teſtatur Sæculi ſecundi Scriptor *Polycrates*, & paulo illo recentior *Caius*, quos quidem ipſos è *Papiâ* hauſiſſe veriſimile eſt, qui unam earum *vidit*, eſtque allocutus, ne quem forte in illâ Traditione erronem ſuſpicemur. Idem de *Nicolai* Diaconi *filiabus* tradit.

Diſſ. I. ad *Iren.* n. 29.

Epiphan. Hær. XXX. n. 2.

Hegeſip. ap. *Euſeb.* H. E. II. 23.

Polycrat. ap. *Euſeb.* H. E. III. 31. V. 24.

Papias ap. *Euſ.* H. E. III. 37.

Clem. Alex. Strom. III. p. 436. Ap. Euſeb. H. E. III. 29.

tradit *Clemens Alexandrinus*, & ex illo etiam *Euſebius*.

Non tamen ſequitur *Virginitatem* profeſſam eſſe *juniorem* illam *Domitillam.*

14. Fuerit igitur in honore *Virginitas*; fuerint etiam *Clementis* ætate *Virgines* quæ in Virginitate *conſenuerint*: Non tamen inde ſequitur fuiſſe *Virgines* à Clemente *velandas*. Credebatur enim *Virginitas*, ut res *pulchra*, ſic *ardua* pariter atque difficilis. Utque profeſſioni reſpondere *glorioſum* erat, ſic viceversâ *ignominioſum* & infame ſi quis excidiſſet; imò verò tantò ignominioſius *hoc* quo *illud* honorificentius. Utque *Eccleſiæ honori* erat qui profeſſus publicè in ſuſceptâ profeſſione *perſeverâſſet*, ſic etiam in *Eccleſiam* redundabat ſi quis majora viribus auſus magnis auſis turpiter *excidiſſet*. Habemus in *Epheſinâ* Matronâ exemplum cujus meminit *Petronius*. Longè enim illa atrocioribus convitiis affecta eſt cum fidem falleret quàm ſi nunquam ſuſcepiſſet. Sic itaque prudentiſſimus Apoſtolus *laudavit* illam, de qua loquimur, *Abſtinentiam*, ut neminem tamen *hortaretur* illam profiteri cujus eſſent aut *vires*, aut *fides* ipſa, ſuſpecta. Neminem itaque ille hortatus eſt, niſi qui *Dono* eſſet inſtructus, 1 *Cor.* VII. 7. noluit *laqueum injicere*, v. 35. nec alios voluit profiteri quàm illos qui *in corde ſuo firmi eſſent, non habentes neceſſitatem, poteſtatem autem habentes ſuæ voluntatis, qui hoc judicaſſent in corde ſuo ſervare Virginem ſuam*, v. 37. Et verò *juniores* omnes ab hac profeſſione cenſuit arcendas, qualem ſuam fingunt Fabulatores fuiſſe *Domitillam*. Nec enim illas ad *viduitatis* profeſſionem admittere voluit, tantum abeſt ut *Virginitatis* profeſſionem illis permiſerit. Sic enim ille Timotheo, *Adoleſcentiores autem viduas devita*, 1 *Tim.* V. 11. παραιτοῦ, quâ voce indicavit à viduitatis *publicâ* ſaltem *profeſſione* eſſe rejiciendas. Sic itaque ſtatuit de *junioribus* illis in univerſum: *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamiliàs eſſe, nullam occaſionem dare Adverſario maledicti gratiâ*, v. 14. Non potuit itaque pro hujus Canonis normâ, *juniorem* illam, quam Conſulis *Clementis neptem* volunt, *Domitillam* velare

Clemens.

Clemens. Ea enim verba quanquam ita non intelligenda eſſe cenſeam ac ſi *juniores* fœminas *obligârit* ad *Matrimonium*; ſic tamen intelligenda omnino exiſtimo ut *libertatem* illis *Matrimonii* integram permittendam judicârit, ne quidem ullâ vel minimâ *infamiæ*, ſi *nupſiſſent*, labe incurrendâ. Sed *junioritatem* illam quâ tandem (inquies) *menſurâ* circumſcribes? Certè infra ætatem *ſexagenariam* circumſcripſit Apoſtolus, *v.* 9. quam ſanè ætatem nolent ſuam illam attigiſſe *Domitillam.* Et ſanè huic Apoſtoli normæ reſpondiſſe veriſimile eſt primi illius, quo vixit *Clemens*, Sæculi *diſciplinam.* Quanquàm enim jam videri-mus fuiſſe *fœminas* quæ à *nuptiis* abſtinuerint & in *Virginitatis* propoſito *conſenuerint*, nullas tamen legimus quæ ſibi viam, & quidem *Eccleſiâ* probante, ad nuptias *præcluſerint* vel *profeſſione* aliquâ omnibus *notoriâ*, nedum *promiſſione* aut *voto*, quod ſolebant recentiores. Certè locum in Eccleſiâ *publicum*, qualem poſtea habebant honoratiſſimum, nullum illo Sæculo habebant *Virgines*. *Viduas* memorat, deque illis præcipit, ut vidimus, *Apoſtolus*, quæ pro viduarum *Judaicarum* exemplo in *precibus jejuniiſque* tempus omne in Eccleſiâ conſumpſerint. *Virgines* nullas iſtiuſmodi habebant *Judæi*, nec à *Judæis* poterant accipere *Chriſtiani*, quas proinde nullas uſpiam memorat Apoſtolus. Ad eundem modum *conjugatas* memorat cum laude *Clemens* ipſe *Romanus*, non utique prætermiſſurus in *laude* illâ *Virgines*, ſi publicæ ullæ extitiſſent. Scripſit tamen hæc fateor *Clemens* ſtatim ab Apoſtolorum *morte*, cum nondum eſſet adeptus *Epiſcopatum.* Nec tamen memorat præterea qui paulo poſt *Clementem* excidiumque *Hieroſolymitanum* ſcripſit *Barnabas.* Non meminit *Hermas* qui *Clemente* ſcripſit *Epiſcopo*, cùm tamen *viduarum* meminerit verbis diſertiſſimis. Idem tamen *Hermas* viduis *orphanos* adjungit, ſub earum, ut dixi, curâ inſtituendos. Nullas *viduis* accenſet *Virgines*, ut ne quidem viduarum *Collegio* adhuc videantur aſcriptæ. Sub finem denique primi Sæculi ſcripſit S. *Joannes* Apoſtolus, qui cùm *Patres*, *filios*, & *juvenes* ſeorſim

Clem. Rom. Ep. I. ad Corinth. p. 3.

alloquatur, nullas tamen alloquitur *Virgines*, imprimis utique memorandas ſi fuiſſent quæ ſpreto ſæculo, ſe totas Divino cultui emancipaſſent.

Trajano primùm Imperante, ad *publicam* Virginitatis *profeſſionem* admiſſæ, ſed in *Viduarum* Collegio *Virgines*.

15. Nullæ itaque fuerunt, *Clemente* Pontifice, Virginitatem *publicè* profeſſæ *Virgines*. Medio tandem *Trajani* Imperio paulatim irrepſere, ita tamen *paucæ* ut *Viduis* duntaxat accenſerentur, non ut proprium conſtituerent per ſe ipſæ Collegium. Inde magno erant in honore, nec fere unquam in illorum temporum *Epiſtolis* omiſſæ. Proinde ortos hoc tandem tempore *recentiores* illos in *Aſiâ Ebionæos* Presbyteris Epiſtolas *Virginibuſque* inſcripſiſſe teſtatur *Epiphanius*. Sed verò nullum illis *proprium* fuiſſe Collegium ex *Ignatianâ* illâ ſalutatione colligimus. Salutat ille τὰς παρθένους τὰς λεγομένας χήρας. Cur enim *viduarum* nomine cenſerentur etiam *Virgines* ni fuiſſent ipſæ *Novitiæ* in *Viduarum* Collegium jam antea *notiſſimum*, aſcriptæ? Cujus moris veſtigia è *Tertulliano* obſervavit Maximus *Voſſius*. Refert enim ille *Virginem* in *Viduatu* fuiſſe collocatam, & quidem ab *Epiſcopo*. Quod tamen *monſtri* portentique loco habuit ipſe *Tertullianus*, cujus tempore *aliud* à *Viduis*, & ſatis per ſe *numeroſum* Virgines Collegium conſtituerent. Confirmantur illa porro quæ diximus etiam è *Polycarpo* qui eodem fere tempore ſcripſit quo ſcripſit *Ignatius*. Memorat ille Viduas ὀντως χήρας ἀληθῶς τὰς περὶ τὸν τόπον, quas etiam monet recordarentur ſe eſſe Dei θυσιαστήριον, ne dubitemus illum de *ſacris Viduis* eſſe intelligendum. *Virgines* ibidem nullas memorat, non aliâ, ut videtur, ratione quàm quòd illas, quæ *ſacræ* eſſent, communi fuiſſet *Viduarum* nomine complexus. Monet quidem poſtea *Virgines* σὺν ἀμώμῳ καὶ ἁγνῇ συνειδήσει περιπατεῖν. Sed verò *Laicæ* erant, non *ſacræ* illæ *Virgines*, nec *Viduis* oppoſitæ, ſed *Juvenibus*.

Epiphan. Hær. XXX. n. 2.

Ignat. Ep. ad Smyrn. fin.

Tert. de Virg. vel c. 9.

Polycarp. Ep. ad *Philipp.*

16. Quæ

16. Quæ autem *Virgines* ita fuiſſent in *Viduarum* ordinem allectæ, illas veriſimile eſt iiſdem quibus Viduæ *Legibus* fuiſſe conſtringendas. Imprimis *Annali* illâ quam ſtatuiſſe diximus de *Viduis* Apoſtolum, quam, ſuo quoque etiamnum tempore, receptam in *Viduis* obſervatamque docet, ubi ſuprà, *Tertullianus*, illudque habuit pro *monſtro* quòd *Vicennariâ* minorem *Virginem* Epiſcopus *Viduis* accenſuiſſet. Erat enim *Virginitatis* gloria quàm *Viduitatis* illuſtrior, lapſuſque adeo pernicioſior & majori cum dedecore. Et verò legem illam in *Virginibus* etiam fuiſſe obſervatam docet S. *Juſtinus*, qui poſt annum à S. *Polycarpo* ſcripſit circiter XXX. Sic enim ille de Chriſtianis *Virginibus*: Καὶ πολλοί τινες ἤ πολλαὶ ἐξηκοντοῦται ἤ ἐβδομηκοντοῦται, ὅτι ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ ἄθρυπτοι ἀφθορίαν. Nullas hoc in loco agnoſcit Virgines *ſexagenariis* minores quæ fuerint Virginitatem *profeſſæ*. Sic & *Athenagoras* circiter annum turſus à *Juſtino* XXX. *Chriſtianis* ἀνδρας ἤ γυναῖκας fuiſſe tradit καταγηράσκοντας ἀγάμους. *Seniores* ſolos *Virginitatis* nomine illuſtres celebrat *Athenagoras*, Senectutis *modum* è *Juſtino* didicimus. Neque porro veriſimile eſt *publicas* etiam illas *Viduas* promiſſione aliquâ *verbis* conceptâ, nedum *voto*, ad illam, quam profitebantur, Abſtinentiam fuiſſe conſtrictas; ſed vitæ duntaxat durioris *profeſſione* & à voluptatibus alienæ, pietatique deinde inſumendæ.

Virgines in Viduarum Collegium admiſſæ nullæ minores ſexagenariis.

Juſt. Ap. II. p. 62.

Athenag. Leg. p. 153. Ed. Oxon.

17. *Voti* certè nullam legimus in *Judithâ* mentionem, ſed nec in *Annâ* Prophetiſſâ, quæ *Viduitatem*, pro receptis *Judæorum* moribus, profitebantur. Eo potiùs nomine laudatas legimus, quòd tot annis primo Matrimonio ſuperſtites, & quidem in ætatis flore conſtitutæ, ſecundum tamen Matrimonium nullum unquam admiſiſſent. Quæ certè laus eò erat illuſtrior quo votis illæ promiſſiſque fuiſſent ſolutiores. Idem ſecutas exemplum conſentaneum eſt receptas, ex earum exemplo, *Chriſtianorum* quoque

Vota apud Viduas nulla. Explicatur locus 1 Tim. V. 12.

viduas. Verba ſunt Apoſtoli de nubentibus viduis, Ἔχουσι κρῖμα ὅτι τὴν πρώτην πίστιν ἠθέτησαν, 1 *Tim.* V. 12. Quæ ſcio aliter interpretari ſolere *Romanenſes.* *Fidem* enim illam de perpetuæ deinde Abſtinentiæ *voto*, κρῖμα verò de *æternâ* ad *inferos damnatione* intelligunt propter *voti* violati *ſacrilegium* ſimul atque *perjurium.* Longe tamen illi aliter quàm ſenſerit Apoſtolus. Πρώτη illa πίστις de primâ illâ erat intelligenda fide quam *primis nuptiis* & *primis* etiam *maritis*, obſtrinxerant. Sic enim verba illa ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν, *Gen.* II. 24. coævi primis Chriſtianis *Judæi*, eorumque exemplo primi etiam *Chriſtiani*, quaſi *duorum* duntaxat, *unius* nempe *viri uniuſque uxoris*, pro primâ ejus à Deo *inſtitutione*, oporteret eſſe *Matrimonium.* Vocem enim illam δύο inſerendam docent, non LXXII. duntaxat Interpretes, ſed, & Codex *Samaritanus*, ſed & *Novi Teſtamenti*, & coævi illis quotquot habemus, Scriptores qui locum illum è Veteri Teſtamento proferunt. Duos præterea ita intelligebant quaſi *duo Viri Uxoreſve*, etiam invicem *ſuccedentes*, cum primario illo, à Deo inſtituto Matrimonii exemplo pugnarent. Non quidem ita ut ſecunda Matrimonia prorsùs *illicita* exiſtimarent, ſed aliena duntaxat à primâ Matrimonii *inſtitutione* Divinóque in eadem Inſtitutione *conſilio*, nec proinde à *generoſis* ſeu *Viris* ſeu *Fœminis*, magnorumque exemplorum æmulatoribus obſervanda. Ad eundem plane modum quo & *Divortia* Divino conſilio contraria ex iiſdem verbis collegit Dominus, cùm tamen idem interim agnoſceret à Lege *Moſaicâ* permitti ipſa illa divortia *Deo* adeo ingrata. Sic itaque *ſecunda* quoque *Matrimonia* à *Lege* permiſſa ipſe cenſuit Apoſtolus, *Rom.* VII. 1, 2, 3 Nec proinde prohibet, 1 *Cor.* VII. licèt diſſuadeat. Si ergo Deus *unicos* viros uxoreſque etiam eſſe voluit *unicas*, ad *fidem* primo marito uxorive datam *violandam* ſpectabant *ſecunda Matrimonia.* Ita argumentatur ſæpe *Tertullianus.* Non tamen, uti vulgò creditur,

creditur, pro ſuorum duntaxat *Montaniſtarum* ſententiâ. Ita etiam, pro ſententiâ *Judæorum* Chriſto coævorum, Argumentatus eſt *Alexander* Herodis M. è *Mariamne* filius. *Glaphyram* ille conjugem, poſt mortem *Alexandri*, è quo liberos ſuſceperat, duplicibus deinde nuptiis irretitam reprehendit, primis *Jubæ* Regis Mauritaniæ, ſecundis fratris è Patre *Archelai*, & tanquam *ſuam* in ſomnio aſſeruit, exprobratâ illi fidei ſibi datæ violatione. Quo viſo ſomnio paucis inde diebus *Glaphyra* è vivis exceſſit. Eâdem etiam de causâ Chriſto recentior *Athenagoras ſecundas Nuptias* ὠραιπᾶ γαμίας appellat, propterea quòd *primi* conjugii *fidem* in *ſecundo* violatam crederet. Scripſit ille quidem poſt ortum *Montani*, ſed antequam *diſſidia* Eccleſiam, *Montani* nomine, turbâſſent. Nec ſane ὠραιπᾶ fornicationem illam potuit appellare pro ſententiâ *Montani* qui damnavit *ſecundas Nuptias* quaſi prorſus *illicitas*. Vox ipſa ὠραιπᾶς ſatis indicat *licitas* quidem fuiſſe, pro ſententiâ *Athenagoræ*, eorumque quorum obibat Legationem *Chriſtianorum*, ſecundas quoque Nuptias. Cæterùm crediderunt pro *Dei* in Matrimonio inſtituendo *conſilio*, primi Matrimonii *fidem*, etiam decedente primo conjuge oportere conſtare. Unde ſequebatur, pro illâ fœderis conjugalis interpretatione, *primi* conjugii *uxorem* in ſecundo non tam *nuptam* eſſe quàm *adulteram*. Quæ tamen interpretatio non magis efficiebat ut *pœnam* Adulterii, per Legem etiam *Divinam*, ſecundò nuptæ incurrerent *æternæ damnationis*, quàm efficiebat ſimilis illa alia Domini Interpretatio eorundem *Moſis*, in Matrimonii inſtitutione, verborum, ut & *divortia* fuerint *æternâ damnatione*, in *Moſaicâ* Diſpenſatione, punienda. Sic enim collegit Dominus, *Qui dimiſerit uxorem, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat*, S. *Matth.* V. 32. S. *Marc.* X. 11. Idem valet μοιχᾶται illa apud *Dominum*, quod πορνᾶται apud *Athenagoram*. Utque propter σκληροκαρδίαν *Judæorum*

Joſeph. Antiq. XVII. 15.

Athenag. Leg. p. 153.

rum

rum indulta potiùs quàm *probata* eſſe dicit Dominus, in Lege *Moſaicâ*, divortia; ſic & indulta potiùs quàm *comprobata*, propter ſimilem in Evangelio σκληροκαρδίαν, credebant primi Chriſtiani *ſecunda* etiam eſſe *Matrimonia*. Sicut itaque in Lege *Moſaica*, egregii erat exempli ſiquis ſibi, etiam in *indultis*, alienis tamen à *mente* Domini, divortiis temperandum cenſuiſſet; ſic etiam in *Evangelio* κεκώλυτο habebatur, ſiquis abſtinuiſſet à *ſecundis Matrimoniis*. Sic certè habuit S. Apoſtolus dum non alios quàm *unius Matrimonii* tam *viros* quàm *fœminas* ad *Epiſcopatûs Diaconiſſatúſve* gradum cenſuit admittendos. Sic certè *primævi* Chriſtiani plerique dum receptam illam docent apud Chriſtianos conſuetudinem ut *unica* agnoſcerent plerique aut *nulla* Matrimonia. Quæ ſæpe legimus apud Patres à *Montani* placitis alieniſſimos. Fruſtra autem κρῖμα illud ad *æternæ damnationis* ſententiam referunt *Romanenſes*. Adeò non neceſſariò denotat vox illa abſolutè ſumpta Judicium *Divinum*, æternamve damnationem, ut ſæpe aliis vocibus adjectis ad eam ſignificationem reſtrinxerit Apoſtolus. Nonnunquam κρῖμα Θεῦ, nonnunquam κρῖμα ἀιώνιον appellat. *Probra* duntaxat & *contumelias* hominum quibus afficiendæ erant deficientes à laudabili propoſito *viduæ*, earumque fortaſſis occaſione *Religio* quoque ipſa *Chriſtiana*, denotavit Apoſtolus. Dedit enim operam ἵνα ἀνεπίλημπτοι ὦσιν, 1 *Tim.* V. 7. μᾶλλον ἀφορμὴν λαβῦσαι τῷ ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν, ver. 14. Sic enim *ludibrium* dedit *Epheſina* Matrona apud *Petronium*.

Minut. Fel.

Nec proinde, pro *Viduarum* exemplo, *Virginibus* erant *Vota* aut *Velo* ab *Epiſcopis* imponenda.

18. *Fidem* itaque *conjugii primi*, quæ verè *prima* erat, cùm *ſolam* memoret Apoſtolus, proinde conſentaneum eſt, ut non *aliam* ab illis datam, nec *aliam* ab illis in ſecundo Matrimonio *læſam* exiſtimemus. Aliter ſane foret, ut ne quidem *junioribus Viduis*, jam Viduitatem *profeſſis*, licuerit *nubere*, quod tamen ſuadet, uti vidimus, Apoſtolus. Cùm enim

enim præcipit junioribus nubere, & *nullam occaſionem dare Adverſario maledicti gratiâ*, v. 14. conſtat utique non de aliis illum, quàm de *junioribus* viduis, hoc in conſilio eſſe præcipuè intelligendum. Nec enim aliarum quàm *profeſſarum* Viduarum *nuptiæ* Adverſariis occaſionem λοιδόρας erant miniſtraturæ. Tam ergo cavet ne denuo *juniores* ad Viduitatis *profeſſionem* admitterentur, quàm etiam ne in Viduitatis profeſſione *perſeverarent*, publicâ nimirum illâ, etiam jam *antea* profeſſæ. Exigebat enim cauſa, quam agebat, ipſa ut *profeſſas* verbis diſertiſſimis exciperet, ſi quidem ipſe voluiſſet *exceptas*, indefinitâ illâ, nec limitem habente, præceptione alioqui includendas. Atqui votum Abſtinentiæ profeſſas ne quidem devitandi Adverſariorum *opprobrii* causâ, patiuntur ad *nuptias* redire noſtri, in hâc causâ, Adverſarii. Quin potius *nuptiarum* credunt *ignominioſius* eſſe illis *opprobrium* quàm *fornicationum* etiam aliquoties *repetitarum*. Idem itaque ſenſerit neceſſe eſt, ſi cum illis utique ſenſiſſet, Apoſtolus. Nec aliam fuiſſe *Virginum*, illis nempe temporibus, cauſam diſcimus è *Cypriano*, illis nimirum pariter *licitas* fuiſſe *Nuptias* ſi non poſſent ceſſo illi Virginitatis conſilio, pro dignitate reſpondere. *Si autem perſeverare* (inquit) *nolunt, aut non poſſunt, nubant melius eſt* NUBANT *quàm in ignem delictis ſuis cadant.* Idem tamen *Chriſto* illas *ſeſe dedicâſſe* teſtatur *n.* 1. *Chriſto* eſſe *dicatas n.* 2. nec *mariti* illas, ſed *Chriſti* fuiſſe *adulteras*. Nullum itaque fuiſſe in illâ *dedicatione votum* colligit *Rigaltius*. Sed nec de *velatis*, quarum *votum* erat *ſolemne*, intelligi poſſe concedit *Romanenſium* partibus multò quàm fuerit *Regaltius* addictior *Pamelius*. Quod ille etiam ex aliis harum Virginum notis colligit, tum in hâc Ep. LXII. tum præſertim in Libro de *Diſciplinâ & habitu Virginum* memoratis. Talis illa, quòd *ſe dicaſſe dicantur*, *quum velatæ* (inquit) *ab Epiſcopis conſecrari ſoleant, non à ſeipſis tantùm Deo dicari*. Tales & aliæ illæ, quòd *Virgines de quibus loquitur Cyprianus cum Maſculis habitarent*; quòd

Ep. LXII. Pamel.

balneas

balneas promiſcuas, quòd nuptias adire illis liberum erat; quòd quædam earum divites erant; quòd certo habitu non uterentur, uſque adeo ut ornatum earum ſuperfluum taxare oportuerit Cyprianum. Quæ omnia in Virgines velatas non competunt, inquit Pamelius. Doceat itaque *Pamelius*, doceat *Romanenſium* alius quiſpiam, fuiſſe illis temporibus *Virgines* alias arctiori Diſciplinâ cuſtoditas ad illud uſque Sæculum quo ſcripſit *Cyprianus*, cùm jam *proprium* Virgines, & à *Viduis* diverſum conſtituerent per ſe ipſæ Collegium.

Recapitulatio. 19. Nulla itaque erat, quam volunt à *Clemente* velatam, *ſecunda* illa *Domitilla*. Nulla illis *Clementis* temporibus, *Virginum*, per *velum* ab *Epiſcopo* induendum *ſolennis conſecratio*. Nullæ primis Chriſtianiſmi temporibus quæ *Virginitatem* fuerint vel *profeſſæ*. Nullæ ſub *Clemente* ad profeſſionem ejus *publicam* admiſſæ. Nullæ etiam *recentioribus* Clemente temporibus, præterquam in *Collegio Viduarum*, & *iiſdem* quibus *Viduæ* proinde *legibus* aſtrictæ. Nullæ minores *ſexagenariis*; Nullæ *promiſſionibus*, nedum *Votis* aut *Juramentis*, aliiſve ullis *vinculis*, præterquam ipsâ *Facti* profeſſione, ad *Abſtinentiam* obligatæ. Nullæ denique *poſtea*, cùm jam aliud à *Viduis* collegium *ſolæ* conſtituerent, ſeu *velo* imponendo, ſeu alio aliquo ſolenni ritu, ab *Epiſcopo* conſecratæ, ne quidem ſeſqui-Sæculo à *Clementis* obitu elapſo, cum ſcriberet *Cyprianus*. Tantum abeſt ut verum eſſe potuerit recentiorum illud de *velatâ* à *Clemente Domitillâ* commentum, nedum ut potuerit teſtibus fide dignioribus, melioribuſque monumentis opponi. Nec verò *Bedâ* aliquem antiquiorem fuiſſe exiſtimo qui vel meminerit, nullum ſcilicet qui infra annum floruerit à *Clementis* morte *ſexcenteſimum*. Ne dicam multa eſſe Eruditis ſuſpecta, an *Bedæ* fuerint, in *Bedæ* illo, quod habemus, *Martyrologio*, à *Floro* nimirum, aliiſque *Floro* fortaſſe *recentioribus* interpolata.

20. Venio

20. Venio jam ad ſecundum Argumentum de *Martyrio Clementis quod Cherſonæ tertio Trajani Anno ſuſtinuiſſe dicitur.* Sed quo tandem idoneo *Teſtimonio* conſtat *Martyrem* fuiſſe *Clementem?* Non dixit *Martyrem* in Pontificum Catalogo *Irenæus*, qui tamen de *Teleſphoro* obſervavit illum *glorioſiſſimè Martyrium feciſſe*, idem proculdubio de reliquis *Teleſphori* in *Romano* Pontificatu *collegis* obſervaturus ſi quos verè *Martyres* cognoviſſet. Nuſpiam *Martyrem* dixere qui ejus Teſtimonia adduxerant *antiquiores* Euſebio, qui tamen aliis illum encomiis ornant libentiſſimé. *Apoſtolum* illum appellat *Clemens Alexandrinus*, niſi potiùs Ἀποστολικὸν legendum ſit, eo enim nomine ſolent Veteres illos ſæpe compellare qui fuiſſent Doctrinæ *Apoſtolicæ* primarii *Traditores. Apoſtolorum*, & præſertim S. *Petri Diſcipulum* Origenes. Ne dicam alia Veterum elogia Euſebio *recentiorum*. Iidem tamen quoties *Martyrem* teſtem advocant, id ſolent notare plerunque diligentiſſimé. Sic enim *Tertullianus*, ſic *Polycrates*, ſic & alii *Euſebio* recentiores. Pro ingenti enim, quo fuerunt illorum temporum *Martyres*, honore ad Teſtimonium ipſum commendandum plurimum faciebat ſiquis *Martyr* teſtis adduci poſſet. *Quid ergo* (inquit *Tertullianus*) *ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi Vidua, ſi Virgo, ſi Doctor, ſi etiam* MARTYR *lapſus à Regulâ fuerit, ideo Hæreſes veritatem videbuntur obtinere?* Sed nec *Martyrem* agnovit *vetus* illa *Martyrum Depoſitio Bucheriana.* Habet illa quidem *Martyrem Clementem*, ſed *alium*, ut videtur, illum à noſtro *Clemente Pontifice.* Deerant enim illi Collectori *primorum Pontificum* monumenta, ut probavit noſter Cl. *Ceſtrienſis.* Defuiſſe *Martyres* vel illud Argumento eſt, quòd *Teleſphorum Martyrem* ignoraverit, quem tamen *Martyrem* fuiſſe teſtatur *Irenæus.* Eſt etiam *dies* alius ab illo quo *noſtrum* volunt paſſum eſſe *Clementem. Nov.* enim IX. ponitur *Bucherianus* ille *Clemens*, cum tamen *Clementem Pontificem Nov.* XXIII. ſtatuant *Martyrologi.* Alii etiam *Socii* Claudius,

Ad ſecundam Obj. Reſp. Veriſimile non eſt *Martyrem* obiiſſe *Clementem.*

Iren. L. III. c. 3.

Tert. Præſcr. c. 3.

Nicoſtratus, & Sempronianus. Niſi potius fortaſſe legendum *Symphorianus*. *Symphorianum* enim *Claudio* & *Nicoſtrato* ſocium in *Martyrio* adjungunt *Martyrologi*, & quidem Imperante *Diocletiano*. Diem paſſionis aſſignant *Nov.* VI. qui propiùs *Clementi Bucherianо*, quàm *Pontifici*, reſpondet. Accedit denique & *locus* feſti celebrandi omnino alius. *Eccleſiam* titulo S. *Clementis* Pontificis *Bucherianæ* Depoſitionis Autori, qui ſub *Liberio* ſcripſit, coævus memorat *Hieronymus*. Proinde Natalem *Clementis Pontificis*, ſiquis illis temporibus celebratus fuiſſet, non alibi celebrandum fuiſſe veriſimile eſt. Sed verò *alteri* illi *Clementi* in *Comitatum* ſacra facta tradit Autor *Bucherianus*.

Nec *Martyrem* diſertis verbis appellavit *Euſebius*; credidit tamen, ſed nullo fretus, ut videtur, Veterum *Teſtimonio*. H.E. III. 34.

21. Sed nec verbis illum diſertis *Martyrem* appellat *Euſebius*. Sic enim in Hiſtoriâ: Κλήμης Εὐαρέστῳ παραλύει τῷ λειτουργίαν, ἀπαλύει τοῦ βίου. Verba molliſſima, nec *mortem violentam* propriè exprimentia. Idem tamen Euſebius *Teleſphorum Martyrem* obſervavit ex *Irenæo*. Idem de *Clemente* proculdubiò obſervaturus ſi quem *teſtem* illius quoque *Martyrii* fide dignum adhibere potuiſſet. Nec duriora habet ex Euſebio Hieronymus: *Obiit* (inquit) *tertio Trajani anno*. Primi, ut exiſtimo, diſertis verbis *Martyrem* agnovere *Rufinus* & *Gregorius Turonenſis* Autores fabuloſiſſimi, & Veteris præſertim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ imperitiſſimi. Et tamen puto Martyrem *credidiſſe* aut haberi voluiſſe *Euſebium*, propriis nimirum ductum *conjecturis*, non diſertis Veterum *Teſtimoniis*. Facit ut ita ſuſpicer annus ille *Trajani* tertius quo *Clementem* deceſſiſſe credidit, nimirum fatalis ille, uti obſervavit capite ſuperiori *Ceſtrienſis*, Veterumque erroribus quamplurimis inſignis, in quem illi *mortem S. Joannis* Apoſtoli, Perſecutionem *Trajani*, & incerta adeo ſub Trajano *Martyria* omnia conferebant, quibus ducti conjecturis Nos in ejuſdem Capitis *Additionibus* oſtendimus. Quòd ergo illo Anno defunctum ſtatuat *Euſebius*, non aliunde illum collegiſſe veriſimile

De Script. Eccl. *Clem. Ruffin.* de adult. libror. *Origen.*

ſimile eſt quàm quòd *Martyrem* crediderit, & quidem ſub *Trajano*. Sic enim erat in Annum *Perſecutionis*, quem & *unicum* illos agnoviſſe ibidem oſtendimus, neceſſariò conferendus. Atque ita *mortem* Clementis, *Perſecutionem* Trajani, & Apoſtoli *mortem* unis eiſdemque *COSS.* aſſignat Autor *Chronici Alexandrini*. Nec enim certè ſolet *Euſebius*, quoties haberet fide dignos, quos ſequeretur, Autores, eorum nomina prætermittere. Signavit ille diligentiſſimè *annum* ipſum ex *Ariſtone Pellæo* quo debellatus eſt *Barcochebas*. Signavit etiam è *Bruttio* Chronographo *annum* quo Perſecutus eſt *Domitianus*. Nec prætermiſit etiam *Proconſules*, quibus paſſus eſt *Sagaris* ortuſque *Montanus*, nec *Legatum Syriæ* Conſularem ſub quo paſſus eſt *Simeon Cleopæ*. Et cùm *annum* certum, quo exceſſerit, deſignare non poſſet, id tamen annotandum cenſuit, ſub *Trajano* ſaltem mortuum eſſe *Apoſtolum*, atque *Irenæi* Teſtimonio confirmandum *Clementiſque Alexandrini*. Nulla itaque eſt ratio cur credamus ſi vel *Martyrium Clementis* certo aliquo Autoris fide digni *Teſtimonio* poſſet aſtruere, non fore utique, quod tamen in *Teleſphori* causâ fecerat, adducturum; nedum ſi ipſum etiam *annum* ex Autore deſignare. Quod cum non fecerit, proinde conſentaneum eſt ut credamus illum, hæc è ſuis potiùs collegiſſe conjecturis quàm certis Veterum Teſtimoniis.

22. Sed unde (inquies) in *errorem* illum poterant incidere, ut qui *verè* Martyr non fuerit, habuerint tamen illi pro *Martyre* Clementem? Inde, ut opinor, quòd *Clementem Conſulem* (cujus mentionem fecerat cum *Domitillâ* *Bruttius*) cum *Pontifice Clemente* confuderint. Verè autem *Martyrem* fuiſſe *Clementem Conſulem* conſtat ex *Dione*. Cur ita ſentiam, facit quòd *cognatum Cæſaris* noſtrum faciant *Clementem* Eucherius recentioreſque Fabulatores. Verè enim *Flavius Clemens Conſul* erat *Domitiani* Cæſaris ἀνεψιὸς, ſive *conſobrinus*, teſte etiam eodem *Dione*. Fuiſſe enim in Gente *Flaviâ* agnomen *Clementis* non modò ex hoc uno

Confuderunt Fabulatores Clementem Conſulem verè Martyrem cum Clemente Pontifice.

discimus exemplo, verumetiam è *Clemente Alexandrino* Scriptore Christiano celeberrimo. *Titum* enim *Flavium Clementem* illum quoque appellabant Codices antiquissimi. Inde obiter intelligimus de Anni potius XCV. quàm XCIV. *Consule* Clemente *Arricino* intelligendum esse *Dionem*; & cùm duplex sit in loco *Bruttii* lectio, veriorem esse illam quæ Persecutionem anno *Domitiani* XV. assignet quàm quæ XIV. Intelligimus præterea quâ fide dignus sit Autor Anonymus Fragmenti de Peregrinationibus *Petri* & *Pauli* à *Patricio Junio* in suis ad *Clementem* Notis editi. Ait Fabulator iste captum cum S. *Petro* sub *Nerone Clementem* dimissum à militibus quia esset *Cæsaris συγγενὴς*, oblitus nimirum, non Gentis *Domitiæ*, sed *Flaviæ* agnomen fuisse *Clementem*, nec *Neronis* adeo, sed *Domitiani*, *affinem* fuisse, quicunque demum is fuerit, *Martyrem Clementem*. Nec tamen è *Dione*, sed potius *Bruttio*, deductam puto illius erroris *occasionem*. *Dionem* enim si consuluissent, jam constitissent eodem tempore quo *Domitilla* relegata est, etiam unà interfectum *maritum* ejus *Consulem* fuisse *Clementem*, & ad *Domitiani* Persecutionem *Martyrium* ejus proinde fuisse referendum. Quod sane verisimile est è *Dione* ipso hausisse recentiores, qui ita *Fastos Pontificales* digesserant, ut sub *Domitiano Clementem* obiisse crediderint. Sed verò *Eusebianus* ille *Bruttius* ita *Domitillam*, Clementis, ut putavit *Eusebius*, ἐξαδέλφην, *relegatam* esse scribit, ut nihil interim significet quid factum fuerit de ipso *Clemente*, cædis illius nullâ prorsùs factâ mentione. Inde factum existimo ut *Martyrium* ejus sub *Trajano* potiùs quàm *Domitiano* collocârint. Quòd enim *Martyrem* crederent, ipsâ ejus cum *Domitillâ*, quam primò *Confessorem*, dein *Martyrem* existimabant, conjunctio, satis verisimilem præbebat occasionem. Sic enim illi omnes, quicunque in *Martyrum* Historiâ, quâcunque tandem occasione, commemorarentur, nullo prorsùs adhibito judicio, *ipsos* pro *Martyribus* habuerunt. Sic in *Historiâ* Martyrum *Lugdunensium* & *Vien-*

Euseb H.E. VI. 13. *Phot.*

nensium

nenſium Zacharias S. *Joannis Baptiſtæ* Pater obiter duntaxat commemoratus occaſionem dedit Fabulatoribus *Zachariam Epiſcopum Martyremque* confingendi. Sic in *Martyrum Epiſtolâ* ad *Eleutherum* commendatus *Irenæus*, laudatuſque eo nomine quòd eorum *particeps* fuiſſet, deinde *Martyr* habitus eſt & in eâdem illâ *Lugdunenſium Viennenſiumque* Perſecutione credebatur eſſe ſublatus. Sed verò nullâ etiam oblatâ occaſione erant *Veteres* ad id ſatis per ſe proclives ut *Apoſtolos* Viroſque *Apoſtolicos* pro *Martyribus* haberent. Quid illis S. *Lucæ* verbis ſimplicius colloquium Domini cum *Cleopâ* alioque Diſcipulo commemorantis, *Emmauntem* proficiſcentibus? Quàm illa à *Martyrii* mentione aliena? Et tamen hinc *Cleopam* illum *Martyrem*, & quidem *Emmaunte*, extuderunt Impoſtores. Adeo nulla illis tam ſterilis eſt occaſio quin poſſit, illis fingere volentibus, novos Martyres procudere. Nimius eſſem ſi vellem, hoc in loco, exempla congerere.

23. Nec ſolus ab *Euſebio* diſceſſit *Eutychius* in eo quòd mortem *Clementis* non ad illùm quem dixi, *Trajani* annum produxerit. Diſcrepant etiam rationes *Pontificalis* quocunque tandem modo illæ verſentur. Tantum abeſt ut ad *Trajanum* vixerit ſecundùm Autorem *Pontificalis*, ut ne quidem *Veſpaſiano* fuerit ſuperſtes. Sed & hìc apparent veſtigia Veritatis. Qui enim turbavit rationes *Pontificalis* omnes inſititius iſte *Cletus*, in eundem deſinit annum LXXXIII. Ær. *vulg.* in quem deſiiſſe *Clementem* teſtatur *Eutychius*. Proinde ſatis veriſimile eſt, ſiqua habuerit Autor *Pontificalis* Teſtimonia, quæ ſequeretur, Hiſtorica de *COSS.* quibus ſingulorum Pontificum initia exituſque deſignat, nec plane illa omnia ſeu ipſe confinxit, ſeu ab aliis conficta, ſuis tamen rationibus aptanda cenſuit (loquor enim de primo Catalogi *Pontificalis* Autore *Bucheriano*) eſt (inquam) veriſimile fuiſſe Pontificem qui verè in illum deſierit annum in quem ille *Cletum* fictitium intruſerat. Scio quidem legi ibidem hodie, *Obiit Martyr tertio Trajani*, de *Clemente*. Sed in *Bucheriano* Catalogo omnium antiquiſſimo ea nulla com-

Eſt etiam alliunde ſuſpecta receptior illa diſpoſitio quâ *Clemens* mortuus ſub *Trajano* creditur.

comparent, & primus illa ex *Hieronymo* interpolavit secundi Catalogi Autor, qui sexto tandem Sæculo sub *Justiniano* floruit, securus interim quàm illa suis Hypothesibus minimè inservirent. Nobis satis est *primo* Catalogi Autori, qui eodem, quo *Eusebius*, quo etiam *Hieronymus*, Sæculo floruerit, alios fuisse tamen, quàm *Eusebio* fuerint, Autores (*Latinos* fortassis illos cum fuerit ipse *Latinus*) & ad *Eutychianas* nostras rationes propiùs quàm ad *Eusebianas* accedentes. Sic enim constabit, ne quidem fide *Historicâ* certum esse quod tradit *Eusebius*, Clementem *tertio* Trajani *anno* è vivis esse sublatum. Uni enim *Eusebio* duos opponimus, tam *Eutychium* quàm *primum* Catalogi Pontificalis *Autorem*, & *antiquiores* illos etiam *Eusebio* Autores quos illi fuerint secuti. Commendat præterea *Eutychii* in *primis* hisce *Pontificibus* fidem tanta illa rationum ejus tam *invicem* inter se, quàm cum *Imperatorum* annis cum quibus conferuntur, concordia, præsertim in Autore parum alioqui per se accurato, parum etiam consequentiarum perspicaci. Alibi certè, cum suspectiores sequeretur Autores, sub Sæculi secundi finem, & tertii præsertim initium, non adeo invicem respondent *Imperatorum* annis anni *Pontificum*. Sed verò ad Errorem illum de *recentiore* Clementis *morte* fovendum, præter *Eusebium*, etiam suppositiam *Ignatii* ad *Mariam Cassobolitam* Epistolam contulisse verisimile est, quam tamen nihili esse, jam facilè concedunt Eruditi. Contulit præterea quòd ab Apostolorum *morte* Pontificum Annos numerandos plerique *Veterum* censuerint.

Ad tertiam Obj. Resp. Scripsit Clemens ad Corinthios sub Nerone, non sub Domitiano.

24. Sequitur tertium Argumentum de *Persecutione Domitiani*, quâ *sæviente* scriptam volunt nonnulli illam quam habemus *Clementis* ad *Corinthios* Epistolam. Sed nullo Veterum Testimonio confirmant ita sentientes recentiores, qui saltem illis in illâ sententiâ præiverit. Non ita dixit *Hegesippus*, non *Dionysius Corinthius*, non *Irenæus*, non *Clemens Alexandrinus*, non *Origenes*, sed ne quidem *Eusebius*, ex quo tamen pleraque quæ quidem fide digna tradunt,

tradunt, hauſere recentiores; ſed ne quidem recentiores aliqui ante editam à *Junio* illam *Epiſtolam*. Quare è *Clementis* Epiſtolâ *ipſâ* repetendum erit, ſiquod habeant ſententiæ ſuæ fundamentum. Agnoſcit quidem *Clemens* συμφορὰς & περιπτώσεις quæ Eccleſiam *Romanam* aliquandiu à ſcribendo impedierint. Sed verò illas nuſpiam innuit à *Domitiano* fuiſſe, nedum à *Trajano*. Nec debent illi hæc *Clementi*, ſed ſuis duntaxat, ſine teſte, ſine fundamento, *conjecturis*. Tantum abeſt ut ita ſcripſerit ſenſeritve *Clemens*, ut plane alias συμφορὰς deſignet, antiquioreſque *Domitiano*. Sic enim ille præfatur, Apoſtolorum SS. *Petri* & *Pauli* Martyria commemoraturus, ἐλθωμὲν (inquit) ἐπὶ τοὺς ἘΓΓΙΣΤΑ γενομένους ἀθλητὰς λάβωμεν τοὺς γενεᾶς ἡμῖν τοὺς γενναίους ὑποδείγματα. Ecquis eſt quin videat verba hæc ad prædictas συμφορὰς & περιπτώσεις eſſe referenda? Aliter foret ne ἔσχατοι haberentur Apoſtoli, ſi *recentiores* alios noviſſima illa Perſecutio ſuſtuliſſet. *Neronis* itaque Perſecutionem ab eo deſignari conſtat quæ prædictos ſuſtulerit *Apoſtolos*. Sequitur de *Apoſtolis*, Τούτοις τοῖς ἀνδράσι πολιτευσαμένοις συνηγμένον πολὺ πλῆθος ἐκλεκτῶν ὑπομεῖναν πολλοὺς ἀθλους & βασάνους ἔφθασε ζῆλος παθόντας, ὑπόδειγμα κάλλιστον ἐγένοντο ἐν ἡμῖν. Quòd ait paſſos in ea Perſecutione Chriſtianos exemplar optimum ἐν ἡμῖν fuiſſe, *Romæ* paſſos ſatis manifeſtò innuit, ut proinde & *Apoſtolos* Romæ paſſos ſignificet quibus *aggregatos* ait illos fuiſſe *Martyres*. Ait præterea fuiſſe πολὺ πλῆθος. Et *multitudinem* eorum *ingentem* tradit *Tacitus* qui in eâ Perſecutione perierint. Quæ cum *Romæ* perierit, proinde *turbis* duntaxat popularibus, atque Imperatoris *injuſſu*, contigiſſe, quod ſæpe tamen in *Provinciis* contigit, parum certè veriſimile eſt. Sed nulli memorantur illis temporibus *Imperatores*, qui *Chriſtianos* fuerint perſecuti præter *Neronem* atque *Domitianum*.

Clem. Ep. 1. ad Corinth. p. 1. Ed. Jun.

Pag. 71

tianum. Et quidem ſub Domitiano *multitudinem*, quæ perierit, nullam fuiſſe alibi probavimus. Porro ἀκίας & βασάνους memorat *Clemens.* Nempe ἀκίας intelligit βασανιστὰς, quibus nimirum non tam *puniretur* ſcelus admiſſum, quàm potiùs in cauſam ſceleris & conſcios *inquireretur*, & rei, pro moribus Romanorum, ad *confeſſionem* adigerentur. Sic enim ait *Tacitus* de *incendio*, *correptos primùm qui faterentur*, *deinde indicio eorum multitudinem ingentem fuiſſe convictam.* Id enim operam dedit *Nero*, ut in *incendiarios* quæreretur, utque averſam à ſe incendii infamiam in *Chriſtianos* ipſe converteret. Sunt & alia in eâdem Epiſtolâ multa quæ de aliis quàm *primis* illis proximiſque *Apoſtolorum* Martyrio temporibus intelligi certè vix poſſint. Sic enim ille de *Templi Judaici* officiis loquitur quaſi adhuc illa in *uſu* eſſent, quaſi etiamnum à *Chriſtianis* ipſis probata
Pag. 53. atque obſervata. Τῷ ἀρχιερεῖ (inquit) ἰδίαι λειτουργίαι δεδομέναι ΕΙΣΙ, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ Λευίταις ἰδίαι διακονίαι ΕΠΙΚΕΙΝΤΑΙ· ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασι ΔΕΔΕΤΑΙ. Rurſùs: Οὐ παραχωροῦμεν, ἀδελφοὶ, τοῦ μέρους τῆς θυσίας ἐκλείπειν, ἢ ψυχαῖς, ἢ τοῖς περὶ ἁμαρτίας, ἢ πλημμελείας, ἀλλ' ὁ Ἱερουσαλὴμ μόνη, καὶ ἐπὶ ταύτης οὐκ ἐπὶ παντὶ τόπῳ ΠΡΟΣΦΕΡΕΤΑΙ, ἀλλ' ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, μεμωμοσκοπηθὲν τὸ προσφερόμενον ἀπὸ τῶν ἀρχαίων, καὶ τῶν προφερόντων λειτουργῶν. Οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ κλήρου τῆς βασιλείας αὐτοῦ πωλῆσαι τι, φάσαντι τὸ ὀφείλειν ΕΧΟΥΣΙ. Verba omnia videmus *Præſentis* eſſe *temporis.* Quod verò ultimo loco addit *mortis* ſupplicio luiſſe ſi quis aliquid admiſiſſet quod Divinæ voluntati minùs eſſet conſentaneum, *pacatam* certè ſupponit urbem *Hieroſolymitanam*, nec primis Belli *initiis* agitatam. Aliter, ut verum fuiſſet, nondum Sacra ab illis fuiſſe violata (quod tamen primis *Sicariorum* Seditionibus, conſtat eſſe falſiſſimum) non tamen

men potuit è tanto intervallo *Clemens*, hoc verum esse *præsumere*, & pro *Argumento* in Adversarios intorquere. Scripsit itaque ante *Neronis* annum XII. quo Bellum illud primùm erupit. Conveniunt porro Schismatis illius, cujus occasione scripsit S. *Clemens*, occasiones cum illis quas supremis illorum Apostolorum temporibus è Scriptis eorundem extitisse discimus. Ut plane illas brevi tempore sopitas jam denuò excitatas esse consentaneum sit. Superioris sub S. *Paulo* Schismatis *Corinthiaci* duæ erant præcipuè causæ, alia *Spiritualium* de donis suis superbientium elatio atque ostentatio; alia *dubitantium* de *Resurrectione* mortuorum, quæ etiam eædem secundos quoque illos excitabant sub *Clemente* eorundem *Corinthiorum* Schismaticos. Erant sub S. *Petro* ἐμπαῖκται, 2 *Pet.* III. 3. לעיס qui de Christo dicerent, *Ubi est promissio, aut adventus ejus? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ*, v. 4. Erant etiam sub *Clemente* qui dicerent, Ταῦτα ἐκόπασεν ἡ ἀπὸ τῶν πατέρων ἡμῶν, ἢ ἐπὶ γηραίους, καὶ ὑπὸ ἡμῶν τέτοια συμβέβηκεν, qui etiam Orthodoxos χλευάζειν solerent & μυκτηρίζειν, p. 51. ut solebant ἐμπαῖκται illi *Petrini*. Pag. 11.

Postremis illa S. *Petrum* scripsisse temporibus è Cap. I. 14. colligimus. Nec diu certè ab eorum *ortu* potuit illis ita respondere *Clemens*, ἐπ' ἀληθείας ταχὺ ἡ ἔξοδος πλησίασεν τὸ βούλημα αὐτῶν. Certè diutiùs σωτήριαν distulit qui sub *Clementis* Pontificatu scripsit *Hermas*, cùm jam diutinâ expectatione fatigarentur ἀνέχειν illi, quorum idem meminit Infideles. Sed & in Ecclesiæ *Corinthiacæ* Regimine plures innuit etiamnum fuisse *superstites*, qui locum ab ipsis accepissent *Apostolis*, p. 57. quanquam etiam *nonnullos* decessisse concedat, p. 58. alioſque in eorum locum à viris ἀλλογίμοις subrogatos, p. 57. *Fortunati* meminit nominatim, qui cum Legatis Romanis *Claudio Ephebo* & *Valerio Vitone* Epistolam illam detulerit ad *Corinthios*. *Herm.* L. I. Vis. III. n. 1.

rinthios. Ejuſdem meminit ad eoſdem *Corinthios* etiam Apoſtolus, 1 *Cor.* XVI. Venerat fortaſſe è *Corintho* ad *Apoſtolum* Schiſmatis nuncius *Fortunatus* ipſe *Corinthius*, & ſublato per *Martyrium* Apoſtolo, & *Lino* ſeu fugato ſeu in cuſtodiam tradito (in *Lini* enim Pontificatum incidit hæc Epiſtola, ſecundùm rationes *Eutychianas*, Anno LXIV. ſcripta) ita Clero *Romano* data fuerit occaſio reſcribendi, & è ſuis Legatos duos unà cum *Fortunato* remittendi.

Pag. 82. Quo ſenſu Eccleſiam *Corinthiam* ἀρχαῖαν appellârit *Clemens.*

25. Sed ἀρχαῖαν (inquiunt) appellat *Clemens Corinthiorum* Eccleſiam, *antiquam* reddit *Junius*, quæ tamen ante decennium, & quod excurrit, fundata, *antiqua*, ut exiſtimant, ſub *Nerone* appellari non potuerit. Sed *Mnaſonem* legimus ἀρχαῖον μαθητὴν, *Act.* XXI. 16. ſuperſtitibus etiamnum *Apoſtolis*, nec magno certè à converſione *Corinthiorum* intervallo, primam enim eorum converſionem habemus *Act.* XVIII. Errârunt itaque Viri Eruditi à vera vocis ἀρχαίας ſignificatione. Ab *Evangelii* enim ἀρχῇ dicta eſt *Corinthiorum* Eccleſia ἀρχαῖα, quippe quæ fuiſſet primâ illâ *Evangelii* ἀρχῇ ad fidem Chriſti converſa. Proinde ἀρχαῖα, *primordialis* potiùs quàm *antiqua* fuerat appellanda. Nempe in Eccleſiâ illâ *Apoſtolicâ* ut ſummo erant in honore homines etiam *privati*, qui *primi* fidem Chriſti in Eccleſiâ fuiſſent amplexi, præ aliis ejuſdem Eccleſiæ *membris*; ſic erant etiam inter *Eccleſias* illæ quoque honoratiores *Eccleſiæ* quæ conditæ ante alias fuiſſent Eccleſias, illæ verò *honoratiſſimæ* quæ in ipsâ *Evangelii* ἀρχῇ credidiſſent. Nec verò ἀρχὴν illam intelligebant ἀρχαποστόλων omniumque veriſſimam, quam à Chriſti *Baptiſmo* inchoare ſolent *Evangeliſtæ*, quæ ἀρχὴ erat Evangelii *univerſalis*, ſed *localem* aliam atque *particularem*, quâ primò Evangelium in ſuam appuliſſet *Eccleſiæ* cujuſque *Provinciam.* Sic enim Eccleſiæ *Theſſalonicenſi* gratulatur Apoſtolus quòd illos elegiſſet Deus ἀπ' ἀρχῆς, 2 *Theſſ.* II. 13. quòd prima nimirum Evangelio credidiſſet Eccleſiarum *Macedonicarum*, ut

V. DIſſ. II. ad *Iren.* §. 15.

ibidem

ibidem oſtendimus. De eâdem quoque ſingularum Eccleſiarum ἀρχῇ intelligenda etiam S. *Joannis* Apoſtoli illa, ἦν ἀπ' ἀρχῆς, 1 S. *Joan.* II. 7. ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς, ib. & v. 24 & III. 11 & Ep ſecundâ, v. 5, 6. de *Traditionibus* nimirum à *primâ* uſque Evangelii *ſuſceptione* ſuſceptis. Sed verò in hâc etiam, de quâ agimus, Eccleſiâ *Corinthiorum* fuiſſe ſuam quoque ἀρχαιότητα, eundem, de quo agimus, habemus teſtem, ipſum nempe *Clementem*. Sic enim ille de priori S. *Pauli* ad illos Epiſtolâ; Τί ὠφέλησε ὑμᾶς ὁ Ἀρχῆ τῆς Εὐαγγελίου ἐγκαλῶν; Non aliam intellexit ἀρχαιότητα quàm quâ primùm *Achaiæ* inſonuit Evangelium. Solebant enim Apoſtoli prædicare per χώρας, inquit *Clemens*, & πόλεις. Per χώρας hîc non *ſuburbicanas Regiones* intelligo cum *Blondello*, ſed laxiori ſignificatione ipſas potiùs *Provincias*. Ergo *Provinciarum* converſionem ab *urbibus* teſtatur cœpiſſe *Clemens*, atque ibi poſita μαλλόντων πιστεύειν prima fuiſſe fundamenta. *Achaiæ* autem Provinciæ *Proconſularis* Civitatem *primariam* conſtat fuiſſe *Corinthum*; & quidem inde *Provinciæ* illius converſionem *cœpiſſe* conſtat, illam ſibi ſedem delegiſſe *Apoſtolum*, totoque tempore quo in illâ fuit *Provinciâ*, non alibi fuiſſe quàm *Corinthi*, *Act.* XVIII. Sic itaque rectè illa *Eccleſia* in ἀρχῇ converſa eſt, & cùm aliæ quoque ejuſdem Provinciæ *Eccleſiæ* ad fidem accederent, rectè tamen *illa* quaſi proprio quoque encomio ἀρχαία potuit, *primis* quoque illis *Evangelii* temporibus, appellari. Quanquam etiam ſi *Antiquitatem* eâ voce deſignari concederemus, non *abſolutè* tamen illa, ſed duntaxat *comparatè*, fuerit intelligenda. Abſolutè Eccleſia nulla *antiqua* appellari potuit ætate *Clementis*. Sed cum *recentes* eſſent omnes, alia tamen aliâ dici potuit *antiquior*, atque adeo *antiqua*, ſi vox ea aliarum *Eccleſiarum* reſpectu intelligeretur. Sic autem oſtendimus *Corinthiam* Eccleſiam *Achaicarum* omnium fuiſſe *antiquiſſimam*.

Pag. 61.

Pag. 54.

CAP. VII.

I. *Euariſtus ſedit ab An. Dom.* LXXXIII. *ad An Dom.* XCI. II. *Alexander ab An. Dom.* XCI. *ad An. Dom* CI. III. *Acta Alexandri non ſunt ſincera*; IV. *Neque antiqua:* V. *Sed potius nova, nec ante* VII. *Sæculum ſcripta.* VI. *Xyſtus ſedit ab An. Dom.* CI. *ad An. Dom.* CXI. VII. *Qui poſt obitum S. Joannis Apoſtoli Paſcha* ἀ κρίβειαν *inſtituiſſe videtur.* VIII. *Teleſphorus ſedit ab An. Dom.* CXI. *ad An. Dom.* CXXII. *quando glorioſe Martyrio coronatus eſt.*

1. SEquitur ſecunda Epiſcoporum Tetras, & quidem integra; *Euariſtus, Alexander, Sixtus, Teleſphorus*, de quorum numero aut ordine nulla lis. Apud Optatum deeſt quidem Alexander; ſed vitio, ut opinor, Librarii; Auguſtinus enim, qui Optatum ſequitur, eum non omittit. Horum tempora eo modo diſponenda ſentio, quo apud Eutychium digeſta reperiuntur. Ille autem de Imperio Domitiani agens, في سنتين من ملكه صير اورسطس بطريرك علي رومية اقام ثمان سنين ومات *Anno*, inquit, *Imperii* ipſius *ſecundo conſtitutus eſt Euariſtus Patriarcha Romæ; ubi cùm octo annos ſediſſet, mortuus eſt.* Hæc Eutychius, qui de numero annorum, quibus ſedit, à Græco Catalogo non diſſentit. Sedit igitur Euariſtus ab An Dom. LXXXIII Coſſ. Domitiano IX. & Rufo II. uſque ad An. Dom. XCI. Coſſ. Trajano & Glabrione; hoc eſt, ad Domitiani annum decimum. Unde obiter obſervandum,

dum, quanta fides Martyrologio Romano Baronii adhibenda sit, in quo ad XXVI. Octobris scriptum est, *Romæ S. Euaristi Papæ & Martyris, qui Dei Ecclesiam sub Hadriano Imperatore suo sanguine purpuravit.* Cùm Liber Pontificum XI. Trajani, Eusebius XII. Catalogus tertius Trajani III. eum decessisse tradat: neque Veterum quisquam ad Hadriani tempora perveniſſe doceat. Imò Breviaria antiqua, & illud etiam à Sixto V. editum, *Euaristus Græcus, ex Judæo patre, Domitiano, Nerva, & Trajano Imperatoribus pontificatum gessit.* Sed ex recognitione Clementis VIII. & Urbani VIII. post editos Baronii Annales, Domitiani & Nervæ nomina expunguntur; nomen Trajani remanet, Hadriani non adhibetur. Cautè satis! quia proximus Papa Alexander in Breviario, sub Trajano Ecclesiam gubernâsse, etiam post Decretum Concilii Tridentini, dicebatur. Et Pseudo-Isidorus, qui duas spurias Epistolas Euaristo tribuit, primam datam vult Valente & Vetere Coſſhoc est, A. D. XCVI. ante mortem Domitiani; alteram, Gallo & Bradua Coſſhoc est, A. D. CVIII. Trajani undecimo. Illum scilicet Euaristi primum, hunc ultimum ex Tabulis Romanis hausit, & Epistolis, ut solet, tanquam primum, & postremum Pontificatûs annum affixit. Quæ autem nostrum calculum ex Eutychii Annalibus conscriptum propriè confirmant, ad finem hujus tetradis referuntur; ubi ea argumenta ex historiæ monumentis afferentur, quæ aliorum errores circa horum quatuor Pontificum tempora clarè & abunde refellent.

وفي عشر سنين من ملكه صير الاسكندرس

بطريرك علي روميه اقام عشر سنين ومات

II. *Anno Imperii Domitiani decimo Patriarcha Romæ factus est Alexander, qui ibi decem annos sedit, dein mortuus est*, inquit Eutychius. Sedit igitur Alexander ab An. Dom. XCI. Trajano & Glabrione Coſſ. usque ad An. Dom. CI.

Trajano

Trajano IV. & Pæto Coſſ. Et quidem Martyrologium Romanum tradit Alexandrum Papam Maii tertio ſub Trajano paſſum eſſe; ſed pro Trajano Hadrianum ſubſtituit Baronius, cùm tamen ipſe Liber Pontificum ſub Trajano eum deceſſiſſe tradat, cum Breviario & Martyrologiis, quæ Veterem Catalogum ſequuntur; & Catalogus tertius Trajani XIV. In antiquis omnibus MSS. & Editionibus Romani Breviarii, teſte Heinſchenio, & in Editione ex decreto Concilii Tridentini & Pii V. juſſu factâ Anno Domini MDLXXXIV. Alexander ſub Trajano gubernâſſe dicitur. Sed poſtea ex arbitrio Baronii pro Trajano Hadrianus ſubſtitutus eſt, & nunc ex autoritate Clementis VIII. & Urbani VIII. error ille manifeſtiſſimus, etiam à viris Romanæ Eccleſiæ eruditis agnitus & reprehenſus, retinetur. Dicit quidem Baronius ibidem ſe Alexandri Martyrium ſub Hadriano contigiſſe in Annalibus pluribus demonſtraſſe; ſed nè unum quidem argumentum illic affert; & Acta quæ id ipſum profiteri ait, contrarium planè profitentur, Alexandrum enim ſub Trajano paſſum eſſe tradunt: eaque in Annalibus nimiâ antiquitate mendoſa eſſe fatetur; unde eum caſtigat Heinſchenius, qui errore alio, nec minori eadem Alexandri Acta deprædicat, tanquam illuſtria & ob ſuam antiquitatem veneranda, & planè ſinceriſſima & integerrima: unde & ex iis Chronotaxin deceſſorum & ſucceſſorum Pontificum ſtabilire conatur. Neque dubitandum eſt, quin Acta vetuſtis Catalogis conſentiant; non tamen puto cum Heinſchenio ea ſincera eſſe, quia iſti Catalogi veri non ſunt, & ad eorum normam conformata ſunt Acta.

III. Priuſquam igitur de tempore Pontificatûs Xyſti quicquam ſtatui rectè poterit, de ſinceritate, & antiquitate horum Actorum diſſerendum: præcipuè cum tantopere iis confidat Heinſchenius. Quod ad ſinceritatem attinet, an ea Acta ſinceriſſima dici debeant, quæ tradunt Epiſcopum Romanum ſub Imperio Trajani *Senatorum maximam partem convertiſſe ad Dominum?* Nonne hoc tam apertè falſum

falsum est, ut qui hoc asserit, fidem mereri in aliis non potuerit? An illa Acta pro sinceriſſimis haberi debent, quæ sub Trajano nobis repræsentant *Præfectum Urbi*, nescioquem, *Hermen vel Hermetem cum servis suis* MCCL. *cum uxoribus & filiis eorum ad fidem conversum, servosque omnes* confestim *libertate donatos*, imò *ingenuos* esse factos? An illa Acta adeò sincera sunt, quæ Euentium quendam Presbyterum proponunt, qui *cùm esset viginti annorum Presbyter ordinatus est* (ipsis Apostolicis temporibus, secundo vel tertio Neronis anno) & Alexandrum passum esse dicunt, cùm esset annorum XXX. adeoque Cathedram Petri occupasse cùm fuisset annorum XXII. Quis enim feret, ut Blondellus rectè observavit, *Venerabili Ecclesiæ toto orbe celeberrimæ Presbyterio juvenculum circa annum* XXII. *præditum caput* tunc *datum fuisse?* An illa Acta pro sinceriſſimis habenda sunt, quæ docent Xystum Alexandri successorem ipso statim initio Imperii Hadriani, in via Numentana in prædio Severinæ *ordinasse Episcopum, qui omni die quæ sunt sancta Martyribus celebraret?* An credibile est Trajanum *utriusque militiæ Comitem* (si quis eâ dignitate præditus ipsi adfuisset) in Occidentem mittere voluisse *ad interfectionem omnium Christianorum*, eo ipso tempore quo omnia in Oriente retro relapsa sunt, exercitus fusi, duces occisi, aut à Judæis ubique pressi? Non hæc vera, non sincera, sed potiùs ficta & falsa omnia, nec tam *mendosa* quàm mendacia esse videantur. Idque nos decet profiteri, qui apud antiquiſſimos legimus, quid paulo ante ad Plinium, quid paulo post ad relationem Tiberiani rescripserit, fecerituque.

IV. Ad antiquitatem horum Actorum quod spectat, quam volunt esse venerandam; certè quicunque Antiquitatem ipsam venerandam esse putant, nunquam aut hæc aut his similia antiqua esse largientur. Laudem primævæ antiquitatis ipse Actorum autor respuit, indicatque ea omnia quæ tum gesta esse narraverat, diu postea à se scripta fuisse: quamdiu postea, non immeritò quæritur.

Heinsche-

Heinſchenius ea proponit *ob ſuam antiquitatem veneranda utpote ante perſecutionem Decianam Sæculo tertio conſcripta.* Sed quo argumento tanta antiquitas iis vindicatur? Nempe quia legitur in Actis, *Ideoque locus ipſe habet proprium Sacerdotem uſque ad hodiernum diem.* Nimirum primò ſupponit Sacerdotem hoc loco ſignificare Epiſcopum, ſecundò eum fuiſſe Epiſcopum Nomenti; ſed utrumque improbabile eſt. Primò quia Sacerdos qui ad eum remanſit, opponitur Epiſcopo, qui primò ordinatus eſt; nec potuit eſſe Epiſcopus Nomenti, erat enim tantummodò proprius Sacerdos illius loci, hoc eſt prædii Severinæ. Ratio utcunque ſic procedit; *Quandoquidem non eſt veriſimile, quod ſub S. Sylveſtro habuerit locus ille Epiſcopum, veriſimile fit, hæc Acta eſſe ſcripta Sæculo tertio in ea Eccleſiæ pace quæ Decii perſecutionem præceſſit.* Nihil hîc niſi veriſimile præfertur, & hoc veriſimile tantummodo ex alio non veriſimili deductum. Idque tandem deſinit vel in Decianâ vel Dioclecianeâ perſecutione. In confeſſo igitur eſt, quicquid Alexandro Epiſcopo contigit, id omne centum & viginti aut ſeptuaginta annis factum, antequam hæc Acta ſcriberentur; unde magna pars venerationis veræ antiquitati debitæ deteritur.

V. Mihi autem alia argumenta ſuppetunt quibus rectè probari puto, Acta hæc non ante Decianam, vel ante Diocletianeam perſecutionem eſſe conſcripta. Quirinum tribunum, ut Acta referunt, *Chriſtiani in via Appia ſepelierunt in cœmeterio Prætextati.* At hæc Actorum autor ſcribere non potuit ante obitum Prætextati. Ille autem non ante Diocletianeam perſecutionem, ſed in ipſa ſub Maximiano paſſus eſt. Nominant Acta Aurelianum *Comitem utriuſque militiæ*; quiſquis autem ille fuit, eo titulo deſcribi non potuit, antequam talis titulus inventus eſt, hoc eſt antequam magna formæ Reip. Romanæ mutatio per Conſtantinum facta eſt, poſt quem tandem Comitatûs rei militaris mentio ſæpe fit. Hanc Comitatûs dignitatem duraſſe notat Heinſchenius ad tempora Arcadii & Honorii, quod nemo

nemo negat. Sed ad suam sententiam propugnandam ostendere debuerat, summam illam dignitatem sub Imperio Trajani, aut saltem ante Persecutionem Deeianam in usu fuisse. Denique non tantum post primum Catalogum & primævum Martyrologium Romanum, in quibus nulla harum rerum memoria est; sed & post Catalogum secundum, nec ante septimum Sæculum scripta hæc Acta fuisse puto. Scripsit ad Gregorium Magnum VI. Sæculo exeunte Eulogius Patriarcha Alexandrinus, petiitque ut sanctorum Martyrum Gesta ab Eusebio collecta ad se transmitteret. Respondit Gregorius lib. 7. Ep. 29. se adhuc nescivisse, an ea ab Eusebio collecta fuerint. *Præter illa enim*, inquit, *quæ in ejusdem Eusebii libris de gestis sanctorum Martyrum continentur, nulla in Archivis hujus nostræ Ecclesiæ, vel in Romanæ urbis Bibliothecis esse cognovi, nisi pauca quædam in unius Codicis volumine collecta.* Hoc igitur tempore nullum Martyrologium vel sub Eusebii, vel sub Hieronymi nomine Romæ extabat. Interim quale fuerit quo Romani utebantur, sic describit; *Nos autem pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos Passionibus collecta in uno Codice habemus nomina, atque quotidianis diebus in eorum veneratione missarum solennia agimus. Non tamen in eodem volumine, quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, & locus, & dies passionis ponitur.* Cum jam Gregorius Codicem Romanum tam disertè explicuisset, in cæteris Ecclesiis Occidentalibus ad eam amussim conformata sunt Martyrologia, & plerumque sub Eusebii vel Hieronymi nomine edita. In his Martyrologiis, die tertio Maii hæc legebantur; *Alexandri, Euentii, & Theodoli*; vel, *SS. Alexandri, Euentii, & Theodoli*; vel, *Romæ natalis Ebeuti, Alexandri, Theodoli.* Hæc secundi Catalogi Autor sub initio septimi Sæculi statim arripuit, & ad Alexandrum primum Romæ Episcopum retulit. Unde secundus Catalogus in Gestis Alexandri Papæ hæc habet, *Martyrio coronatus cum eo Euentius Presbyter & Theodolus Diaconus.* Quæ cum brevissimè scripta essent, in secundo Catalogo, demum

mum eodem ſeptimo Sæculo, ex zelo pietatis iſti ætati convenientis in Acta hæc omnibus circumſtantiis & loci, & temporis, & perſonarum veſtita prodierunt.

Hanc ego legitimam horum Actorum antiquitatem fuiſſe ſentio, ſi modò antiquitas potiùs quàm novitas dicenda ſit, qua Autor ignotus mira quædam & planè incredibilia de Alexandro, ante quingentos annos denato tradidit; & ſimul etiam largior Martyrologiorum confectores ex his Actis ſua hauſiſſe, ſive Bedam Sæculo octavo, ſive Rabanum & Adonem Sæculo nono, aut etiam Notkerum. Cùm enim conſtet eorum Actorum exemplaria per Occidentem ubique fuiſſe diſperſa, ex illis omnino excerpta fuiſſe par eſt credere, quæ hi Martyrologi breviter tradiderunt; præſertim cum ea talia ſint, qualia aliunde habere nullo modo potuiſſe videntur. Nec igitur Actorum horum exemplaria ante ſexcentos annos ſcripta, nec Martyrologia ante octingentos aut nongentos forte annos ex antiquioribus exemplaribus deſumpta probant horum Autorem ante ſeptimum Sæculum vixiſſe. Et quamvis Eutychius poſt eum ſcripſit, ea tamen Chronologiæ ſuæ non intexuit quæ ſunt ab omni ratione aliena. Sub eodem quidem Imperatore Alexandrum obiiſſe narrat, ſed multo maturiùs, adeoque veriùs, quod proximo capite demonſtrabitur.

Interim omittenda non ſunt quæ nuperrimè ſcripſit in Nova ſua Collectione Conciliorum eruditiſſimus Baluzius, qui ut Operi ſuo παλαιγὶς ὀρθοπτι apponeret, ſic incipit,

CONCILIUM SICULUM
habitum circa annum Chriſti CXXV.

Hoc Concilium celebratum fuiſſe vult, & An. Dom. CXXV. & ſub Pontificatu Alexandri. Quæ ſi vera ſint, noſtra Chronologia admitti nullo modo poſſet, quæ docet Alexandrum XXIV. annis antea obiiſſe. Sed hæc aut vera eſſe aut veriſimilia nemo concedet, qui noverit quàm inidoneus Autor ſit ille, à quo hæc Baluzius hauſit, ad fidem de tam antiquo Concilio Siculo, cujus nulla apud Veteres memoria

memoria extat, faciendam; & ſimul reputaverit, quantum res ipſa ab illo tradita ab omni antiquitate diſcrepet atque diſſentiat. Nam primò unicus hujus inauditi aliàs Concilii conditor & inventor eſt Anonymus neſcio quis *Libri Categorici* de Hæreſibus autor, Hyginus perperam Hincmaro dictus, quòd ex Hygino neſcio quo multa deſcripſit, (quem forte Hyginum Papam credi voluit) ab aliis Primaſius ex inani conjectura cognominatus; qui cùm Prædeſtinatorum hæreſin publicare inſtitueret, omnium hæreticorum in unum librum ſectas collegit, ut ſcirent Prædeſtinati ipſum cunctis hæreſibus adverſari. Secundò, hiſtoria ipſa quam narrat planè incredibilis eſt. Poſt Ptolemæum, Marcum & Colarbaſum Auguſtini methodo uſus Heracleonem nominat decimæ ſextæ hæreſeos patrem, eumque ſub Alexandro Epiſcopo Romano virus ſuum ſparſiſſe in Sicilia ſcribit. At poſt Alexandrum in Romanâ Cathedrâ ſedit Sixtus, poſt Sixtum Hyginus, poſt Hyginum Pius, ante cujus Pontificatum non apparuit hæreſis Heracleonis, præſertim in Occidente. Præterea nominat Epiſcopos Siculos Euſtachium Lilybæorum & Panormenorum Theodorum, qui omnium per Siciliam Epiſcoporum Synodum exorabant, quorum nulla mentio eſt apud Veteres. Neque mirum videri debet hæc ab eo tradita fuiſſe, qui docere veritus non eſt Marcum decimæ quartæ hæreſeos patrem ante Alexandrum & Euariſtum à Clemente Apoſtolorum diſcipulo, fuiſſe coram omni plebe in Eccleſia detectum & æternâ damnatione punitum. De anno quidem CXXV. nihil habet Anonymus ipſe, ideoque de eo aliunde judicandum.

وفي اربعة سنين من ملكه صير كسطس
بطريرك علي رومية اقام عشرة سنين ومات

VI. *Anno Imperii Trajani quarto Xyſtus Patriarcha Romæ conſtitutus annos decem ſedit, dein moritur*, inquit Eutychius.

tychius. Sedit igitur Xyſtus ab An. Dom. Cl. Trajano IV. & Pæto Coſſ. uſque ad An. Dom. CXI. Piſone & Ruſtico Coſſ. Hunc obiiſſe volunt Baronius, Petavius & Labbéus ſub Antonino Pio An. Dom. CXXXIX. immani Metachroniſmo. Quem Euſebius & Martyrologia omnia obiiſſe tradunt ſub Hadriano, & quidem ſecundum vetuſtiſſimi Catalogi autorem Vero & Ambiguo Coſſ. An. Dom. CXXVI. Baronius Martyrologium ſuum hic manifeſtè interpolavit, in hunc modum, *Romæ natalis B. Sixti Papæ & Martyris, qui temporibus Hadriani Imperatoris* [regens Eccleſiam, demum ſub Antonino Pio] *ut ſibi Chriſtum lucrifaceret, libenter mortem ſuſtinuit temporalem.* Illa enim verba quæ unculis incluſa ſunt, Baronius ipſe inſeruit, ut ſuam Chronologiam omnibus diſſentaneam, autoritate Martyrologii Romani, hoc eſt ſuâ, ſtabiliret. Ego Xyſtum primum Romæ Epiſcopum, nec Antonini, nec Hadriani tempora vidiſſe ſentio; & Eutychio noſtro prorſus adhæreo, qui eundem numerum annorum cum Græcis & Latinis, decem ſcilicet, Pontificatui ejus aſſignat. Et Heinſchenius cùm appendiculam menſium & dierum addit, nihil aliud obtinet, quàm ut diligentius & accuratius errare videatur. Ex illis enim cum diebus obitûs Alexandri & Xyſti collatis, ſtatuit Xyſtum ſuperſtite adhuc Alexandro, *fuiſſe Epiſcopum, circa* XIII. *diem aut proxime ſequentes menſis Decembris anni* CVI. *conſecratum, & vicarium egiſſe S. Alexandri.* Immemor ſanè hic fuit Actorum Alexandri, quæ hunc Vicariatum prorſus reſpuunt. Xyſtus enim, cum Alexander erat in carcere & cum paſſus eſt, Romæ non fuit, ſi illis Actis fides habenda ſit, ſed in Oriente. Nam Severina uxor Aureliani, quæ ſepelivit Alexandrum, cum Etentio, *veſtivit ſe cilicio & tam diu jacuit ante limina Sanctorum quos ipſa ſepeliverat, donec veniſſet ex Oriente ſanctus Sixtus Epiſcopus.* Recte fecit Heinſchenius quòd obitum Alexandri ad tempora Trajani retulerit, & initium Pontificatûs Xyſti ſub ejuſdem Imperio poſuerit; ſed in anno aſſignando multum ab Eutychio & veritate diſſentit,

ſentit, dum Xyſtum Pontificatum iniiſſe vult anno vel ultimo, vel penultimo Trajani, quem ſediſſe diximus ab anno Trajani quarto, An. Dom. CI.

VII. Hæc de Xyſto vera eſſe videntur, quia paulo poſt mortem S. Joannis eum ſediſſe veriſimile eſt. Idque inde colligi poſſe puto, quòd eum Irenæus inter Epiſcopos Romanos primum ponit, qui Feſtum Paſchatis aliter, quàm Aſiani, obſervabant. Illi enim ſuum obſervandi modum à S. Joanne recepiſſe ſe dicebant; Xyſtus autem & qui eum ſequuti ſunt, eum morem non obſervabant, neque Romanis eo uti permittebant. Xyſtus igitur primus poſt S. Joannis obitum Romæ Epiſcopus conſtitutus Romanæ Eccleſiæ morem ſtabilivit: quod ante S. Joannis mortem nemo facere auſus eſt. Hæc ego obſervanda duxi ex Epiſtolâ Irenæi ad Victorem, in quâ oſtendit Anicetum Polycarpo perſuadere non potuiſſe, ut non obſervaret diem Paſchatis Judaici, quem acceperat à Joanne aliiſq; Apoſtolis, quibuſcum verſatus eſt, neq; Polycarpum Aniceto perſuadere potuiſſe, ut eum diem obſervaret, Λέγοντι τὸν Ζωνίθιον τὸν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων ὀφείλειν κατέχειν, *dicenti ſe morem prædeceſſorum debere retinere.* Nullam ab Apoſtolis in eâ re traditionem aſſerebat Anicetus, ſed tantummodo morem apud Prædeceſſores ſuos obtinentem. Quinam autem illi, & quot Prædeceſſores Aniceti fuerint, apud quos mos iſte obtinuit, Irenæus ipſe etiam oſtendit his verbis, Victorem alloquens, Ἐν οἷς οὐ μὴν οἱ πρὸ Σωτῆρος πρεσβύτεροι οἱ προστάντες τῆς ἐκκλησίας, ἧς σὺ νῦν ἀφηγῇ, Ἀνίκητον λέγομεν καὶ Πίον τὸν τοῦδε καὶ Ὑγῖνον καὶ Τελέσφορον καὶ Σύξτον, οὔτε αὐτοὶ ἐτήρησαν, οὔτε τοῖς μετ' αὐτοὺς ἐπέτρεψαν. *Presbyteri ante Soterem qui Eccleſiæ, cui tu jam præes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Teleſphorum, Sixtum, licet neque ipſi hoc feſtum eo die quo Epiſcopi Aſiæ, obſervarent, neque aliis poſt ſe ita obſervare permitterent.* Sic ego interpretor illa Anatolii verba, quæ in Canone ejus Paſchali Latinè tantùm extant; *Non acquieſcentes auctoritati quorundam, id eſt, Petri & Pauli Succeſſorum, qui omnes Eccleſias,*

Eccleſias, in quibus ſpiritalia Evangelia ſolennitatem reſurrectionis Domini in die tantùm Dominicâ poſſe celebrari docuerunt. Clarè enim morem Paſcha celebrandi die Dominico non eſſe ipſis Apoſtolis Petro & Paulo, ſed quibuſdam eorum Succeſſoribus tribuendum.

وفي اربعة عشر سنة من ملكه صير طلسفورس

بطربركا علي رومية اقام احد عشر سنة ومات

VIII. *Anno Imperii Trajani decimo quarto Romæ Patriarcha factus eſt Teleſphorus, qui cùm annos undecim ſediſſet, diem obiit*, inquit Eutychius. Sedit igitur Teleſphorus ab An. Dom. CXI. Piſone & Ruſtico Coſſ. uſque ad An. Dom. CXXII. Aviola & Panſâ Coſſ. Atque hic eſt, quem primum inter Epiſcopos Romanos *Martyrium gloriosè* ſubiiſſe apud Veteres legimus: & quidem, ut videtur, anno Hadriani ſexto, quo tempore Imperator ille Chriſtianos perſecutus eſt, poſt famem, peſtilentiam & terræ-motum. *Quarta ſub Hadriano Perſecutio numeratur, quam tamen pòſt exerceri prohibuit*, ut loquitur Severus. *Poſt Hadrianum, Antonino Pio imperante, pax Eccleſiæ fuit*, ut idem ait. Sub Hadriano igitur Teleſphorum obiiſſe tradit Autor antiquiſſimi Catalogi Cæſare & Balbino Coſſ. An. D. CXXXVII. & verba illa *Antonini Macrini* nihili ſunt: unde eum obiiſſe fatetur Heinſthenius A. D. CXXXVIII. Tertius Catalogus A. D. CXXXI. Proſper CXXII. ut editur, ut Victorius CXXXVIII. Euſebius in Chronico, Antonini Pii ſecundo An. Dom. CXL. Nuperi Chronologi Antonini XV. An. Dom. CLII. ut diſertè Petavius, & Labbæus. Hic primò pedem figere placet, & quid quantúmque hæc ad hiſtoriam præſtent conſiderandum proponere. Non ſunt gratis hæc à nobis dicta, aut ex ſolâ auctoritate Eutychii ſcriptoris ævi ſequioris, ſed quàm verè quámque neceſſariò infrà patebit. Certè Teleſphorum ultra An. Dom. CXXII. non ſediſſe liquet ex iis, quæ in hiſtoriâ de ejus Succeſſore Hygino traduntur. Nemo enim adhuc Teleſphoro Hyginum ſucceſſiſſe negavit.

CAP.

CAP. VIII.

I. *Tempora priorum Romæ Epiſcoporum confirmantur.* II. *Ante An. Dom.* CLII. *quo mortem Teleſphori ſtatuunt alii, Hæreſes ſuas vulgârunt Valentinus, Cerdo & Marcion.* III. *Quod verum eſſe de Marcione omnium recentiſſimo concedit ipſe etiam Petavius.* IV. *Poſt mortem Hygini Hæreſin ſuam primò docuit Marcion.* V. *Non vixit Hyginus ad annum* CLII. *ut exiſtimat Petavius.* VI. *Sed nec uſque ad annum* CXLII. *ut putat Blondellus.* VII. *Explicatur locus Tertulliani. Epocha Tertulliani, de ortu Marcionis, in initio Pii terminanda eſt; Et quidem Pii Imperatoris, non Pontificis.* VIII. *A Tiberii* XII. *Ær. Vulg.* XXV. *inchoanda* IX. *varia tempora, variique gradus, quibus Hæreſin ſuam vulgavit Marcion.* * * * Additio.

I. AD confirmationem temporum prioribus Epiſcopis attributorum, & alterius cujuſcunque Chronotaxeos hactenus notæ refutationem opportunius aliquod aut certius excogitari nequit argumentum, quàm quo probari poſſit B. Teleſphorum poſt An. Dom. CXXII. ſuperſtitem non fuiſſe. Neque hoc probari melius poteſt quàm oſtendendo ejus ſucceſſorem Hyginum eo anno in Cathedra Petri ſediſſe. Nam poſt initum Hygini Pontificatum ſediſſe adhuc Teleſphorum nemo dixerit. Et ſi tam maturè quàm volumus Hyginum ordinatum eſſe etiam aliunde conſtiterit, Eutychii Chronologiæ in priori tetrade diſpo-

diſponenda refragari nemo debet. Nulla enim ratio afferri queat, quæ ullius ex illis quatuor Epiſcopis proximè prioribus, annos in dubium vocare meritò poteſt. Quare ſententiam Eutychii contra aliorum omnium opiniones, à ſeipſis & à veritate plurimùm diſcrepantes ſic corroboramus.

II. Dicimus Teleſphorum Martyrio coronatum An. Dom. CXXII. Alii CLII. Ingens diſcrimen! Noſtram ſententiam dicimus eſſe veram, aliorum falſiſſimam. Falſitas eorum ſententiæ plurimis ex hiſtoriâ argumentis iiſque certiſſimis convincitur. Primò, ſi Teleſphorus ante An. Dom. CLII. non eſt mortuus, tum Valentinus ante annum (ut Petavius inde docet) CLIII. Romam non venit, & Cerdo ante annum alterum, & Marcio ante annum CLVI. Romam non vidit. Nam ſub Hygino Romam venit Valentinus, & poſt eum Cerdo ejus diſcipulus; ac non niſi poſt mortem Hygini Urbem adiit Marcio, cùm jam nondum hæreticus, ſed adulter tantùm eſſet. Hæc ſunt ex hiſtoriæ monumentis explorata: hæc Irenæus & Epiphanius diſertè tradunt, quæ ab aliis confirmantur. Irenæus lib. 3. cap. 4. Οὐαλεντῖνος μὲν γὰρ ἦλθεν εἰς Ῥώμην ἐπὶ Ὑγίνου, *Valentinus enim venit Romam ſub Hygino.* Κέρδων δέ, ὁ πρὸ Μαρκίωνος, καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ὑγίνου, *Cerdon autem, qui ante Marcionem, & hic ſub Hygino.* Euſebius hæc ex Irenæo notat. Epiphanius Anacephalæoſi de Cerdone, Οὗτος τῆς Συρίας εἰς Ῥώμην μεταστὰς τὸ κήρυγμα αὐτοῦ ἐξέθετο ἐπὶ χρόνοις Ὑγίνου ἐπισκόπου, *Qui è Syriâ Romam profectus dogma ſuum Hygini Epiſcopi temporibus expoſuit.* S. Hieronymus, *Sub Hygino Romanæ Urbis Epiſcopo Valentinus Hæreſiarches, & Cerdo magiſter Marcionis Romam venerunt.* S. Cyprianus, *Cujus* [Marcionis] *magiſter Cerdon ſub Hygino tunc Epiſcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit.* Nec illa adhuc in dubium vocata ſunt, nè ab iis quidem, qui hæc de ætate Teleſphori docent. Jam verò Valentinum

num Romam nonniſi anno demum CLIII. perveniſſe, pro monſtro haberi debet: diu enim ante eum annum ſcripſit Juſtinus contra Valentinianos, quos à Valentino nomen traxiſſe ait, mortuumque tunc ſatis Valentinum ſignificat, cùm priorem Apologiam ſcripſit, dum Marcionem adhuc vivere teſtatur. Si igitur Valentinus Romam venerit An. Dom. CLIII. ab inferis excitatus illuc venit. Multo magis mirum eſt Marcionem non ante annum CLVI. hæreſi infectum eſſe, quem Hæreſiarcham vidit Polycarpus ille, qui diu ante eum annum mortuus eſt, ut poſtea probabimus, & contra cujus hæreſin tot libros ſcripſit ante eum annum Juſtinus Martyr. Hujus argumenti vis ex ipſo Petavio clariùs eluceſceet.

III. Ille enim in Libro de Doctrinâ Temporum decimo tertio, qui Chronologiam & uſum doctrinæ fructumque continere dicitur, ad An. Dom. CXXXIV. Hadriani Imperatoris $\frac{17}{18}$, Sixti Papæ V, hæc habet, quæ & repetit in Rationario Temporum: *Marcio per id tempus hæreſin ſuam vulgare cœpit.* Et rurſus ad An. Dom. CXLVI. Antonini IX. Teleſphori VII. *Sub hoc tempus Marcio Ponticus dogma ſuum vehementiùs propagare cœpit.* Ac demùm ad An. Dom. CLII. Antonini XV. *In locum Teleſphori creatus eſt Hyginus.* Annis igitur XVIII. ante Pontificatum Hygini, ſecundùm Petavium hæreſin ſuam vulgare cœpit Marcio, quem conſtat non hæreticum fuiſſe, cùm Hyginus poſt Sixtum & Teleſphorum, mortuus eſt; & dogma ſuum vehementiùs propagavit ſub Teleſphoro, ſecundùm eundem Petavium; cùm Irenæus doceat eum floruiſſe ſub Aniceto. Quis enim credet Marcionem ſub Sixto ſuam hæreſin vulgâſſe, ſub Teleſphoro vehementiùs propagâſſe, ſub Hygino, ſub Pio etiam perſtitiſſe, & cùm per tot annos notiſſimus Hæreſiarcha fuiſſet, demum ſub Aniceto floruiſſe, (ut diſertè tradit Irenæus, qui & Marcionem pro ætate & Anicetum noſcere potuit) ſub Sotere etiam & Eleuthero, ſi modernis credamus? *Marcionis magiſter Cerdon ſub Hygino tunc Epiſcopo, qui in Urbe nonus fuit,*

Romam venit; *quem Marcion ſecutus eſt*, inquit Cyprianus Epiſtolâ ad Pompeium. Ita Cyprianus ex Irenæo lib. 3. c. 4. Κέρδων δὲ τοίνυν Μαρκίων ὁ αὐτὸς ἐπὶ Ὑγίνου, ὃς ἦν ἕκτος ἐπίσκοπος. Quomodo igitur Marcio diſcipulus Cerdonis ſub Sixto Papâ ante Hyginum, imò ante Teleſphorum hæreſin ſuam vulgare potuit, ut aſſerit Petavius? Quis crederet Virum adeò oculatum in tam manifeſtum tamque immanem errorem incidere potuiſſe? Sed hujus erroris fundamentum æquè manifeſtum eſt.

IV. Initium hæreſeos Marcionis ex hiſtoriâ, & quidem certiſſimâ hauſit Petavius, & ad annum ſuum quàm proximè redegit; erroremque Baronii optimè correxit; ſed dum Chronologiam Pontificum vitioſiſſimam à Baronio acceptam ſecutus eſt, planè ἀσύγκρατα ſcripſit. Et cùm in Animadverſionibus ad Epiphanium nonnulla enucleatè de Juſtino ſcripſerat, & ex ipſo de Marcione aliqua etiam benè obſervaverat & modeſtè protulerat; unum tamen, quòd erat falſiſſimum, aſſeveranter cenſuit, *Hygino verò demum mortuo primitus dogma Cerdonis interpolâſſe Marcionem, nullo modo cenſeo.* Illud autem omninò cenſendum fuit: neque enim quicquam aut certius, aut exploratius in Hiſtoriâ. Epiphanius Hæreſi XLII. de Marcione: Ἀποδιδράσκει τῆς πόλεως τῆς αὐτῆς, καὶ ἔρχεται εἰς τὴν Ῥώμην ἐπὶ τοῦ Ὑγίνου τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης, *Fugit ex eâdem urbe* [Sinope] *& ipſam Romam profectus eſt poſt obitum Hygini Epiſcopi Romani.* Idem Epiphanius eâdem Hæreſi, Ἵνα ἐλέγξῃ τὸν Μαρκίωνα τὸν μετὰ τοσοῦτον χρόνον ὄντα μετὰ χρόνους τοῦ κεκοιμημένου Ἀνικήτου τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου, ὃς κατὰ ἀρχὰς ἐκάτου γενομένου ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου πολλάκις· Hoc eſt, interprete Petavio, *Ex quo Marcion refellitur, qui tanto intervallo prodierit, nimirum poſt Aniceti Romani Pontificis tempus; qui ab Apoſtolorum Petri ac Pauli paſſione nonus ordine numeratur.* Mirum eſt eruditum illum interpretem hæc concoquere potuiſſe,

potuiſſe, eademque in Animadverſionibus intacta reliquiſſe. Qui ferre non potuit, ut poſt Hygini mortem Marcion prodierit; quomodo poſt Pii, imò poſt Aniceti, mortem ejuſdem hæreſeos initium referentem tulit? Sed idem hîc docet Epiphanius, quod priùs docuerat, & pro Ἀνικήτου legendum eſt omnino Ὑγίνου, quem hoc loco, ut priori, nonum Romæ Epiſcopum vocat. Quod & in hæreſi XLI. fecerat; Οὗτος τοίνυν ὁ Κέρδων ὁ ἀρξάμενος Ὑγίνου γίνεται ἐπισκόπου τοῦ ὀγδόου κλήρου ἔχοντος ἀπὸ τῆς τοῦ Ἰακώβου καὶ Πέτρου καὶ Παύλου διαδοχῆς. *Hic igitur Cerdo extitit tempore Hygini Epiſcopi, qui nonum locum à ſucceſſione Jacobi & Petri & Pauli tenuit.* Hæc Epiphanius habuit ex Irenæo, cujus verba Græcè extant apud Euſebium, quæ Interpres Vetus ſic expreſſit, *Cerdon cùm veniſſet Romam ſub Hygino, qui nonum locum Epiſcopatûs per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuit.* Hæc Irenæus lib. 1. cap. 28. eademque repetit lib. 3. cap. 4. καὶ ἀνῆλθεν ἐπὶ Ὑγίνου, ὃς ἦν ὄγδοος ἐπίσκοπος. Ubi minùs rectè Interpres, *Et hic ſub Hygino, qui fuit octavus Epiſcopus.* Unde ad Chronologiam noſtram confirmandam firmiſſimum ducitur argumentum.

V. Cùm primùm Romam venit Marcio, nondum hæreticus aut hæretici cujuſpiam diſcipulus fuit; imò rejectus à Presbyterio Romano fuit, priuſquam de hæreſi cogitavit: extra Eccleſiam poſitus Cerdoni ſe adjunxit, & quidem Romæ. Cerdo autem Romam adiit ſub Hygino Pontifice, & quidem poſt Valentinum Magiſtrum ſuum, qui ad Urbem ſub eodem Pontificatu etiam venit. Sub initio Pii Pontificis Cerdoni conjunctus hæreſin ejus didicit & Cerdonianus fuit: tum verò hæreſi Cerdonis in characterem ſuum tranſlatâ, extitit Marcio Hæreſiarcha, & virus ſuum ſparſit, ut Petavius, circa annum CXXXIV. Quis igitur hinc non colligit non vixiſſe Hyginum uſque ad annum CLII. quod tamen idem Petavius ſtatuit, qui quantum eſſet in

Chronologiâ XXX. ferè annorum diſcrimen, ſatis novit. Sed perversâ de annis Pontificum perſuaſione præoccupatus, quàm abſurda inde ſequerentur perſpicere non potuit.

VI. Blondellus quidem negat Teleſphorum ultra annum CXXXVIII. vixiſſe, & rectè admittit Marcionem Romam veniſſe poſt mortem Hygini & ante Pontificatum Pii; & meliùs quàm Baronius & Petavius Hyginum defunctum eſſe dicit An. Dom. CXLV. longè tamen etiam adhuc à veritate abeſt: Tertullianum quidem advocat, Chronologiam ejus de initio hæreſeos Marcionis uſquequaque à vero alienam eſſe pronunciat; ut autem ad ſuum propoſitum trahat, nunc hoc, nunc illud initium; nunc hunc, nunc illum finem, Tertulliani computo aſſignat; & tandem mentem Tertulliani ad normam Pſeudo-Tertulliani exponit, Apologiæ Sect. 2. §. V. Enimverò ipſe Tertullianum minimè intellexit. Quoniam autem locus ille, quem adduxit, inſignis eſt, & à nemine, quantum ſcio, rectè explicatus, & ad ſententiam noſtram non labefactandam, ſed confirmandam potiùs facit, eum haud gravatim hic explicabo.

VII. Verba Tertulliani ſunt Lib. I. adverſus Marcionem cap. 19. *A Tiberio autem uſque ad Antoninum anni ferè* CXV. *& dimidium anni cum dimidio menſis; tantundem temporis ponunt inter Chriſtum & Marcionem.* Pamelius quidem diligentiſſimus ſcriptor pro CXV. ſcribendum putavit CV. ſed perperam. Locus ille non correctione, ſed interpretatione indiget: unde incipiat, ubi deſinat illa computatio ex mente Tertulliani quærendum eſt. Illa igitur verba *uſque ad Antoninum*, non ad hunc aut illum Imperii ejus annum; non ad ſeptimum (quod amplexus eſt Alexander) aut decimum tertium, aut alium quemlibet. Patet hoc primò ex verbis antecedentibus; *Marcionis ſalutem, qui ita voluit, quoto quidem anno Antonini Majoris de Ponto ſuo exhalaverit aura canicularis, non curavi inveſtigare.* Non igitur ad ullum certum annum Imperii Antonini computum ſuum perducere cogitavit. Neque ad præciſum

ciſum initium hæreſeos Marcionis reſpicere voluit quo primùm à Cerdone eam accepit; ſed cum conſtaret eum ſub Antonino præcipuè virus ſuum evomuiſſe, *ſatis eſſe* putavit ſi tempora ab initio computaret ad initium Imperii Antonini. Et hanc fuiſſe mentem Tertulliani ſatis apertè oſtendunt verba quæ ſequuntur: *De quo tamen conſtat, Antoninianus hæreticus eſt ſub Pio impius. A Tiberio autem ad Antoninum*, &c. Et quamvis illa verba, *ſub Pio impius*, duplicem interpretationem admittant, unam de Imperatore, alteram de Epiſcopo (Marcion enim ſub utroque, tum Epiſcopo Romæ Pio, tum Imperatore Pio, impius, hoc eſt hæreticus fuit) puto tamen Tertullianum ad Antoninum Pium potiùs reſpexiſſe, quia Epiſcopi Romani ſub eo nomine nuſquam meminit, Antoninum autem ſolo Pii vocabulo indigitavit, in Apologetico, cap. 5. *quas nullus Pius, nullas Verus impreſſit.*

VIII. Secundò, verba illa *dimidium anni cum dimidio menſis* initium Imperii ejus apertè reſpiciunt. Nam ut Spartianus teſtatur, Hadrianus, accerſito Antonino, in conſpectu ejus apud ipſas Baias periit die ſexto Iduum Juliarum. Cùm igitur menſe Julio ferè medio, qui eſt anni Juliani menſis ſeptimus, Antoninus Hadriano ſucceſſerit; ideò *dimidium anni cum dimidio menſis* appoſuit, ut ad ipſum initium Imperii, computum deduceret. Quod autem ad Epocham, à quâ computus incipit, ſpectat; illa verba *à Tiberio* neque initium, neque finem ejus Imperii reſpiciunt; quod primò patet ex verbis ſequentibus *tantundem à Chriſto*, cujus neque nativitas, neque baptiſmus, neque paſſio cum initio vel fine Tiberii convenit. A Tiberio igitur ad Antoninum dixit, ut libro adverſus Judæos cap. 13. *Ab illis enim incepit infamia & tempus medium à Tiberio uſque ad Veſpaſianum*, id eſt, ab illo anno Tiberii, quo paſſus eſt Chriſtus, ad primum annùm Veſpaſiani quo Hieroſolymorum excidium alibi poſuit; adverſus Judæos cap. 8. *Veſpaſianus anno primo Imperii ſui debellavit Judæos.* Præterea ipſe Tertullianus idem indicat, cùm docet hanc ſuppu-

ſupputationem ideo à ſe factam eſſe, ut probaret Deum Marcionis non fuiſſe in Chriſto Jeſu revelatum, ſed à Marcione computatum. Vulgò quidem putant reſpexiſſe Tertullianum XV. annum Tiberii, quia paulò ante dixerat, *Anno* XV. *Tiberii Chriſtus de cœlo manare dignatus eſt:* ſed his verbis perſtrinxit Marcionem, ut ex proximè ſequentibus patet, *qui ita voluit:* nam ab illis verbis apud S. Lucam incepit ejus Evangelium, ut teſtatur Epiphanius; & ſententiam ejus, quòd Chriſtus tunc de cœlo emanaverit, latè refutat Tertullianus, lib. 4. cap. 7. Incipit igitur ab eo anno, non quo Marcion, ſed quo ipſe, putavit Chriſtum fuiſſe revelatum, & Evangelii prædicationem inchoâſſe. Quis autem annus ille fuerit, ipſe ſatis indicat lib. 1. cap. 15. *At nunc quale eſt, ut Dominus* XII. *Tiberii Cæſaris revelatus ſit*; quare omninò ab illo anno ad initium Imperii Antonini ſupputatio facta deprehenditur. Jam duodecimus Tiberii in Annum vulgaris Æræ Chriſti XXV; initium Imperii Antonini in annum CXXXVIII. incidit, intervallum ſunt anni *ferè* CXV. ſi uterque terminus includatur, quod fit ſæpiſſimé. Neque mirum eſt Tertullianum, qui putavit Chriſtum XV. Tiberii paſſum eſſe, aſſeruiſſe XII. Tiberii baptizatum eſſe: Nam ſine dubio, cùm alios ſequeretur in anno Paſſionis, Irenæum tamen ſecutus eſt in anno Baptiſmi. Irenæus autem tria Paſchata diligenter obſervaverat inter Baptiſmum & Paſſionem Chriſti; quod qui non animadverterunt, in graves errores inciderunt: Verbi gratiâ, Georgius Syncellus Africanum accuſavit, quòd ab Adam ad Baptiſmum putaret annos 5530; ad Paſſionem 5531: ad quam obſervationem Syncelli hæc annotat Scaliger in Prolegomenis. *Rectè quidem,* inquit, *Georgius Syncellus ab Adam ad Baptiſmum* 5530. *annos putari; ſed quòd erroris de anno uno inter Baptiſmum & Paſſionem interjecto autorem facit Africanum, oſtendit ſe ignoraſſe non aliter omnes, qui ante Africanum ſcripſerunt, ſenſiſſe; qui ex illis verbis* ἔτος δεκατὸν κηρύξαι *colligebant* ἔτος ἓν μόνον τῆς κηρύξεως *Chriſti fuiſſe.* Sed mirè

mirè hìc Scaliger ut Africanum aliquo modo excusàret aut sùgillaret Georgium, omnes qui ante Africanum scripsere, idem sensisse affirmabat: Cùm Irenæus multo senior Africano non tantùm idem non senserit, sed etiam eam sententiam accuratè refutaverit: Erat enim hoc Valentini Commentum ad confirmationem Æonum suorum excogitatum tam de speciali *XII.* Æonum, quam de generali *XXX.* Æonum numero ex Isaiâ petitum, quod Irenæus lib. 2. cap. 38, & 39. latè & accuratè refutat & שְׁנֵים־דְּגוֹן ὀνειδισμὸς δικαίου Isaiæ meliùs interpretatur. Sed & Tertullianus cum Irenæo tres annos prædicationis agnoscit, quamvis eos ponat ante annum *XV.* Tiberii, neque enim ubi poneret, novit; cùm Irenæus qui complures annos præter illos tres Christo attribuit, *XV.* Tiberii annum nusquam observat. Sed neque quisquam inter Catholicos, qui ante Africanum scripsit, meminit illius anni acceptabilis eo sensu, quo eum usurpaverat Valentinus, præter Clementem Alexandrinum, qui Hæreticorum scriptis nimium addictus fuit, eosque sequi nonnunquam solet: Restat igitur Tertullianum statuisse Christum *XII.* Tiberii baptizatum fuisse, & *XV.* ejusdem Imperatoris passum esse. Hæc mens Tertulliani, qui concedit Marcionem ab initio Imperii Antonini Majoris hæresin suam vulgàsse, quod post mortem Hygini factum est. Ita historia Marcionis maximè confirmat Chronologiam Eutychii.

IX. Venit Marcio Romam post mortem Hygini A. Dom. *CXXVII.* nondum hæreticus, & à Presbyteris rejectus se mox adjungit Cerdoni anno *CXXVIII.* Pii Pontificis primo: qui nunc per Exhomologesin in Ecclesiam receptus, nunc hæreseos convictus & absentus est. Ab hoc Cerdone hæretico suæ doctrinæ principia hauriens, Cerdonista fuit; cùm autem illa in suum proprium characterem transtulisset, circa annum *CXXXIV.* hæresin suam vulgare cœpit, ut rectè observat Petavius. Circa annum *CXXXVIII.* vehementiùs propagavit, Antonini Imperatoris primo, Pii Ponti-

Pontificis undecimo. Inde Juſtinus An. Dom. *CXLII.* Antonini *V.* ut vult Euſebius, vel paulo pòſt (putà anno *CXLIV.* vel *CXLV.*) cùm jam invaluerat Marcio, ac diu virus ſuum ſparſerat, adverſus eum ſcripſit, καὶ νῦν ἔτι, inquit, ἔτι διδάσκων, *nunc uſque docet*, Apologiâ primâ, paginâ 7, & 92. Et Irenæus Marcionem ſub Aniceto invaluiſſe refert, ſub quo contra eum ſcripſit Juſtinus. Hæc Chronologiæ noſtræ maximè conſentanea ſunt, nec aliam ferre poſſunt. Et hinc ſatis jam manifeſtè patet Teleſphorum An. Dom. *CXXII.* & non ſeriùs Martyrio coronatum eſſe. Unde ulteriùs patet, quàm imprudenter Baronius Orosii & Zonaræ ſententiam, (qui putabant Antoninum Pium Juſtini Apologiâ permotum pro Chriſtianis Edictum ſcripſiſſe) refellere conatus eſt in Annalibus, hâc ratione propoſitâ, quòd poſt eam Apologiam *Romæ religionis causâ patratæ ſint cædes, ut Teleſphori Romani Pontificis & aliorum.* Mira hæc ſunt de Teleſphoro poſt Apologiam Juſtini paſſo; cùm etiam ipſe ad Martyrologium hæc habeat, *Reſpondemus Martyrium Teleſphori contigiſſe ante ſcriptam à Juſtino Apologiam.* Quis enim ferre poteſt Annaliſtam Martyrium Teleſphori referentem poſt Apologiam S. Juſtini? Ex his, ut opinor, ſatis eluceſcit, Teleſphorum, qui Hygini deceſſor fuit, non ad annum Domini CLII. aut CXXXVIII. ſuperſtitem fuiſſe, ſed potiùs CXXII. gloriosè Martyrium obiiſſe. Unde ego, qui antiquiſſimorum lectione diu occupatus fui, non immeritò queri mihi videor Teleſphorum tam inſignem Martyrem nullum ab ea Eccleſia cui præfuit, honorem obtinuiſſe ante Pontificatum Clementis VIII. qui primus omnium Romanos B. Teleſphori annuâ ſolennitate lætificare conatus eſt, inſertâ Breviario commemoratione hujus Martyris ad Vigiliam Epiphaniæ.

1. Hunc

* * * * * * * * * * * * * * * *

H. D.

1. HUnc Ego locum *Tertulliani* minùs quidem ad *mentem*, magis tamen ad *cauſam*, Cl. Autoris explicari poſſe cenſeo. Vix eſt certè ut hanc Epocham aliunde quàm è XV. *Tiberii* anno, duobus *Geminis* ſignato, inchoandam eſſe dubitemus. Hunc ipſum annum verbis proximè præcedentibus deſignavit, quaſi *citimum* ejus terminum. Nec ullum innuit ſententiæ *ſuæ* à *Marcionis* ſententiâ *diverſæ* indicium, ſeu hoc in loco, ſeu in alio illo quo *Marcionis* ſententiam ex profeſſo impugnavit, L. IV. *adv. Marcion.* c. 7. quò nos retulit ipſe *Ceſtrienſis*. Sed nec ullam fingere potuit *Tertullianus*, *Marcioni* errandi *occaſionem*. Erant enim verba S. *Lucæ* diſertiſſima, annum *Domini XXX.* cum *Tiberii XV.* conjungentis, & utriuſque cum *Baptiſmo* quo *Spiritus S.* in *Dominum* ſub columbæ ſpecie deſcenderit. Hunc enim *Spiritum* cum Λόγῳ non ipſe modò confudit *Marcion*, ſed alii quoque illorum temporum Hæretici *Valentiniani*, ſed & nonnulli etiam *Catholici*, in eo tamen ab *Hæreticis* diverſi, quòd *primam* illam *Spiritûs* deſcenſionem crederent *Hæretici* in hominem antea *Spiritu deſtitutum*, primam illam *Catholici* crederent *Spiritûs* duntaxat φαίνεσθαι, non qui in homine tunc demum *eſſe* cœperit, ſed duntaxat *apparere*. Sunt enim in hanc ſententiam verba præcedentia ſatis manifeſta: *Anno* XV. *Tiberii*, *Chriſtus Jeſus de cœlo manare dignatus eſt*, *SPIRITUS SALUTARIS*. Sed alium putat annum Cl. *Ceſtrienſis*, quo fuerit *revelatus* Dominus, à *Tertulliano* ipſo deſignari, L. 1. *adv. Marc.* c. 15. Sed verò nihil eſt in illo quoque loco, unde poſſit colligi, de *anno* Chriſti *manifeſtati*, diverſum quid à *Tertulliano* ſenſiſſe *Marcionem*. Et profectò *Librario*, potiùs quàm *Tertulliano*, ipſam illam puto im-

Epocha *Tertulliana* à XV. *Tiberii* inchoanda.

putandam eſſe lectionem. Nemo eſt in MSS. verſatus quin intelligat quàm facilè *binarii* numeri notæ Romanæ in *quinarii* notam coaleſcant, ſi infrà decuſſentur, habeantque invicem aliquam inclinationem, & quàm frequentia occurrant id genus exempla. Erratum certè hoc in loco oſtendunt verba ipſâ ſequentia. Sic enim habent: *At nunc quale eſt ut Dominus à XII. Tiberii Cæſaris revelatus ſit, ſubſtantia verò ad decimum quintum jam Severi Imperatoris nulla comperta ſit, &c.?* Ecquis eſt quin videat committi hoc in loco ſimiles *Severi* Imperatoris annos atque *Tiberii?* nec reſpondere XV. *Severi* anno annum *Tiberii* alium quàm qui fuerit & ipſe Tiberii *decimus quintus?*

In *initio* Marcionis *terminanda.*

2. Sic itaque habemus initium. *Finis* Epochæ non alius eſt quàm *initium* Marcionis quo hæreſim docuit, primúmque ab Eccleſiâ diſceſſit. Id enim voluerunt illorum temporum Scriptores Eccleſiaſtici in deſignandis Hæreticorum *temporibus* ut *recentiores* probarent Hæreſes, & Catholicis Eccleſiæ dogmatibus inferiores. Id autem efficiebant validiſſimè ſi non tempus quo Hæreſes vulgâſſent, & longe illas latéque diſſeminâſſent, ſed illud potius notarent quo *primùm* evulgare illas atque diſſeminare cœperint. Sic enim præcludebant Hæreticis omnem Reſpondendi prætextum obtenturis alioqui ſe idem *ante* tempus illud ſignatum quod *poſteà* docuiſſe. Sic itaque omnes Hæreticorum progreſſus notabant diligentiſſimè Eccleſiaſtici. *Cæpit* (inquit Irenæus de Valentino) *ſub Hygino, crevit ſub Pio, perſeveravit uſque ad Anicetum*, l. III. c. 4. Et de eo cum reliquis *Clemens Alexandrinus*: Περὶ τὺς Ἀδριανῦ τῦ βασιλέως χρόνους οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντες γεγόνασι· καὶ μέχρι γε τῆς Ἀντωνίνε τῦ σφετέρης ἀληθείας ἐλαύνει. *Circa tempora Adriani Imperatoris fuerunt qui Hæreſes excogitârunt, & pervenerunt uſque ad ætatem Antonini natu majoris.* Quorſum illa tanta ἀκρίβεια, ni etiam prima Hæreſum *initia* ſibi explorata eſſe innuerent Eccleſiaſtici? Cur verò *initia* ſignarent, & quidem

quidem eo, quo dixi, *conſilio* convincendæ Hæreticorum *novitatis*, ni etiam de *initiis* novitatem illam intellexiſſent Orthodoxi? ni etiam ad initia Epochas illas novitatis indices perduxiſſent? Sed verò *initium* Marcionis hoc in loco intelligendum, verba ipſa *Tertulliani* convincunt. *Tantundem* (inquit) *temporis ponunt inter Chriſtum & Marcionem.* Non certè inter *Chriſtum* & *Marcionem*, ſi ante Epochæ *finem* docuiſſet *Marcion*, & Hæreſin ſuam per aliquot jam annos antea diſſeminâſſet. Idem indicant & verba illa alia: *Anno XV. Tiberii Chriſtus Jeſus de cœlo manare dignatus eſt, Spiritus SALUTARIS: Marcionis SALUTEM qui ita voluit, quoto quidem anno Antonini majoris de Ponto ſuo exhalaverit aura canicularis, non curavi inveſtigare.* Opponit *Spiritui ſalutari ſalutem Marcionis. Salutem* enim *ſolùm animarum eſſe futuram, earum, quæ ejus doctrinam didiciſſent*, è ſententiâ *Marcionis*, docuit *Irenæus*. Ergo eouſque Epocham ſuam deduxit *Tertullianus*, & in illo anno terminavit quo novum hoc de *ſalute* dogma *Marcion* profeſſus eſt. Sed nihil eſt quòd dubitemus quin primo ſtatim Hæreſis *initio* hoc docuerit *Marcion*, cum fuerit ad Diſcipulos in novam Scholam adducendos omnino accommodatiſſimum. *Iren.* l. I. c. 29.

3. Cum initio Marcionis *Pium* junxit Epocha *Tertulliani*. Quis verò ille *Pius* fuerit, ambigitur. *Imperatorem* Antoninum *Pium* fuiſſe cenſet Dominus *Ceſtrienſis*. Et quidem in eâdem, quâ fuit Cl. *Ceſtrienſis*, ſententiâ concedo ipſum fuiſſe *Tertullianum*. Hinc enim ille *Antoninianum* Hæreticum colligit fuiſſe *Marcionem* quòd ſub *Pio* fuerit *impius*. Verba enim illa *Autoris* fuiſſe intelligo unde illa deſumpſerit, quicunque tandem is fuerit, ſeu *Græcus*, ſeu etiam *Latinus*. Fert enim utraque lingua illam Paronomaſiam. Tam enim *Græcè* dici potuit ἐπ' Εὐσεβοῦς ἀσεβοῦν, quàm *Latinè*, ſub *Pio* fuit *impius*. Utcunque tamen ita illum à *Tertulliano* intellectum eſſe conſtat, cum *Antoninianum* propterea *Marcionem* aliquoties inculcet, tum hoc in loco L. I. *adv. Marcion.* c. 19. tum L. V. c. 19. Nimirum qui Quod quidem Marcionis *initium* cum *Pio* concurrerit, non *Imperatore*,

de *anno* Pii, quo fuerit *impius* Marcion, *non curavit inveſtigare*, idem nec *quem* Pium deſignare voluerit Autor, inveſtigandum cenſuit. Id ſane certum eſt, falſiſſimum eſſe pro *Antoniniano* Hæretico habendum *Marcionem*, ſi quidem is *Antoninianus* habendus ſit qui ſub *Antonino* cœperit. Contra *Clemens Alexandrinus*, certior *Tertulliano* teſtis, *Marcionem* illis Hæreticis accenſet, qui ſub *Hadriano* quidem orti ad ſeniorem *Antoninum* uſque *pervenerint*. Idem *Clemens* tradit *Marcionem* cum *Baſilide* eſſe verſatum tanquam cum ſeniore *juniorem*. Atqui *Hadriani* anno XVII. mortuus eſt *Baſilides*, teſte *Euſebio*, atque *Hieronymo*, & quidem ex *Agrippæ Caſtoris* Baſilidi *coævi* Teſtimonio, ut videtur, *Hieronymus*. Scripſit præterea *poſteriorem*, quæ verè *prior* eſt, ſub initium *Antonini*, Apologiam S. *Juſtinus*, certè priuſquam *Marcus Cæſar* factus eſſet, idque ex Adoptione conſequutus ut in gente *Aurelia* cenſeretur, quæ utraque anno *Ær. vulg.* CXXXIX. *Pii* ſecundo conſequutus eſt. Et planè *Pii* titulum recentem, Adoptionemque *Marci & Lucii* nuper factam ſupponit *Juſtinus*, nullo adhuc edito boni malive Regiminis ſpecimine, ut proinde in primâ novi Principis gratulatione Apologiam illam à Juſtino oblatam fuiſſe veriſimile ſit. Et tamen ita *Marcionem* memorat, quaſi plures jam Diſcipulos ſeduxiſſet, πᾶν γένος ἀνθρώπων, *omne genus hominum*, p. 70. πολλοὺς πεποίηκε, p. 92. Ergo *longe* Hæreſin ſuam *lateque* jam diſſeminaverat, quod certe non paucorum opus annorum fuiſſe veriſimile eſt.

Clem. Alex. Strom. VII. fin.

Sed Pontifice, & quidem cum Pii Pontificis initio.

4. Quare *Pii Imperatoris* temporibus ſignatum *Marcionis* initium conſentaneum non eſt. *Pii Pontificis* ſignatum fuiſſe, moribus illorum temporum receptiſſimis eſt ſane maximè conſentaneum. Recentiorem ſane, quæ ſub *Antonino* erupit, Hæreticorum colluviem *Imperatoris* anno, quo primùm apparuerint, deſignare ſolebant Eccleſiaſtici. Sic *Tatianum* XII. *Pii*, *Montanum* XIX. *ejuſdem* ortum tradit *Epiphanius*. Priorem aliam quæ ſub *Hadriano*, primiſque *Pii* initiis prodiit, *Pontificum* potiùs quàm *Imperatorum* annis

nis deſignabant. Sic *Valentinum* ſub *Hygino*, & *Cerdonem*; *Marcellinam* ſub *Aniceto*, ponit *Irenæus*. Pro eodem igitur exemplo, ſub *Pio Marcion* collocandus erat. Et quidem rectè, ne ipſo quidem diffitente Cl. *Ceſtrienſi*. In illo enim, quod *Hygini* mortem excepit, Interpontificio *Romam* veniſſe *Marcionem* diſcimus ex *Epiphanio*, nondum ſcilicet *Hæreticum*, ſed duntaxat *Adulterum*. Tum rixas illum cum *Presbyteris*, ſede vacante, concitâſſe, & refutatum à *Preſbyteris*, ſic demum ad minas, à minis tandem ad apertam manifeſtamque diſceſſionem eſſe progreſſum, & Scholam ſibi propriam Diſciplinamque conſtituiſſe. Sed *annum* (inquit *Tertullianus*) *non curavi inveſtigare*. Inde colligunt Eruditi certum Pii *annum*, quo cœperit Hæreſis, *nullum* à *Tertulliani* Autore eſſe deſignatum. Perperam illi. Nec enim illum numerum adhibuit, quo ſolet multitudo *indefinita* ſignari, quales ſunt Græcis μύριοι, *ſexcenti* Latinis. Sed nec *denarius* eſt, adeóque rotundus. Certum itaque *annum* notavit quo *cœperit* Marcion, qui cum *certo* etiam Pii *anno* concurrerit. Idque *ſuppouit*, potiùs quàm *negat*, ipſe *Tertullianus*, dum ſe negat curâſſe ejus inveſtigationem, fruſtrà nimirum alioqui negaturus ejus ſe curâſſe inveſtigationem, qui nullâ poſſet inveſtigatione deprehendi. Potiùs è contra colligendum erat id ipſo Pii *initio* contigiſſe quod *quoto* ejus *anno* contigiſſet, non fuiſſet ab Autore obſervatum. Quod ſane erat in hâc, de quâ agimus, cauſâ veriſſimum. In illâ enim quæ mortem *Hygini* ſecuta eſt Sedis Romanæ *vacatione*, non *Communionem* duntaxat Eccleſiæ *Romanæ*, ſed ipſum etiam *Pontificatum* à *Marcione* expetitum, verbis ſatis manifeſtis innuit *Epiphanius*. Sic enim ille de refutato à *Presbyteris* Marcione: Ζήλῳ λοιπὸν ἐπαρθεὶς ὡς οὐκ ἀπολαβὼν τὸν προεδρίαν τε καὶ τὸν ὅροθεσιαν τῆς ἐκκλησίας, &c. Tam itaque προεδρίαν, ſive *Præſidatum* Eccleſiæ *Romanæ*, ambivit, quàm ejuſdem *Communionem*. Spe illâ duplici dejectus, ſic deinde verba illa edidit Schiſ-

Iren. L. III. c. 4.

Epiph. Hær. 42. n. 1.

ma-

ma immortale minantia: Ὅτι ἐγὼ σχίσω τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ βαλῶ σχίσμα ὑμῖν εἰς τὸν αἰῶνα. Cum itaque *Epiſcopatum* ipſum ambiret, uti dixi, *Marcion*; proinde veriſimile non eſt propriæ ſibi illum Factionis conſcripſiſſe ſatellites, Communionemque propriam conſtituiſſe, dum ſuffectus fuiſſet in *Hygini* locum *Pius*. Tum demum autem ambitio prorsùs deſperata in Schiſma erat protinus eruptura, ut proinde quamprimùm *Pius* fuiſſet in ſede conſtitutus, & *primo* adeo Pii *anno*, non ſit quòd dubitemus Schiſma ipſum fuiſſe conflatum.

Incidit Epocha *Tertulliani* in eundem *Annum*, quo cœperit *Pius*, pro rationibus Cl. Ceſtrienſis, *Eutychianis*.

5. Ita certè conſentaneum eſt ſenſiſſe, ſi minùs Tertullianum *ipſum*, at *Autorem* ſane quem ſecutus eſt, *Tertulliano* ipſo *vetuſtiorem*. Quo tamen modo aptandi ſint *Tertulliani* numeri, hoc inquies eſſe difficillimum. Fateor hoc in loco hallucinatos eſſe viros alioquin eruditiſſimos. Ego ab eodem *Autore* hæc *Tertullianum* exiſtimo deſumpſiſſe à quo & alium numerum deſumpſerat in Opere *adversùs Judæos*. Habet enim ibi nonnulla cum rationibus ejuſdem hoc in loco traditis communia, unde ſint proinde intelligenda. Numerat illic annos à *natali* Chriſti, *Auguſti*, ut exiſtimavit, anno XLI. abſoluto (XLII. inchoato) ad initium *Veſpaſiani* hunc in modum:

Tertull. adv. Jud. c. 8.

	Ann.	Menſ.	Dies.
Auguſti poſt nat. *Chriſt.*	15	0	00
Tiberii	22	7	20
Caii	03	8	13
Neronis	09	9	13
Galbæ	00	7	06
Othonis	00	3	05
Vitellii	00	8	10
	49	42	

Pergit

Pergit Tertullianus: *Veſpaſianus anno primo Imperii ſui debellavit Judæos, & ſunt anni numero quinquaginta duo, menſes ſex.* Summam illam anni XLIX. cum menſibus XLII. conficiunt accuratiſſimè, neglectis nimirum *diebus* qui in menſes inæquales *Julianos* diſtribui adeo commodè non poterant. Intelligimus itaque ipſos calculi hujus *errores* ad mentem tamen eſſe *Tertulliani*, eorumque, quos ſecutus eſt, *Autorum*. Nec verò alium fuiſſe illi, cum Libros ſcriberet *adversùs Marcionem*, ob oculos calculum, ipſum illud, quod adjunxit, *Anni dimidium* è menſibus ſupernumerariis conflatum; ipſum *menſis dimidium* è diebus itidem ſupernumerariis, faciunt omnino, ut ſuſpicemur; ſeu menſem juſtum non abſolverint dies illi ſupernumerarii (diſcrepat enim in *diebus* qui *Tertulliani* locum integrum exſcripſit in IX. *Danielis Hieronymus*, cum in aliis tamen hujus Summæ numeris omnino non diſcrepet) ſeu (quod potiùs verum eſſe crediderim) quòd dies ſupervacuos non retuliſſet in menſium cenſum, ut retulerat menſes ſupervacuos ad annos, *Autor* Tertulliani. Intelligimus denique nihil eſſe quòd nos fruſtrà fatigemus in *termino* menſium dierumque inveſtigando. Hinc enim conſtat non in Epochæ *fine*, ſed ante *Veſpaſianum* illos ab Autore inſertos parum alioqui per ſe accurato. Deſinit hæc Summa in An. LXIX. quo exiit *Vitellius*, inivit autem Imperium *Veſpaſianus*. A XV. *Tiberii*, Ær. *vulg.* XXIX. verum intervallum annorum XL. Sed, pro hujus calculi rationibus, VII. reliqui *Tiberii* cum III. *Caii*, IX. *Neronis*, efficiunt in univerſum annos XIX. Adde menſes XLII. tres annos cum dimidio. Prodibunt anni XXII. cum dimidio. Deſunt itaque è primo illo ante Veſpaſianum quadragenario, anni XVII. cum dimidio. *Claudii* enim annos omnes Autor ille prætermiſit, ſimilibus, ut videtur, *Tiberii Claudii*, *Neroniſque Claudii*, nominibus deceptus, ut pro *uno* illos eodemque *Claudio* habuerit. Omiſit præterea annos *Neronis ultimos*, quod geſtum aliquod memorabile *Chriſtianorum* ſub *Nerone* illo anno conſignatum in priori aliquo Autore repererat, quem ille de ultimo Neronis

Neronis anno perperam intellexerit. Nec enim longe aberit Neronis annus IX. ſi menſes præterea IX. dieſque XIII. anni XI. addantur, ab *Urbis incendio*, Chriſtianorumque *Perſecutione*, Apoſtolorumque, pro meis quidem rationibus, *Martyrio*. Quacunque tamen occaſione id evenerit, omiſſos eſſe conſtat. Anno itaque *Tiberii* XV. *Coſſ.* duobus *Geminis*, Ær. *vulg.* XXIX. addantur CXV. prodibant anni CXLIV. Detrahantur inde anni XVII. cum dimidio, XVIII. nimirum annus dimidio truncatus, excepto menſe dimidio; ſic incidet Natalis *Marcionis*, initium *Pii* Pontificis, in annum *Ær. vulg.* CXXVII., X. nimirum *Hadriani*, ante *Aug.* IX. cui anno illum, pro *Eutychii* etiam rationibus, aſſignaverat Cl. *Ceſtrienſis*, accuratiſſimè. Habebitque *Ceſtrienſis* aſſtipulatorem non *Eutychio* modò, ſed *Tertulliano* quoque ipſo antiquiorem, & quidem tam in *Anno* quàm in Anni etiam *parte* conſentientiſſimum.

CAP.

CAP. IX.

I. *Proponitur locus Epiphanii de ortu Cataphrygum.* II. *Sententia Petavii. Malè ille Montanum* XIX. *Marci ortum exiſtimavit.* III. *Epiſcopus Romanus, quem ait Tertullianus à Praxeâ in Montaniſtas fuiſſe excitatum, erat Eleutherus.*

I. AD illuſtrandam ultrius hanc hiſtoriam locus Epiphanii valdè notabilis hic explicandus & à Petavii Animadverſionibus vindicandus eſt. Initio hæreſeos XLVIII. ſive Cataphrygum, hæc habet Epiphanius ad Chronologiam inprimis ſpectantia. Ἀπὸ τούτων ἑτέρα πάλιν ἄρισις ἀνακύπτει τῆς Φρυγῶν καλουμένη Ζύγγεων γοητῶν τούτων, ἢ αὐτὰς ἀφωδιχοιδών. Οὗτοι γὰρ γεγόνασι μετὰ τὸ σὺν ἀκμάσαι τὸν Ἀντωνίνου τοῦ Εὐσεβοῦς κατὰ Ἀδριανόν. Καὶ ὁ Μαρκίων δὲ, ἢ οἱ περὶ Τατιανὸν, ἢ οἱ ἀπ' αὐτοῦ ἀφωδιξάμενοι ἐγκρατίαν τὸ ἀρχαῖον Ἀδριανοῦ, ἢ μᾶλλον Ἀδριανόν. Interprete Petavio: *Ab his alia rurſum effloreſcit Hæreſis, quæ Phrygum dicitur, ſub idem fere producta tempus, eique ſucceſſione proximâ. Nam iſti ſub Antonini Pii, qui poſt Adrianum imperavit, annum XIX. emergere cœperunt. Marcio verò, Tatianus, & Encratitæ horum Diſcipuli ſub Adriano, ac poſt Adrianum prodierunt.*

II. Ex his verbis hanc ego Chronologiam eorum temporum rectè inſtitutam eſſe puto. Circa annum Antonini Pii XII. Chriſti CXLIX. paſſus eſt Juſtinus Martyr. Circa annum Pii XIII. Chriſti CL. Tatianus hæreticus factus in Meſopotamiam ſe contulit. Circa annum Antonini Pii XIX. Chriſti CLVII. Tatianus aliis hæreſibus adhuc in-

 fectus

ſectus cum Priſcillâ & Maximillâ ſibi adjunctis Encratita factus eſt, & circa idem tempus Montanus cœpit evulgare novam hæreſin. Hæc ego ex mente Epiphanii dicta puto, quæ & veritati conſentanea eſſe non dubito. Petavius autem profitetur manifeſtam hic eſſe temporum perturbationem, idque ex triplici capite ſe deprehendiſſe. Primò, quod Juſtinus, poſt cujus Martyrium Tatianus hæreticus evaſit, ſub Marco Antonino paſſus eſt. Secundò, Cataphryges orti non ſunt ante *XI.* annum Marci ſecundum Euſebium, aut etiam *XIX.* ſecundum Epiphanium. Tertiò, Encratitæ poſt Cataphrygas orti ſunt. De priori agimus ex inſtituto in Vitâ Juſtini, ubi probamus eum ſub Antonino Pio obiiſſe. De ſecundo hic agendum eſt. Petavius lib. II. de Doctrinâ Temporum hæc habet: *A. C. CLXXIX. Marci Aurelii XIX. Eleutheri III. Montanus cum Priſcilla & Maximilla hæreſi* τῶν Φρύγων *initium dedere. Epiphanius.* Mira hæc mihi primò videbantur, quòd tam ſerum illius hæreſeos ortum tradiderit, cùm ipſe Euſebius octennio antè incepiſſe dixerit. Illud verò multo magis, quòd ex autoritate Epiphanii ejus initium *XIX.* Marci tribuit, cùm Epiphanius ipſe *XIX.* Pii idem aſſignet. Κατὰ τὸ ὀγδοακαιδέκατον ἔτος Ἀντωνίνου τοῦ Εὐσεβοῦς μετὰ τὸν Ἁδριανόν· *Sub Antonini Pii, qui poſt Adrianum imperavit, annum XIX.* Utcunque ſit, hæc ſententia ferri non poteſt. Primò, quia ipſe Petavius An. Dom. *CLXXVIII.* dicit Irenæum Lugduni Epiſcopum factum eſſe. Conſtat autem Montani hæreſin extitiſſe, dùm Irenæus adhuc Presbyter fuit. Hoc enim ipſæ Lugdunenſium literæ teſtantur. Unde Labbæus Euſebium potiùs ſecutus eſt: ſed neuter perſecutionis Lugdunenſis in Chronico ſuo meminit, quia nullum annum habebant cui eam affigerent. Secundò, Exortus hæreſeos Montani peſſimè ſub Pontificatu Eleutheri ſtatuitur. Nam Tertullianus, qui ſub Eleuthero vixit, & poſtea acerrimus Montaniſta fuit, ſic adverſus Praxeam loquitur cap. 1. *Nam idem tunc Epiſcopum Romanum,*

Romanum, agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex eâ agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Eccleſiis eorum adſeverando, & præceſſorum ejus autoritates defendendo, coëgit & literas pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendorum Chariſmatum conceſſare.

III. Hunc Epiſcopum Romanum putat Baronius Anicetum fuiſſe; ſed omnino malè, ut rectè obſervavit Valeſius: qui & Eleutherum hunc Epiſcopum fuiſſe putat, & quidem rectè. Praxeas enim Anicetum vidiſſe minimè putandus eſt. Et Eleutherum pacem intuliſſe Eccleſiis Aſianis quis dubitat, poſtquam ad eum perlata eſt Lugdunenſium Epiſtola in favorem Montaniſtarum, ſive quod idem eſt, pro pace Eccleſiarum ſcripta. Orta eſt enim eâ tempeſtate ſeditio propter Montanum & Alcibiadem & Theodotum, ut narrat Euſebius. Martyres in Galliâ, dum adhuc in carcere erant, plures literas dedêre ad fratres in Aſiâ & Phrygiâ degentes; & ad Eleutherum pariter pro pace Eccleſiarum legatio inſtituta eſt. Eleutherus his permotus pacem Eccleſiis intulit agnoſcendo prophetias Montani, Priſcæ & Maximillæ, ut loquitur Tertullianus Montaniſtarum errore penitus imbutus. Jam verò Tertullianus oſtendit ante hunc Epiſcopum ſc. præceſſores ejus Montaniſtas rejeciſſe; hi autem erant Anicetus & Soter. Anonymus de Cataphrygibus agens, *Scripſit contra eos*, inquit, *librum S. Soter Papa Urbis.* Sub Eleuthero igitur hæreſi ſuæ initium non dedit Montanus, cùm Montaniſtæ non tantùm à Sotere, ſed & ab Aniceto refutati fuerint; & eodem tempore Pontificatûs Eleutheri cum Priſca & Maximilla, tum Alcibiades & Theodotus Montano ſe adjunxerant: quod diu factum eſt poſtquam Montanus ipſe prophetare cœpit.

CAP. X.

I. *Commentum Blondelli de tranſlato in electitios Præpoſitos, ſub Hygino, ſeniorum primatu.* II. *Interpontificii quadriennium, quod renixûs Argumentum credidit Blondellus, inter Hyginum & Pium, nullum.* III. *Falsò obſervavit è Libro Pontificali Blondellus nullos, ante Euariſtum, in Eccleſiâ Romanâ fuiſſe Diaconos.* IV. *Varia Archontum Athenienſium genera.* V. *Nulli Athenienſium Archontes ſimiles Chriſtianorum Epiſcopis.* VI. *Quo ſenſu Epiſcopos Archontas dixerit Origenes.* VII. *Epiſcopi Collegas, quales habebant Archontes, in eâdem Urbe nullos habebant.*

I. HIC iterum examinanda eſt nova Blondelli ſententia de Presbyteris ſive Epiſcopis συμπλεθῶσιν· ut enim conſuetudinis illius fictæ initium refutavimus, ita hîc finem ab eo aſſignatum refellemus. Veterem illam conſuetudinem ſeniorem Presbyterum in locum defuncti ſubrogandi durâſſe ait uſque ad Hyginum, ſed illo ſedente *novum quid* admiſſum eſſe docet; & poſt ejus tempora Romæ Epiſcopum non ulteriùs ex ſucceſſione ſed electione factum eſſe. Multa ad hanc rem obſervat, ſed ex libro Pontificali omnia, quem *Solis radio ſcriptum* fuiſſe autumat. Quid autem eſt illud *novum quid*, quod ſub Hygino admiſſum eſt? Nempe hic, Pontificali teſte, *compoſuit Clerum, & diſtribuit gradus.* Fortaſſe. Quid autem inde ſequitur? audiamus Oraculum. *Quæ verba*, inquit ille (novus Pontificalis

ficalis interpres) *inauditum antea inter Latinos de Seniorum primatu in electitios præpoſitos deinceps transferendo decretum innuere videntur.* Certè ſi inauditum antea fuit tale decretum, etiam tum inauditum fuit; nullum enim his verbis ineſt decretum, nihil omnino hic dicitur quod vel ſucceſſionem, vel electionem vel ſignificet, vel innuat. In eodem libro Pontificali de Hormiſda dicitur, *Hic compoſuit Clerum.* An igitur ille Decretum fecit de Seniorum primatu transferendo? Quid Hormiſdas fecerit in componendo Clero haud ſatis ſcio: illud autem quidquid fuit Hygino aſcribere veritus non eſt Autor ſecundi Catalogi. Sic tamen Romæ anno circiter CXL. novam regiminis formam introductam eſſe vult, cùm nulla novæ regiminis formæ, Epiſcopi tunc locum tenente Hygino, mentio fiat. Neque verò eo anno Hyginus Epiſcopus fuit, ut oſtendemus. Certè Blondellus, qui hic Hyginum ſediſſe dixit Camerino & Magno Coſſ.; ad Epiſtolam Pſeudo-Iſidori eidem Papæ attributam, & iiſdem Coſſ. ſignatam, hæc annotavit, *Ad finem notam temporis mendoſiſſimam addidit plagiarius.* Sit autem Pſeudo-Iſidorus ille plagiarius, ſit Baronianus calculus vitioſiſſimus, quem tum ſecutus eſt Blondellus; fiat iſtius Chronologiæ reformatio, & reducatur Plagiarius ad libri Pontificalis Autorem, unde ſua haurit, tempora Hygini utriuſque tenebrionis autoritate (quantacunque illa ſit) confirmentur, neuter tamen decretum de Seniorum primatu in electitios præpoſitos deinceps transferendo, aut tradere aut innuere videtur.

II. Porro hæc regiminis mutatio, quocunque tandem decreto ſtabilita fuit, *Sine pertinaciori*, inquit, *priſco regimini aſſuetorum renixu haud obtinuit.* Sed unde hic renixus apparet? Unde viro docto innotuit? An hunc etiam ex Pontificali didicit? imò certè. *Quandoquidem abruptum Romæ ſucceſſionis filum obiter inſinuat Liber Pontificalis quadriennii ſolidi Interpontificium fuiſſe notans.* Novum etiam hoc eſt de quadriennii ſolidi interpontificio, & quomodo illud in Pontificali notatur nondum didici. Sed

tradit

tradit ille Hyginum fuiſſe Epiſcopum uſque ad Orphitum & Priſcum, (annum ſcilicet CXLII.) & idem docet Pium fuiſſe à Conſulatu Clari & Severi, ab anno ſcilicet CXLVI. Ergo poſt Hyginum quadriennii ſolidi interpontificium fuit; idque ideo contigit, quia Romani novæ regiminis formæ renitebantur, & electionem novi Pontificis tamdiu impediebant. Fabuloſa omnia. Liber quidem Pontificalis refert Hyginum ſediſſe uſque ad Orphitum & Priſcum; ſed nec illius libri Autor, nec alius quiſpiam dixit Orphitum & Priſcum conſulatum geſſiſſe An. Dom. CXLII. Illo enim anno Faſti nobis exhibent Rufinum & Quadratum. Orphitum autem & Priſcum ſeptennio poſtea, An. Dom. CXLIX. Sed de hâc re latiùs poſtea diſſerendum eſt.

III. Expoſitionem præterea ſuam ſic confirmat, *Nequa compoſitum ab Hygino clerum graduſque diſtributos ob inſtitutos novos Clericorum ordines, & aſſignatas functiones ſuſpicio ſit, diverſimodè cavetur.* Cautus igitur admodum ſcriptor fuit Autor libri Pontificalis. Sed unde hæc cautela apparet? Inde nempe, quòd *docet conſtitutos Euariſto ſedente (id eſt poſt annum* LXXXIII.) *in Romano Clero diaconos ſeptem.* Quàm hoc verum ſit neſcio: quid inde ſequatur haud ſcio; me doceat novus interpres, qui hinc clarè colligit, *Veteris Eccleſiæ Romanæ primordialem formam adeò ſimplicem fuiſſe, ut per annos XXX. diaconis (ſub ſolo Presbyterorum regimine conſtitutis) caruerit.* Ut Eccleſia aliqua, præſertim Romana, per tot annos nullum Diaconum haberet, mirum haud immeritò videatur. Præclarè ab Euariſto factum eſt, ut Ordinem ab Apoſtolis inſtitutum in Urbem induxerit. Sed hæc laus Euariſto non debetur. Nam ante Euariſtum Anacletus Pontifex fuit, de quo Liber Pontificalis hæc habet, *Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, Presbyteros quinque, Diaconos tres, Epiſcopos per diverſa loca numero ſex.* Ante Anacletum, ut illi volunt, Clemens Pontifex fuit, de quo Liber Pontificalis, *Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, Presbyteros decem, Diaconos duos, Epiſcopos*

Epiſcopos per diverſa loca quindecim. Solus deinde Cletus, qui ut ab Anacleto diſtinguitur nullus fuit, nullos Diaconos fecit. Apage igitur illam primordialem regiminis formam, in quâ nullus ordo ſacer præter Presbyteros fuit. Neque mirum eſt eum nullos ante Euariſtum in Pontificali Diaconos vidiſſe, qui in Epiſtolâ Cornelii nullos Subdiaconos vidit, quique aſſerit *de Subdiaconorum creatione vel nullum à Fabiano decretum conditum, vel ſi conditum eſt ullum, necdum An. Dom. CCLI. executioni mandatum fuiſſe.* Quique hoc conſtare ait ex Epiſtola Cornelii, in quâ diſertè ſcriptum eſt de Eccleſiâ Romanâ, Ἐν ᾗ οὐκ ἦσαν (πῶς γὰρ) Πρεσβύτεροι εἴκοσι καὶ τεσσάρακοντα τὸ ἐξ, Διάκονοι ἑπτὰ, Ὑποδιάκονοι ἑπτὰ. Interprete Rufino, *Ubi videbat eſſe Presbyteros quadraginta & ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem.* Apage igitur totam illam ſententiam, quam ex Pontificali collegit mali libri malus interpres. Epiſcopi aut Presbyteri πρωτοκλήτοι non ſub Hygino finierunt, qui nunquam incepiſſe, nuſquam duraſſe, leguntur; ſi eo nomine viros intelligas ſingulares qui πρωτοκλησίας jure reliquis omnibus præſiderent in eodem Presbyterio conſtitutis.

IV. Qui nunquam, inquam, fuerunt; nam ut ad originem Blondellianam horum πρωτοκλήτων redeam, quos Archontum Athenienſium ſimiles fuiſſe ſtatuit, ex ipsâ ſimilitudine facilè refutatur. Nam Presbyter ille πρωτοκλητὸς, quem ipſo πρωτοκλησίας jure reliquis ejuſdem ordinis Presbyteris præſediſſe vult, eâ poteſtate dum viveret gaviſus eſt; neque illo jure aut loco excidere potuit, quia conſortes omnes illo poſteriores eſſe ſupponuntur, neque potuit quiſquam evadere primo prior. Jam quæramus quis huic ſimilis Archon apud Athenienſes, vereor ne inveniamus nullum. Nam ſi quis collegas in officio habuit, eo officio, durante vitâ, functus non eſt; ſi quis dum viveret Archon fuit, collegas in officio nullos habuit. Nullus igitur Archon

Præſidi-

Præſidi Blondelliano ſimilis fuit. Tria Archontum genera diverſis temporibus Athenienſium Rempublicam adminiſtraſſe legimus; ex quibus intelligere poſſumus quàm verum ſit, quod affirmat Blondellus, *unicum Athenis Archontem nunquam fuiſſe. Athenienſes*, inquit S. Auguſtinus de Civitate Dei lib. XVIII. cap. 20. *habere deinde reges poſt Codri interitum deſtiterunt, & magiſtratus habere cæperunt adminiſtrandæ Reipublicæ.* Qui qualeſque hi magiſtratus fuerint ſic accepimus. Velleius Paterculus lib. 1. cap. 2. *Hujus* (Codri) *filius Medon primus Archon Athenis fuit. Ab hoc poſteri apud Atticos dicti Medontidæ: ſed ii inſequenteſque Archontes uſque ad Charopem, dum viverent eum honorem uſurpabant.* Nempe quia *dum viverent* Rempublicam adminiſtrabant; ideo dicti ſunt Archontes *perpetui*, interprete Hieronymo, *quos mors finiebat.* Hi Græcis dicti ſunt ἄρχοντες ἀπὸ βίου, ut Plato loquitur de Cyro, ἔοικεν ἐκ τοῦ τραπέσθαι ἀπὸ βίου· & Vetus autor apud Suidam, v. Νύμφας de virginibus Veſtalibus, ἀπὸ βίου τὴν παρθενίαν ἐφύλαττον. Quam phraſin ſic explicat Heſychius, Διὰ βίου, ἀεί. Hi autem tredecim erant qui ſucceſſivè Athenis præerant, quorum nomina, & annos accuratè deſcribit Euſebius in Chronico. Hos perpetuos Archontas quorum ultimus erat Alcmæon, ſequuti ſunt decennales, quorum primus fuit Charops. Velleius lib. 1. cap. 8. *Tum Athenis perpetui Archontes eſſe deſierunt, cùm fuiſſet ultimus Alcmæon, cæperuntque in denos annos creari; quæ conſuetudo in annos LXX. manſit.* Nam ſeptem erant hi Archontes, Græcis δεκαετεῖς dicti, quorum nomina apud Euſebium extant, eorundemque anni in ejus Canone digeruntur. Velleius primi & ultimi meminit: *Ex iis qui denis annis præfuerunt primus fuit Charops, ultimus Eryx*, ſive Eryxias. Poſt hos decennales annui Archontes facti ſunt Græcis dicti ἐνιαυσιοι. Velleius, *Dein annuis commiſſa eſt Magiſtratibus Reſp.* Annui hi Magiſtratus erant numero

mero novem, quorum unus specialiter in modum præcedentium Archontis nomen retinebat, cum reliqui octo aliis nominibus distinguerentur. Et sic nova planè Reip. forma instituta est, in qua novem Archontes præsidebant. De quâ Hesychius, Ἐννέα ἄρχοντες, ἀρχὴ δὲ ἐννέα ἀρχόντων. De his Georgius Syncellus, Μετὰ τούτους (δηλονότι) ἄρχοντες ἐνιαύσιοι ὑρίθησαν ἐξ εὐπατριδῶν. Interpres, *His sublatis annui Magistratus excogitati sunt, & ex Patriciis assumpti.* Sed pro ὑρίθησαν legendum fuit ἡρέθησαν, vertendumque, non *excogitati*, sed *electi sunt.* Pergit Syncellus ex Africano, ἐννέα τε ἀρχόντων Ἀθήνησι ἀρχὴ καθεστάθη. Ad quæ verba Goar, *Qui novem istî Magistratus, incognitum. Planior lectio* ἡ νέα τε ἀρχόντων, *Nova Magistratuum potestas Athenis instituta.* Perperam omninò. Qui fuerint novem illi Magistratus, omnibus notum. Archon scilicet, & βασιλεὺς, & πολέμαρχος, & 6. θεσμοθέται· ἐκ τούτων δὲ οἱ ἐννέα ἄρχοντες συμπληροῦνται, *Ex his autem novem Archontes complentur,* inquit Pollux. Eusebius in Canone, *Novem Principes ex nobilibus urbis electi præfuerunt annuo Imperio Reipub.* Ex his novem unus vetus nomen Archontis retinuit, & quia quotannis ut reliqui electus, non tantum ἐνιαύσιος, sed & signanter ἐπώνυμος dictus est, nec eo sensu quo alii apud Athenienses ἐπώνυμοι dicebantur, sed restrictè ἐνιαυτῷ ἐπώνυμος, ut loquitur Pollux, qui à Philone Judæo sic describitur, Ἄρχει Ἀθήνησι ὁ ἐπώνυμος ᾧ τῷ ἐνιαυτῷ ἄρξαντι, ἀφ' οὗ οἱ λοιποὶ καταλαμβάνονται. Cujus nominis ratio sic explicatur in Argumento secundo Orationis Demosthenis adversùs Androtionem, ὃς ἐπώνυμος ἐξ οὗ ἡ ὁ ἐνιαυτὸς ἐπωνυμάζετο, cujus nomine annus in Fastis signabatur. Sic sub quo Archonte idem Athenienſibus quod quo anno. Clarè Æschines contra Ctesiphontem, Καὶ μοι ἀνάγνωθι

ἐπί τινος ἄρχοντος, καὶ τοῦ μηνὸς, καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ, ac ſi dixiſſet, *quo anno, quo anni menſe, quo menſis die.*

V. Hæc ego prolixius explicanda putavi, ut quivis facilè judicare poſſit an Epiſcopi qui unquam in Succeſſionum tabulis nominati ſunt, his Archontibus aſſimilari debuerint. Ex tribus his generibus Archontum unicum amplectitur Blondellus, reliqua duo negat contra omnia Veterum teſtimonia quæ adduximus, quod facere coactus eſt, ut hypotheſin de collegis à ſe inventam tueretur, quæ tamen contradictionem manifeſtè involvit. Nam hi Archontes annui uno tantùm anno Magiſtratum eum tenuerunt, eoque abſoluto exierunt, aliiſque eligendis locum vacuum reliquerunt, cùm rationem officii geſti apud λογιστὰς decem reddiderunt, ὅθεν τὰς ἀρχὰς ἀπετίθεντο οἱ ἄρχοντες, *cùm præfecturas ſuas deponerent*, ut loquitur Harpocration ſive Julius Veſtinus. Blondelli autem Epiſcopi αὐτοκληρονόμοι ex ipſo αὐτοκτησίας jure, durante vitâ, ſuam auctoritatem, qualiſcunque illa fuit, neceſſariò retinuerunt, nec ſucceſſores ipſis ſuperſtitibus habere potuerunt, quia primo prior nemo eſſe potuit, ſed quiſque primo poſteriorem ſe agnoſcere debuit. Jam ſi velis Epiſcopum aliquem in Succeſſionis Tabulâ nominatum fuiſſe Archonti Athenienſi ſimilem, nulli Archonti ſimilis dicendus erit niſi Archonti perpetuo, ſive διὰ βίου. Sed hic Archon διὰ βίου nullos unquam collegas in eo officio habuit, primus enim fuit Medon Codri filius, qui reliquis Codri filiis in alias orbis partes profectis ſolus eum Magiſtratum tenuit, & qui poſt eum eundem tenuerunt, erant omnes Μεδοντίδαι, hoc eſt, Medontis poſteri. Neque igitur Medon, neque ejus poſteri, collegas in officio habuerunt. Sed neque nomen anno certo in Faſtis dare potuerunt, quia annuatim non præſidebant, ideoque Chronologi, qui ad eorum Magiſtratum actionem aliquam referebant, non inde voluerunt

luerunt certum aliquem annum deſignare, niſi quando annum certum illius Magiſtratûs nominarunt. Ut in Marmore Arundeliano, . . τος Αἰσχύλου Ἀθήνησι ἔτους ἀφ' οὗ χρὴ ἰδεῖν, *Æſchyli Archontis anno XXI.* qui Athenis præfuit annis XXIII. teſte Euſebio. Ita de decennalibus Archontibus ſtatuendum, quòd Archonte nominato nihil certi inde colligi potuit, niſi annus δεκαετίας indigitaretur, ut Dionyſ. Hal. l. 1. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Χάροπος ἔτους τῆς δεκαετίας πρώτου. Pauſanias, Αἰσιμίδης Ἀθήνησιν ἦρχεν ὁ Αἰσχύλου πέμπτον ἔτος. Nempe annus Charopis decennii primus, & Æſimedis quintus ſatis certi habebantur.

VI. Agnoſco quidem Epiſcopos dictos fuiſſe aliquando ἄρχοντας, ut loquitur Origenes contra Celſum l. 8. ſed qualis ἄρχων in Eccleſiâ fuerit, ipſe explicat in Homil. 11. in Jeremiam, ubi deſcribit Epiſcopum tanquam ἡ πάντων ἡμῶν ἐγκαχυκεισμένον ἀρχὴν ἀντὶ τὴν Ἐκκλησιαστικήν. Eſt igitur ἀρχὴ Eccleſiaſtica & ὁ ἄρχων Epiſcopus, ut ex eo loco clarè conſtat. Sed qui Epiſcopum in Eccleſiâ Archonti annuo Athenienſium comparaverit, inventus eſt nemo. Tleſiam quidem comminiſcitur Blondellus, tanquam qui cum Creonte uno anno inter reliquos octo collega fuerit, ei poſtea ſucceſſerit in loco Archontis ἐπωνύμου, ſed contra omnem fidem hiſtoriæ. Nam omnes Archontes annui ad finem anni Præfecturam poſuerunt. Et Solon poſtea ex iis qui Archontes fuerant, conſtituit Concilium Areopagitarum. Quæ conſuetudo poſtea viguit, neque unquam apparet aut Regem aut Polemarchum, aut Theſmothetam aliquem fuiſſe Archontem ἐπώνυμον. Tales igitur Collegæ quorum unus alteri ſuccederet, neque Athenis, neque in Eccleſiâ, uſquam reperti ſunt.

VII. Epiſcopi quidem Romani habuerunt ſuos collegas, ſed non in Urbe; in aliis civitatibus, ut in Antiochenâ, Hieroſolymitanâ, Alexandrinâ, cæteriſque illorum collegæ extiterunt; hoc eſt Epiſcopi ejuſdem ordinis in ſuâ Urbe collegam habuêre neminem. Iniqua igitur poſtulatio eſt ut nos oſtendamus Epiſcopos in Succeſſionum tabulis nominatos non fuiſſe Presbyteros σφοτονλευόντας Athenienſium Archontibus annuis ſimiles, cùm iis ſimiles eſſe nullo modo potuerint, quippe qui omnes, qualeſcunque eſſent, præfuerint διὰ βίου, nec quiſquam ſucceſſorem admiſerit, dùm ipſe viveret. Proinde illa regiminis forma pòſt cum Hygino moriente expirare non potuit, quæ neque ſub Hygino, neque ante eum vitalis fuit.

CAP.

CAP. XI.

I. *Hygino ſucceſſit Pius, Pio Anicetus, Aniceto Soter.* II. *E vero horum Pontificum ordine convincuntur impoſturæ Epiſtolæ Pii ad Juſtum Viennenſem.* III. *E commentitiâ Pii Epiſtolâ prodiit Decretum apud Gratianum ipſum quoque commentitium.* IV. *Erant etiam è Latinis qui ordinem horum Pontificum prædictum ſequerentur.*

I. SEquitur tertius Pontificum quaternio, de quorum ordine Succeſſionis rurſus inter Græcos & Latinos diſcrepantia eſt. Apud Græcos omnes hoc ordine recitantur; Hyginus, Pius, Anicetus, Soter: apud Latinos aliter; Hyginus, Anicetus, Pius, Soter: ita Optatus, Auguſtinus, Liber Pontificum, & Geſta Pontificalia priora nuper ab Heinſchenio edita, & fortaſſe antiquiſſimus Catalogus, qui his omnibus præivit. Nec tamen de Succeſſionis ordine dubitandum eſt; neque eum parvi pendere debuit Heinſchenius, cum illius controverſiæ determinatio ſit ad veram Chronologiæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ intelligentiam inprimis neceſſaria. Græcorum enim ſucceſſio, quæ Pium Hygino, Anicetum Pio ſubjicit, pro certiſſimâ haberi debet. Quippe Irenæus, qui ſub Pio & Aniceto vixit, & cum Eccleſiâ Romanâ magnum ſub Eleuthero & Victore commercium habuit, eum Succeſſionis ordinem diſertè tradit lib. 3. cap. 3. Ἑπόμενος Ὑγίνῳ, εἶτα Πίῳ, μετὰ τοῦτον Ἀνίκητος. διαδεξαμένου δὲ Ἀνίκητον Σωτῆρος. Vetus Interpres, *Deinceps Hyginus, poſt Pius, poſt quem Anicetus: cùm autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter.* Idem poſtea in Epiſtolâ ad Victorem

ctorem Papam eandem ſucceſſionem ordine retrogrado ſic expreſſit; Ἀνίκητον λέγομεν καὶ Πῖον, Ὑγῖνόν τε, καὶ Τελέσφορον καὶ Ξύστον, *Anicetum dicimus & Pium, Hyginumque & Teleſphorum & Xyſtum.* Neque dubitari poteſt, an apud eum ſucceſſio his locis corrupta ſit; cùm ipſe alibi doceat Valentinum Romam veniſſe ſub Hygino, viguiſſe ſub Pio, & permanſiſſe uſque ad Anicetum. Idem etiam Marcellinam Romam veniſſe ait ſub Aniceto, cui addit Epiphanius τῷ μετὰ † Διαδοχὴν Πίῳ, καὶ τοῖς ἀνωτέρω, *qui fuit poſt ſucceſſionem Pii, & Superiorum.* Pio igitur proximè ſucceſſit ſecundùm ſententiam Epiphanii, cui in Catalogo hi tres hoc ordine numerantur; Hyginus, Pius, Aniectus. Præterea Hegeſippus, qui ſub Aniceto Romam venit, teſtatur Aniceto non Pium, ſed Soterem ſucceſſiſſe, καὶ φησὶ Ἀνικήτῳ Διαδόχεται Σωτὴρ, μεθ' ὃν Ἐλεύθερος, *Poſt Anicetum ſuccedit Soter, poſt quem Eleutherus.* Verba ſunt Hegeſippi apud Euſeb. lib. 4. cap. 22. Cùm duo ſcriptores adeo celebres Hegeſippus & Irenæus, qui Pii & Aniceti & Soteris temporibus vixêre, & ſub Eleuthero ſcripsêre, hunc Succeſſionis ordinem de induſtriâ tradiderint; quos Euſebius ſecutus eſt, & cum omnes Græci: *prope ſtultus habeatur is, qui horum teſtimonio non acquieſcit.* Et tamen Salmaſius, *poſt mortem Hygini*, inquit, *Anicetus erat Presbyterorum Romæ primus Presbyter, cui Pius in illo primatu ſucceſſit.* Quibus verbis non tantùm primatum Presbyterorum poſt tempora à Blondello deſignata deducit, ſed & contra veteriſſimorum & contemporaneorum Patrum apertiſſima teſtimonia ordinem perturbat.

II. Primus omnium, quos novimus, Optatus Pio Anicetum præpoſuit (niſi antiquiſſimus Catalogus ei præiverit) cùm nondum Euſebii Chronicon in Latinum ſermonem verſum fuit: primus inter Latinos qui Pium ſuo loco poſuit, erat Proſper in Chronico à Labbéo edito, quem

ſecutus eſt Catalogus tertius Pſeudo-Tertullianus, cujus ætas ignota eſt, lib. 3.

Jamque loco nono Cathedram ſuſcepit Hyginus,
Poſt hunc deinde Pius,
Aque Pio ſuſcepit Anicetus ordine ſortem.

Lego enim *âque*, non *atque*, ut editur. Nihil igitur certius hoc ordine Succeſſionis haberi debet, quo Hygino Pius, Pio Anicetus ſufficitur; & quicquid alio ordine nititur, vel inde falſum eſſe deprehenditur. Verbi gratia; In Tomo tertio Bibliothecæ Patrum extant duæ Epiſtolæ Pii Papæ ad Juſtum Viennenſem, ut aiunt, Epiſcopum, (quas Baronius in Annales ſuos, Binius in Concilia tranſtulit, eaſque miris commentariis uterque illuſtravit) has conſtat eſſe fictas & ſuppoſititias, non planè aureas, ut Baronius. Quod cùm multis facile probatu ſit, inpræſentiarum hoc tantùm dico, fictum illum Pium repræſentari tanquam Aniceti ſucceſſorem: *Salutant te*, inquit, *Soter & Eleutherus digni Preſbyteri*: Anicetum non nominat, quaſi jam mortuum, Eleutherum nominat quaſi ſub ſe Presbyterum jam exiſtentem; cùm Eleutherus ſub Pio Presbyter eſſe non potuit, qui ſub Aniceto, Pii indubitato ſucceſſore, adhuc Diaconus erat, ut teſtatur Hegeſippus oculatus teſtis apud Euſebium lib. 4. cap. 22. Γινόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ ἀχρὶ Ἀνικήτου διαδοχὴν ἐπιποιήσας ἔσχεν Ἀνικήτου, οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος. Undè etiam in Breviario Romano Maii XXVI. *Eleutherius Nicopoli in Græcia natus Aniceti Pontificis Diaconus, Commodo imperante præfuit Eccleſiæ.* Ab aliquo igitur Impoſtore hæc Epiſtola conficta eſt, qui vel ex ſecundo Catalogo vel ex Libro Pontificum, ſolenni illo impoſturarum fundo, falsò didicerat Pium Aniceto ſucceſſiſſe. Ex liber iſte *Solis radio* ſcriptus adeò præſtrinxit Blondelli oculos, ut perſpicere non poſſet Epiſtolas illas eſſe planè ſpurias; ſed ex ipſis tanquam authenticis Pii tabulis diſputat contra ordinem

nem Epiſcopalem, Apologiæ Sect. 2. §. 4. ut & ex Victoris Epiſtolis ad Dionyſium & Paragodam Viennenſes Epiſcopos, qui nunquam fuêre, conſcriptis pariter diſputat §. 10. Etiam Walo Meſſalinus pag. 155. *Pius in Epiſtolâ ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum, Senatum Chriſti apud Romam conſtitutum, Presbyterium Romanum vocat:* imò pag. 176. mira hinc colligit, eadem in Apparatu repetit. Ex hâc Blondelli incuriâ & Salmaſii conſenſu diſputat Cardinalis Bona pro antiquitate nominis Miſſæ: *Extat primo loco Epiſtola Pii ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum quam recipiunt Orthodoxi, nec audent omninò reprobare Sectarii, ſcripta, ut Baronio viſum eſt, Anno Chriſti* CLXVI. Certè ſi à Pio ſcripta eſt, largior nomen Miſſæ antiquius eſſe quàm Bona ipſe ponit: ſi enim à Pio data ſit illa Epiſtola ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum, ſcripta eſt ante annum CXLIII. & vocabulum Miſſæ eo anno antiquius fuiſſet. Verùm illa non eſt Pii, ſed Impoſtoris Epiſtola poſt Pontificale, ut opinor, certè poſt quartum Sæculum aut etiam quintum & Catalogum ſecundum ſcripta, cujus ætas ex falsâ ſucceſſione Epiſcoporum ſatis innoteſcit. Impoſtor ille cùm videret Eleutherum in Rufino Aniceti Diaconum, & perſpiceret in Pontificali ſive ſecundo Catalogo Pium ſucceſſiſſe Aniceto, ſtatim eum facit ſub Pio Presbyterum, & ſic impoſturam ſuam prodit, & Pium producit neſcium Anteceſſoris ſui. Salmaſius qui tantam vim in Epiſtolis Pii ponit, ſemper Anicetum ante Pium collocat, unde illa apud eum imperitiſſima Epiſcoporum enumeratio, *Epiſcopi Romani ſub duobus Antoninis Hyginus, Anicetus, Pius, Soter, Eleutherius, Victor.* Apparatu pag. 59.

III. Ex eodem fonte & alia non abſimilis impoſtura; nam cùm Miſſæ vocabulum in Epiſtolâ Pii legeretur, maleferiatus aliquis etiam Decretum condidit, quod à Gratiano Diſtinctioni ſecundæ de Conſecratione inſertum eſt, in quo Altare cum omni ſuâ paraturâ, & cum quatuor linteis proponitur; ſed explicatio illius Decreti, & vocis ipſius

[*Altaris*]

[*Altaris*] ſignificatio Viros tres doctiſſimos vehementer torſit, Latinum Latinium, Franciſcum Toletum & Franciſcum Turrianum, ut patet ex Epiſtolis Latini Latinii. Latinius autem ipſe, cùm attuliſſet quidquid potuit ad Altaris illius explicationem, ſatis modeſtè concludit; *Pii autem Pontificis tempore an ita uſus obtineret, aut quâ omninò ratione Sacra perficerentur, in tantâ temporum obſcuritate non facile quiſquam affirmârit: Ego quidem nihil unquam certum de ejuſce rei obſervationibus ritibuſque memini legere.* Cui illud addendum, *Certiſſimum illud commentum eſt*, de quatuor Linteis ſuper Altare Pii Pontificis ætate poſitis, cùm CC. fermè annis poſtea Sylveſter Papa conſtituerit *Sacrificium Altaris non in ſerico neque in panno tincto celebraretur, niſi tantum in lineo.* Præſertim ſi conſiderare placeat quid fieri ſolebat in Africâ, etiam poſt Sylveſtri tempora, quod ſatis indicat Optatus libro ſexto his verbis, *Quis fidelium neſcit in peragendis Myſteriis ipſa ligna linteamine cooperiri? Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut ſi tactu potuit penetrari velamen, ergo penetrantur & ligna.* Nam ſi plura fuiſſent linteamina ſive velamina, multitudinem eorum non omiſiſſet Optatus, quippe fortius argumentum contra Donatiſtas præbuiſſet.

IV. Hæc adeò certa ſunt, ut etiam inter Latinos Pſeudo-Tertullianus Pio Anicetum ſubſtituerit, & multi Codices Libri Pontificum MSS. Pium Aniceto præpoſuerint, quales ſunt Regius, Mazarinus, & Thuanéus. Et cùm Baronius putet Hieronymum Latinorum ſententiæ aſtipulari, dùm poſt Petrum decimo loco numerat Anicetum, fugit eum ratio. Nam Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſequitur Euſebium, cujus Chronicon decennio antè verterat; Euſebius autem Pium numerabat poſt Petrum, nonum; adeóque decimum Anicetum. Denique eundem ſucceſſionis ordinem cum Græcis ſecutus eſt inter Arabas Eutychius. Quare ordo Succeſſionis apud Latinos luxatus, nullo modo probandus eſt.

CAP. XII.

I. *Hyginus ſedit ab An. Dom.* CXXII. *ad An. Dom.* CXXVI *Non Martyr.* II. *Vacatio fere annua. Inde Pius ab An. Dom.* CXXVII. *ad An. Dom.* CXLII. *Nullum erat, poſt Hyginum, Inter-pontificii quadriennium, ut credidit Blondellus.* III. *Solus, hoc in loco, veriſimilia tradit Eutychius.*

I. DIximus de Succeſſionis ordine; jam de annis quatuor horum Pontificum quid ſtatuendum ſit, videamus.

وفي ست سنين من ملكه صير اوجانيوس
بطريركا على رومية اقام اربع سنين ومات

Anno Imperii Hadriani ſexto conſtitutus eſt Eugenius (ſive Hyginus) *Patriarcha Romanus, qui cum annos quatuor ſediſſet, mortuus eſt*, inquit Eutychius. Sedit igitur ab An. Dom. CXXII. Aviola & Panſâ Coſſ. uſque ad An. Dom. CXXVI. Vero & Ambiguo Coſſ. Hæc mihi videntur veritati maximè conſentanea & ad veterem Eccleſiæ hiſtoriam rectè intelligendam optimè comparata, ut ante diximus. Decimo Hadriani mortuus eſt Hyginus. Baronius, Petavius & Labbéus ordinatum eſſe ſtatuunt Antonini Pii XV. triginta ſcilicet annis ſeriùs quàm Eutychius. Qui immanis Metachroniſmus maximam in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ confuſionem peperit, de quâ etiam ante diximus. Quanta igitur fides Martyrologio Romano adhibenda? ex quo legimus ad undecimum Januarii, *Romæ Natalis S. Hygini Papæ, qui in perſecutione Antonini glorioſè Martyrium conſummavit.* Cujus rei nec vola nec veſtigium extat. An Martyrium Hygini tacuiſſet Irenæus, qui Teleſphori paſſionis meminit?

nit? An hoc ignorare potuit, qui perſecutioni Antonini interfuit? an ille aut Epiſcopus aut Presbyter ſub Hygino fuit? Hæc nullo modo ferri poſſunt. Martyrologorum nemo antiquior iſta docuit, non Beda, non Florus, non Uſuardus, non Ado. Unde Molanus & Onuphrius, qui de ejus Martyrio nihil legerant, Martyris titulum Hygino dari putant, quòd multa pro Chriſti confeſſione paſſus fuerit, ut videtur, ſcilicet. Baronius ad Martyrologium ſuum, *Sub perſecutione Antonini Hyginum coronatum eſſe Martyrio, liber de Romanis Pontificibus, Euſebius in Chronico, & alii omnes teſtantur.* Sed illi neque de perſecutione Antonini loquuntur, neque de Martyrio Hygini quicquam habent aut illi, aut alius quiſpiam. Paulo modeſtiùs Heinchenius; *Forſan melius diceretur Martyr, quòd quadriennio incluſus carceri vitam finierit, quo tempore S. Pius ejus Vicarius Eccleſiam rexit.* Sed unde habuit Hyginum toto quadriennio carceri incluſum fuiſſe? Ex qua hiſtoria hauſit Epiſcopum Romanum carceri mancipatum tam diu miſerè vixiſſe? Unde habuit S. Pium toto eo quadriennio ejus Vicarium Eccleſiam rexiſſe? Certè ſperandum non fuit, ut hæc hactenus inaudita, ſub uno vocabulo *Forſan* ab eruditis admitterentur. Blondellus ſatis acutus, hæc non vidit, quamvis aliàs oculatus ſatis.

وفي عشرة سنين من ملكه صير مرقص
بطريركا علي رومية اقام خمسة عشر سنة ومات

II. *Anno Hadriani decimo conſtitutus eſt Marcus* (pro Pio) *Patriarcha Romanus, qui annos quindecim ſedit, dein mortuus eſt*, inquit Eutychius. Ubi obſervandum ſedecim reverà annos ei tribuere, cùm pòſt dicat Anicetum anno Antonini quinto conſtitutum eſſe Patriarcham; unde annum Vacationis Sedis poſt obitum Hygini hîc inſerendum eſſe omnino cenſeo, aſtipulante Epiphanio. Anno igitur CXXVI. Hygino denato, per annum ferè unum ſedes vacat. Ab

An. Dom. CXXVII. Hadriani XI. Gallicano & Titiano Coſſ. ſedet Pius uſque ad An. Dom. CXLII. Antonini quintum, Rufino & Quadrato Coſſ. Blondellus quidem hîc quadriennium vacationis ſtatuit, ſed ex conjecturis maximè infirmis & minimè tolerandis: docet enim Hyginum ſediſſe ab An. Dom. CXXXVIII. Camerino & Magno Coſſ. uſque ad An. D. CXLII. Orphito & Priſco Coſſ. Rufino & Quadrato ſuffectis: Sedem vacaſſe ab Anno CXLII. ad An. CXLVI. Pium ordinatum eſſe An. Dom. CXLVI. Claro & Severo Coſſ. Martyrio coronatum An. Dom. CL. Gallicano & Vetere Coſſ. Hæc ſe hauſiſſe ex veteribus Eccleſiæ Romanæ tabulis indicat, ex libro ſcilicet Pontificali. Sed neque illi libro, hoc in loco, ulla fides adhibenda eſt; neque ex illo iſta, quæ docet Blondellus, ullâ arte exculpi poſſunt. Non animadvertit Librum Pontificum Coſſ. ſuos ex Autore Catalogi multo vetuſtioris inſertos habuiſſe, qui quid hîc ſcriberet, non habebat. Unde qui Geſta Pontificum ſcripſit, quid hîc diceret, minimè novit; Coſſ. tantùm pro more appoſuit; ultimos tamen duos ſcilicet, Auguſtos, omiſit. Sediſſe Hyginum dicit à Conſulatu Magni & Camerini uſque Orphito & Priſco, quos Coſſ. ſine dubio habuit à Vetuſtiſſimo Autore Catalogi, qui Hygino duodecim annos tribuebat, totidem enim à Magno & Camerino orſi in Orphito & Priſco deſinunt. Dum autem Coſſ. ab eo acciperet, annos Pontificatûs in Euſebianos convertit, & cum Hieronymo quatuor tantùm Hygino aſſignavit, ac proinde planè ἀκριβῶς, ut ſolet, ſcripſit; ac ſi dixiſſet, Hyginum quatuor tantùm annis Pontificatum adminiſtrâſſe, nempe ab An. Dom. CXXXVIII. ad An. Dom. CXLIX. quod quàm abſurdum ſit, quis non videt? Blondellus, ut Libri Pontificum tueretur autoritatem, Orphitum & Priſcum, (qui Conſulatum ordinarium An. Dom. CXLIX. geſſiſſe noſcuntur) An. Dom. CXLII. Coſſ. fuiſſe, Rufino & Quadrato ſuffectos, docuit, nullâ autoritate fretus, ſed pro arbitrio ordinarios Conſules in ſuffectos ver-

tens,

tens, alioſque ex ſuo loco longè dimovens. Poſt hanc importunam conjecturam, Pium cum libro Pontificum ſediſſe docet Claro & Severo Coſſ. obiiſſe autem ſub Gallicano & Vetere, contra illius fidem. Autor enim libri Pontificalis tradit à Claro & Severo per annos XVIII. cum aliquot menſibus ſediſſe Pium, uſque ſcilicet duobus Auguſtis, qui in primo Catalogo diſertè nominantur, eoſdemque ſpectaſſe Autorem libri Pontificum conſtat, quia Soterem, quem Pio ſucceſſiſſe vult, ſediſſe ait à Conſulatu Ruſtici & Aquilini, qui duobus Auguſtis in Conſulatu ſucceſſerunt. Reverà illa confuſio nullâ arte ſanari poteſt. Nam tempus illud à Conſulatu Gallicani & Veteris uſque Præſente & Rufino, quod tribuitur Pontificatui Aniceti, intra illud tempus continetur, quod tribuitur Pio. Unde certiſſimè evincitur, quod ante diximus, Autorem Catalogi annos priorum Pontificum deorſum extendiſſe, ut cùm ad illa tempora perveniret, quid ſcriberet non haberet.

III. Gratis igitur & ſine ullo fundamento Vacationis quadriennium hinc exculpſit Blondellus; gratis Heinſchenius Hyginum quadriennio integro carceri incluſum vitam finiviſſe docuit: fruſtra uterque librum Pontificum appellavit, qui tum ſuis, tum Catalogi erroribus adeò ſcatet, ut nulli veritati patrocinium præbere poſſit. Quare relinquamus hoc ulcus apud Latinos prorſus inſanabile, & ſequamur potius Eutychium, qui Pio ſuum ordinem reſtituit, & annos XV. Pontificatui ejus cum Euſebio tribuit; cujus tempore Valentinum maximè invaluiſſe tradit Irenæus, quod ad annos pauciores minimè reſtringendum videtur. Quæ autem de Vicariatu ad hunc locum nuperrimè excogitavit Heinſchenius, adeò inaudita ſunt, ut refutatione non indigeant, ſuo indicio ſtatim, ut puto, peritura. Neque ſimplicem hic adhibet Vicariatum Heinſchenius, ſed duplicem, unum Vicariatum alio tegens ne perpluat. Pium enim ſub Hygino tanquam ejus Vicarium ſive Chorepiſcopum ſtatuit; dein eundem Pium, toto Aniceti Pontificatûs tempore

pore Aniceti Vicarium ſive Chorepiſcopum fuiſſe vult, ac defuncto demum Aniceto, eum verum & ordinarium Pontificem creat.

CAP. XIII.

I. *Cæpit Anicetus ab An. Dom.* CXLII. *ſub Pio, aliis etiam ſuffragantibus præter Eutychium.* II. *Tam maturè cæpiſſe in ſequentibus probandum.*

وفي خمس سنين من ملكه صير

انكيطوس بطريرك علي رومية

I. *Anno Imperii Antonini quinto factus eſt Anicetus Patriarcha Romanus*, inquit Eutychius. Ordinatus igitur eſt An. Dom. CXLII. Rufino & Quadrato Coſſ. Hucuſque Eutychium ſequor: neque enim dubito quin Anicetus tam maturè Pontificatum inierit, ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis, qui ejus ætate vixerunt, deceſſoribus ſuis multò nobis notior. Baronius quidem ingreſſum ejus deprimit ad An. Dom. CLXVII. Marci Antonini quintum, & eundem annum Imperatoris agnoſcit Petavius, immani metachroniſmo; quem tamen hujus ætatis Chronologi ferè ſequuntur, ut Labbéus & Ricciolus. Hæc à me nunquam probata ſunt, ut in Vindiciis noſtris obiter ſubinnui his verbis, *Scripſit autem ille* [Juſtinus Martyr] *ante Eleutherium, ante Soterem, imò ante Anicetum, ut nunc Aniceti tempora à Chronologis ex Euſebio diſponuntur.* Quem autem illi quinto Antonini junioris anno ordinatum volunt, hunc ego Antonini ſenioris quinto ſediſſe arbitror, XXIII. ferè annorum intervallo. Et habeo quidem ego quem ſequor

quor Eutychium, illi verò neminem. Ante Baronium Onuphrius ſtatuit Anicetum ſub Antonino Pio An. Dom. CLIII. Pontificatum iniiſſe, mortuum autem eſſe Ruſtico & Aquilino Coſſ. triennio antequam eum ordinatum putavit Baronius: ita inter Onuphrianum & Baronianum calculum XIII. ferè annorum diſcrepantia eſt. Neque Veterum quiſquam Aniceti initium ſub Marci Imperio collocavit. Euſebius in Chronico, Anno Antonini Pii XVI. Anicetum Epiſcopatum tenuiſſe dicit. Hieronymus in Catalogo de Polycarpo ſcribens Euſebio ſuffragatur; *Hic*, inquit, *propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones ſub Imperatore Antonino Pio, Eccleſiam in Urbe regente Aniceto, Romam venit.* Latini quidem Anicetum Pio malè præpoſuerunt; neutrius autem infra Conſulatum vel Clari & Severi, hoc eſt, Antonini Pii IX. vel Gallicani & Veteris, hoc eſt, Antonini Pii XIII. initium ponunt.

II. Pro certo igitur haberi debet Anicetum ſub Antonino Pio Pontificatum iniiſſe; quoto autem ejus Imperii anno inierit, quæri poteſt, & quidem non inutiliter: Interim tam maturè eum ſediſſe ex certiſſimis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis probatum dabimus.

CAP.

CAP. XIV.

I. *Romam venit ſub Aniceto Polycarpus, & quidem Imperante Pio, quo etiam Imperante paſſus eſt.* II. *Scripſit Irenæus adversùs Hæreſes circa An. Dom.* CLXXX. *poſt aliquas tamen à Polycarpo in ſede Smyrneâ Succeſſiones.* III. *Vidit Irenæus Polycarpum, ſed puer ipſe admodum ſenem.* IV. *Multis proinde, antequam ſcriberet, annis.*

I. HÆc autem Quæſtio de Pontificatu Aniceti diu mihi viſa eſt ex ætate S. Polycarpi optimè determinari poſſe, & multo antequam Eutychii Chronologiam conſideratione dignam putaveram; & nunc rationes noſtras afferam, rem ipſam, ut puto, certiſſimè confecturas. Conſtat enim Polycarpum Romæ fuiſſe ſub Aniceti Pontificatu: hoc aſſerit Irenæus, qui Polycarpi diſcipulus fuit, & ſub Aniceto vixit, lib. 3. cap. 3. Ὁς γὰρ ἐπὶ Ἀνικήτου ἐπεδήμησε τῇ Ῥώμῃ πολλοὺς ἀπὸ τῶν προειρημένων αἱρετικῶν ἐπέστρεψεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Vet. Interp. *Is enim eſt, qui ſub Aniceto cùm advenisſet in Urbem, multos ex his quos prædiximus hæreticos convertit in Eccleſiam Dei.* Idem etiam affirmavit in Epiſtolâ ad Victorem Papam Romanum ſcriptâ, Καὶ ὁ μακαρίτης Πολυκάρπου ἐπιδημήσας τε τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ Ἀνικήτου, καί τινα ἄλλα περὶ μικρὰ σχήματα πρὸς ἀλλήλους αὐτοὺς διῳκήσατο. *Et cùm Beatus Polycarpus ſub Aniceto Romam veniſſet, atque inter illos de quibuſdam aliis rebus modica eſſet controverſia, ſtatim inter ſe pacem fecerunt*, apud Euſeb. lib. 5. cap. 24. Adventum hunc ſub Antonino Pio collocat Euſebius lib. 4. cap. 14. quem ſequitur Hieronymus (ut diximus) in Catalogo. Et Faſti Siculi ponunt ſub Tertullo & Sacerdote, qui

qui An. Dom. CLVIII. hoc eſt, Pii XX. Conſulatum geſsêre. Hieronymus in Catalogo, *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum tenet Anicetus annos* XI. *Sub quo Polycarpus Romam veniens multos ab hæretico errore correxit.* Unde & Halloixius & Valeſius & Heinſchenius meritò Baronium reprehendunt, quòd Aniceti initia tam ſerò, ad Marci quintum referat. Verùm non adventum hunc tantùm, ſed & Martyrium Polycarpi ſub Antonino Pio contigiſſe memoratur. Certè apud Chronographum veterem MS. quem mihi commodavit Vir eruditiſſimus Iſaacus Voſſius, hæc legi, Μετὰ δὲ Ἁδριανὸν ἐβασίλευσεν Ἀντωνῖος ἔτη κβ', ἐφ' οὗ Πολύκαρπος ὁ μαθητὴς Ἰωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ καὶ Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος ἐμαρτύρησαν. *Poſt Hadrianum autem imperavit Antonius annos* XXII. *ſub quo Polycarpus Joannis Evangeliſtæ diſcipulus & Juſtinus philoſophus Martyrium ſubierunt.*

II. Vera hæc eſſe de Juſtino putat doctiſſimus Valeſius, Ego etiam de Polycarpo, ut ex ſequentibus patebit. Irenæus ſcripſit Libros contra Hæreſes circa An. Dom. CLXXX. extremis Marci temporibus & ſub initio Commodi; neque enim omnes ſimul ſcripſit. Priores quidem duos primò exaravit, & ad Amicum tranſmiſit, dein tertium, & ad eundem miſit; poſtea quartum addidit tranſmiſitque; denique quintum, quatuor priùs editis ſubjecit, ut ex Prologis patet. Tertium autem Librum ſub Pontificatu Eleutheri ſcripſit, ut ipſe oſtendit cap. 3. Διαδεξαμένου δὲ Ἀνίκητον Σωτῆρος, τὸν δωδέκατον τόπον τῆς ἐπισκοπῆς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων κληροῖ Ἐλεύθερος. Vet. Interp. *Cùm autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius.* Eleutherus autem An. Dom. CLXXXV. Coſſ. Materno & Bradua obiit. Unde veriſſima mihi videtur ſententia Feuardentii; & Marca longè aberrat, qui putat eum ſcripſiſſe An. Dom. CXC; ante quem annum defunctum fuiſſe Eleutherum ſatis certum eſt. Vixit enim tantùm uſque Materno & Bradua, hoc eſt,

uſque ad An. Dom. CLXXXV. ut ex antiquiſſimo Catalogo conſtat. Quibus obſervatis vulgaris ſententia de anno obitûs S. Polycarpi facilè refutatur. Vel enim ſtatuunt Viri docti cum Euſebii Chronico anno Marci Aurelii VII. An. Dom. CLXVII. vel anno Marci IX. An. Dom. CLXIX. S. Polycarpum Martyrio coronatum eſſe; ut Bucherius & Uſſerius voluerunt; vel denique An. Dom. CLXXV. ut probare nititur Samuel Petitus Var. Lect. lib. 4. cap. 7. At tam ſerò paſſum eſſe Polycarpum ut putemus vetat Irenæus ejus diſcipulus. Ipſe enim lib. 3. cap. 3. de Polycarpo ſic ſcribit, Ταῦτα διδάξας ἀεὶ, ἃ καὶ παρὰ τῶν Ἀποστόλων ἔμαθεν, ἃ καὶ ἐκκλησία παραδίδωσι, ἃ καὶ μόνα ἔστιν ἀληθῆ· μαρτυροῦσι δὲ τούτοις πάντες οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐκκλησίαι πᾶσαι, καὶ οἱ μέχρι νῦν διαδεδεγμένοι τὸν Πολύκαρπον, ut habet Editio Valeſii, ut autem prior Roberti Stephani, τὸν τοῦ Πολυκάρπου γόνον. Vetus Interpres, *Hæc docuit ſemper, quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſia tradidit, & ſola ſunt vera: teſtimonium his perhibent, quæ ſunt in Aſiâ, Eccleſiæ omnes, & qui uſque adhuc ſucceſſerunt Polycarpo.* Plures igitur novit Irenæus ſucceſſores Polycarpi, qui ab obitu Polycarpi uſque ad illud tempus, quo ipſe ſcripſit, in Cathedrâ Smyrnenſi ſederant, & quorum autoritas magnum doctrinæ Catholicæ contra hæreticos patrocinium præbuit. Qui quidem erant, opinor, Papias Camerius aliique fortaſſe inter Camerium & ætatem, quâ ſcripſit Irenæus.

III. Hæc ad arctum quinquennii aut duodecennii ſpatium nullâ veriſimilitudine reſtringi poſſunt; ſed ad triginta minimùm extendi & poſſunt & debent. Quod ex iis, quæ ab Irenæo eodem capite & alibi dicuntur, facilè intelligitur; Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ Ἀποστόλων μαθητευθεὶς καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῦ Χριστοῦ ἑωρακόσι, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος, ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ

πρώτη ἡμῶν ἡλικίᾳ· ἔτι γὰρ παρέμενε καὶ πάνυ γηραλέῳ ἀνδρὶ ἀποβῆναι καὶ ἀποφανίσασθαι μαρτυρήσας ἐξῆλθε τοῦ βίου. Vet. Interp. *Et Polycarpus autem non ſolùm ab Apoſtolis edoctus & converſatus cum multis ex iis, qui Dominum noſtrum viderunt, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſiâ, in eâ quæ eſt Smyrnæ Eccleſiâ, conſtitutus Epiſcopus; quem & nos vidimus in primâ noſtrâ ætate; multùm enim perſeveraverat & valdè ſenex glorioſiſſimè & nobiliſſimè Martyrium faciens, exivit de hâc vitâ.* Duo hîc dicit Irenæus, Polycarpum fuiſſe Apoſtolorum diſcipulum, ſe autem eum vidiſſe, & ea quæ docuit noviſſe. In libro, quem ſcripſit de Octonario, referente Euſebio, lib. 5. cap. 20. ἱστορεῖσθαι τινὰ τοῦτον τῶν Ἀποστόλων καταληφθέντα ὑπ' αὐτοῦ ἀξιοῦν. Rufinus Interpres, *In quo ſignificat conſecutum ſe eſſe quoſdam ex ſucceſſoribus Apoſtolorum:* multo cautiùs Valeſius; *primam ſe Apoſtolorum ſucceſſionem contigiſſe ſignificat.* Quod ad unum fortaſſe Polycarpum pertinebat. Solebat quidem Irenæus ſæpius Presbyterorum, quibuſcum converſatus fuerat, teſtimonia proferre; *ſed eorum, qui audierant ab illis, qui Apoſtolos viderant.* Ut autem doctrinam aliquam ab eo, qui ab Apoſtolis ipſis edoctus & Epiſcopus factus eſt, ipſe ſuis auribus hauriret, non potuit non eâ ætate, quâ ſcripſit, mirum videri: Ut igitur id verum eſſe, quod dixerat, apparere poſſet; duo iterum dixit, tum ſe *puerum* fuiſſe, tum Polycarpum *diu permanſiſſe*, cùm eum videret. Quis hæc unquam dixiſſet, qui quinquennio aut duodecennio circiter poſt tam clarum tanti Viri Martyrium ſcripſerit? Polycarpum ſenem audivit Irenæus puer, nunquam poſtea. Agnoſcit Halloixius, *Irenæum fuiſſe quidem diſcipulum Polycarpi, & (ut ipſe ſcribit) admodum juvenem valdè ſenis.* Sed vulgari Chronologiâ miſerè deceptus eundem à Polycarpo primò Diaconum, dein Preſbyterum ordinatum eſſe aſſerit; cùm Irenæus nunquam Polycarpum vidit, poſtquam ad Ephebos tranſierat ipſe.

IV. Patet hoc, tum ex iis, quæ diximus, tum præcipuè ex Epiſtolâ ad Florinum ſcriptâ, cujus fragmentum extat apud Euſeb. lib. 5. cap. 20. In quâ docet Hæreticum illum non ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo ſua hauſiſſe, non certè à Polycarpo, quem aliquando audiverat: Εἶδόν γάρ σε παῖς ὢν ἔτι ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ ἀφ' τῷ Πολυκάρπῳ, *Vidi enim te, cùm puer adhuc eſſem, in inferiore Aſiâ apud Polycarpum.* Et nequis dubitaret, an & intelligere doctrinam ejus & retinere poſſet, ſtatim ſubjungit, μᾶλλον γὰρ τὰ τότε διαμνημονεύω τῆς ἐκκλησίας γινόμενα, *Etenim ea, quæ tunc temporis geſta ſunt, meliùs memoriâ teneo, quàm ea, quæ nuper acciderunt.* Cujus effati philoſophicam reddit rationem. Tum verò profitetur poſſe ſe adhuc dicere, quomodo Polycarpus in eo conventu ſe geſſerit, quales ſermones ad populum habuerit, qualem conſuetudinem ſe cum Joanne habuiſſe dixerit, & cum aliis, qui Dominum viderant; ac tandem hæc addit, Ταῦτα καὶ τότε διὰ τὸ ἔλεον τοῦ Θεοῦ τὸ ἐπ' ἐμὲ γενόμενα σπουδαίως ἤκουον ἐπιμελῶς γράφων ἀυτὰ οὐκ ἐν χάρτῃ, ἀλλ' ἐν τῇ ἐμῇ καρδίᾳ, καὶ ἀεὶ διὰ πίστιν χάριτος τοῦ Θεοῦ γνησίως ἀυτὰ ἀναμαρυκῶμαι, *Hæc ego per Dei erga me miſericordiam ſtudioſè tunc audiebam, non in chartâ, ſed in corde audita deſcribens, eademque per Dei gratiam aſſiduè repeto ac revolvo.* Notanda obiter ea verba ſunt σπουδαίως ἤκουον, *ſtudioſè audiebam*; hinc enim Euſebius Hiſtoriæ lib. 5. cap. 5. hæc de Irenæo ſcripſit; Πολυκάρπου δὲ τούτου ἀκροατὴν γενόμενον καὶ ἡμᾶς ἰδεῖν ἔτι νέους ὄντας ἐν τῇ πρώτῃ, Rufinus Interpres, *Quem Irenæum Polycarpi auditorem in pueritiâ comperimus.* Idem etiam vel ex iis colligi poſſe videtur, quæ habet Irenæus lib. 5. cap. 33. *Hæc autem & Papias Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo per Scripturam teſtimonium perhibet*; quæ Græcè extant apud Euſebium. Malè igitur Vir eruditus

nuper

nuper aſſeruit Irenæum ipſum dixiſſe, *vidiſſe ſe modò Polycarpum*, cùm multa ſe ab eo audiviſſe tam diligenter tradat. An Irenæus hæc dixiſſet, ſi adultior factus Polycarpum audiiſſet, ſi ab eo Diaconus & Presbyter ordinatus in Galliam miſſus fuiſſet? An miſericordiæ Dei, quòd eum puer adhuc ſtudiosè audiverit, & gratiæ etiam imputàſſet, quòd quæ ab eo tunc audierat, aſſiduè recoluerit, ſi ejus doctrinâ & inſtitutis per multos annos poſtea fuiſſet imbutus? Ferri hæc non poſſunt. Irenæus Polycarpum audivit adhuc puer & in primâ ætate; admiratione tam venerandi Viri captus ejus perſonam, geſtus & verba in animo ſemper habuit, ejuſque autoritatem omnibus Hæreticis oppoſuit. Sive . . . .

* * * * * * * * * * * * * * *

H. D.

Deſunt hoc in loco nonnulla, ſed nec multa illa, nec novum, ut videtur, Argumentum præbentia. Moneo itaque deinceps Lectorem nè in iſtiuſmodi locis noſtras Additiones expectet.

CAP.

CAP. XV.

I. *Polycarpi Martyrium maturius ſuadet Ætas* LXXXVI. *vitæ annum, cum pateretur, agentis.* II. *Annos illos de Profeſſione Chriſtianâ, aut Miniſterio, intelligunt qui Martyrium ejus recentius exiſtimant.* III. *Qui annum egerit, cum pateretur,* LXXXVI. *rectè dici potuit* πάνυ γεραιόν.

I. DEnique ego cenſeo S. Polycarpum non XV. vel IX. vel VII. Marci Antonini, ſed diu ante, IX. ſcilicet Antonini Pii anno Per. Jul. 4860. Cyclo Lunæ 15. Solis 16. L. Dominicali B. paſſum eſſe; idque ex ipſis Actis Paſſionis demonſtrari poſſe contendo. Viri hujus ætatis ſanè doctiſſimi aliter ſenſerunt: Nos igitur ſententiam & rationes noſtras cum eorum ſententiâ & rationibus conferemus, unde veritas clariùs eluceſcat. Optimus Uſſerius conſtare ait ultra LXX. annos Epiſcopatum Smyrnenſem obtinuiſſe Polycarpum; & in Appendice Ignatianâ aſſerit *inter Polycarpum & Clementis Alexandrini exceſſum non multo plures quàm triginta annos interceſſiſſe:* quod Veterum quiſquam nunquam aſſeruit. Imò Autor Faſtorum Siculorum diſertè aſſerit S. Polycarpum LXXXVII. ætatis anno (ita enim ille, ἐκὼν ζῶν ἐτῶν πζ', *vivus combuſtus eſt, cùm eſſet annorum LXXXVII.*) paſſum eſſe: ipſa Paſſionis Acta ita interpretatur, Ὀγδοήκοντα ἓξ ἔτη ἔχω λατρεύων αὐτῷ. Vet. Interp. *Octogeſimum jam & ſextum annum ingredior nomini ejus probatus & ſerviens ſemper.* Sed Autor Chronici, Περὶ δὲ τοῦ αὐτοῦ εἶπε τῷ ἀνθυπάτῳ ἀπόντι, Βλασφήμουσι τὸν Χριστὸν, ὁδὲ εἶπε, πρ' ἔτε

ἔτη λογίῳ τῷ Χριστῷ ἐ ὐδέν με ἠδίκησεν, *De annis autem ſuis dixit Proconſuli dicenti*, Blaſphema Chriſtum, *dixit, Per octoginta ſex annos ſervio Chriſto, & nunquam mihi injurius fuit.* Ita Græci veteres de ætate Polycarpi, cùm pateretur, ex ipsâ Paſſionis hiſtoriâ judicabant. Ita etiam Latini, ut Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. Franc. cap. 28. *Octuageſimo ſexto ætatis ſuæ anno, velut holocauſtum puriſſimum per ignem Domino conſecratur.* Planè ut Polycrates in Epiſtolâ ad Victorem apud Euſebium lib. 5. cap. 24. Ἐγὼ δέ, ἀδελφοὶ, ἑξήκοντα μὲν ἔτη ἔχω ἐν Κυρίῳ· Rufinus, *Unde, Fratres chariſſimi, ſexaginta & quinque annos ætatis gerens in nomine Domini.* Et ante Rufinum Hieronymus, *Sexaginta quinque annos ætatis meæ natus in Domino.* Certè hæc de annis ætatis, quos jam moriturus egerat Polycarpus, intelligebant Veteres. Jam verò ſi anno ætatis ſuæ octuageſimo ſeptimo paſſus eſt, ſub Marco Antonino pati non potuit. Cùm enim conſtet eum ab Apoſtolis edoctum, & à S. Joanne Epiſcopum ordinatum eſſe; ſi plures quàm ſeptuaginta annos poſt S. Joannis mortem vixiſſet, ut illi volunt, ante annum ætatis decimum ſextum *totius Aſiæ princeps fuiſſet*, ut loquitur Hieronymus. Imò ſi ſententiam Petiti admittamus, vix decennis eſſe potuit, cùm Epiſcopus fuit.

II. Primus omnium, cùm videret hæc cum vulgari ſtare non poſſe ſententiâ, Halloixius locum hunc interpretatus eſt non de annis ætatis, ſed Chriſtianæ profeſſionis; & exemplum Hilarionis adducit, ſed minus idoneum: conſtat enim Hilarionem habuiſſe *parentes idolis deditos*, & Alexandriæ in Scholâ Grammaticâ ad annum vitæ decimum quintum Gentilem planè fuiſſe, quale nihil de Polycarpo traditur. Archiepiſcopus Armachanus Halloixium hic ſecutus *conſtare* ait *ultra LXX. annos Epiſcopatum Smyrnenſem obtinuiſſe Polycarpum*; quod Veterum quiſquam nunquam aſſeruit, quódque tantummodo ex ſententiâ, quam de tempore Martyrii ejus defendunt Viri eruditi, gratis

gratis dicitur. De ſuo quidem adducit exempla eorum quos à Chriſto ſanatos, aut ex mortuis ſuſcitatos ad ſua uſque tempora vixiſſe, in Apologiâ Hadriano Imperatori oblatâ Quadratus teſtatur. Sed hæc nihil omnino probant. Nam Quadratus ille, Apoſtolorum diſcipulus ab Euſebio dicitur X. Hadriani, hoc eſt Chriſti CXXVII. anno eam Apologiam obtuliſſe, & ex iis verbis antiquitatem ſuam oſtendiſſe: quare diu ante Imperium Hadriani, imò diu ante obitum S. Joannis eos videre præ ætate potuit. Neque neceſſe eſt eorum quempiam ultra annos LXXXVII. vixiſſe, ut ad Quadrati tempora duraſſe dicantur. Blondellus verò & Halloixium & Armachanum longè ſuperat, & Polycarpum *exactis in ſacro miniſterio annis LXXXVI. anno Chriſti CLXVII.* paſſum eſſe tradit, quaſi An. Dom. LXXXI. Presbyter ſive Epiſcopus factus ſit. Ad has anguſtias Viri docti redacti ſunt, qui Polycarpum tam ſerò paſſum eſſe crediderunt: neque alium ſuæ ſententiæ fundum habent, quàm quòd Irenæus eum valdè ſenem vocat, & Acta debilem fuiſſe, cùm pateretur, referunt.

III. Sed neque quia Irenæus eum πάνυ γηραλέον, *valdè ſenem* appellavit, inde concludi poteſt ultra annum LXXXVII. vixiſſe. Ita Dionyſius Halicarnaſſeus ſcriptor accuratus de Dinarcho Rhetore in ejus Vitâ, Τέτταρα δὲ ἀυτῶν ἑβδομηκοστὸν ἔχοντα ἔτος ἀπὸ τῆς φυγῆς κατιλαμβάνει, ὡς ἡ ἀυτὸς φησι, γήρασι ἀυτὸν ἐπιγαλοῦν, ἀφ' ὧν ἀρχὴν καὶ καλεῖν τὸν ὁ ἡλικίαν παύτην μάλιστα ἐώθαμεν. Adiit Joſephum quendam Epiphanius ex Judæo Chriſtianum factum, τῇ γηραλίᾳ ἀυτοῦ ἡλικίᾳ, ὡς ἂν μὴ ἐτῶν ἑβδομήκοντα γεγονότα ἀυτὸν ἢ καὶ πλείονων, *in ſenili ejus ætate, utpote qui natus eſſet annos LXXVII. aut etiam plures.* Si autem Septuagenarius γηραλέος rectè dicatur, certè qui annum octuageſimum ſextum tranſegit, rectè dicetur

dicetur πάνυ γηραλέος, *valdè ſenex*. Ipſe Epiphanius in extremâ ſenectute ſcripſiſſe dicitur Hieronymo, An. Dom. CCCXCII. cùm octuagenarius eſſet. Doctiſſimus Valeſius hîc hærebat, ad Euſeb. lib. 5. cap. 24. *Mortuus eſt*, inquit, *Polycarpus, cùm ſextum & octogeſimum ætatis annum jam exegiſſet; ita enim ſcribitur in Epiſtolâ Eccleſiæ Smyrnenſis*, ὀγδοήκοντα ἐξ ἔτη μαθήσας αὐτῷ. *Quòd ſi annos illos non à primo ſtatim ortu, ſed à pueritiâ ordiri lubet, quando primùm homines ratiocinari incipiunt; ſequetur omninò Polycarpum centenario majorem aut proximum è vivis abiiſſe.* Ætatem Martyris Vir perſpicaciſſimus ſecundum Veteres libenter amplexus eſt; ſed cùm Martyrium ejus ſeptimo Marci anno alligaverat, novam expoſitionem ſuperaddere coactus eſt, quam alibi tueri noluit. Nam cùm Publium Athenarum Epiſcopum ſecundum ſub Marco Antonino paſſum eſſe malè putaret, contendit eum contra communem ſententiam, Dionyſio Areopagitæ haud proximè ſucceſſiſſe, quia pluſquam LXX. annis in Epiſcopatu eum vixiſſe dicendum eſſet. Nos veteri expoſitioni adhæremus, quam omnia, quæ ſequentur, ex iiſdem Actis deſumta confirmabunt. Reliqui autem temporis Characteres ad Martyrium Polycarpi pertinentes ſummâ cum curâ & diligentiâ examinandi & explicandi ſunt; quia Vir maximus Henricus Valeſius omnia hîc nobis adverſa amplectitur, & Characteres omnes magnâ induſtriâ aliorſum trahit.

CAP. XVI.

I. *Idem colligitur ex ætate Nicetæ, & L. Statii Quadrati Proconſulis.*

1 PRoximus autem temporis Character in notâ Proconſulis Aſiæ continetur. Nam Herodis Irenarchæ Niceta pater ibi nominatur valdè ſenex, ut videtur, & in curru ſedens; & de Nicetâ Smyrnæo legimus apud Philoſtratum, qui ſub Nerva floruit; poteſt ipſe eſſe, ſi noſtros calculos quis ſequatur; ſi communes, minimé. Sed huic haud inſiſtendum reor. Cùm Proconſularis annuus Magiſtratus ſit, quanta certitudo erit Proconſulis in Actis nominati, tanta erit & anni, quo Polycarpus mortuus eſt. Erat autem eo anno Aſiæ Proconſul Statius Quadratus, ut Acta teſtantur. Nequis dubitationi locus ſit, ſententiam noſtram verbis exprimere ſtatui H. Valeſii, quia melioribus uti non poſſum. Sic enim ille ad hæc Euſebii lib. 4. cap. 15. ἀντὶ τοῦ ὁ ἀνθύπατος. *Hic Proconſul Aſiæ vocabatur Statius Quadratus; ſic enim rectè ſcribitur in veteri interpretatione Latinâ hujus Epiſtolæ, quam primus edidit Jac. Uſſerius Armachanus: Malè in Græco textu* Στράτος, *nec rectiùs in Chronico Alexandrino* Τάτος *exaratur. Is eſt, ut opinor, L. Statius Quadratus, qui Conſul fuit principatu Antonini Pii, anno Urbis conditæ* 895. *ut legitur in Faſtis Onuphrii.* Certè ex ipſis Actis ſtatuendum eſt ipſum Statium Quadratum & non alium, eo anno Aſiæ Proconſulem fuiſſe, quo paſſus eſt S. Polycarpus: Statius Quadratus Romæ Conſul fuit cum Cuſpio Rufino, quinto Antonini Pii, anno Domini CXLII. Quorum Conſulum mentio facta eſt in antiquâ Inſcriptione, tum apud Panvinium, tum apud Gruterum MLXXXII. 18.

DEDI-

DEDICATUM K. OCTOBR.
L. CUSPIO RUFINO
L. STATIO QUADRATO COSS.

Et hi fuere ante Torquatum & Herodem Coſſ. ut Faſti referunt: ſed paulo ſeriùs, ſi ante eos Bellicius & Herodes conſulatum geſſerint; quod Falconerius Vir eruditus demonſtraſſe ſe nuper (Ann. *Cypr.*) putavit, de quâ re nos alibi egimus. Interim pro certo haberi debet Torquatum & Herodem immediatè ante Avitum & Maximum Coſſ. fuiſſe: id enim conſtat ex Inſcriptione apud Gruterum p. 301. ubi hæc duo paria Conſulum ſæpius repetuntur. At poſt Avitum & Maximum, nemo Rufinum & Quadratum numerabit. Statuendum igitur eſt ſecundùm ordinem Faſtorum Statium Quadratum Conſulatum geſſiſſe An. Dom. CXLII. Conſules autem ex jure ad quinquennium Proconſulatum ſortiti ſunt: non immeritò igitur ſtatuendum cenſeo Statium Quadratum Proconſulatum Aſiæ geſſiſſe An. Dom. CXLVII.

CAP. XVII.

I. *Titum Quadratum in Chronico Alexandrino ſcriptum fingit Petitus, & de T. Numidio Quadrato Aſiæ Proconſule intelligit; Titum Numid. Quadratum intelligit etiam Blondellus, ſed non Aſiæ Procoſ. ſed Romæ Coſ. cum L. Vero Aug. III. Coſ. De eodem Veri Imp. Collegâ intellexerunt Bucherius etiam & Uſſerius. Perperam.* II. *Quadratus Vari Magiſter erat Numidius Quadratus. Incertum eſt quod è Peſte collegit Valeſius, Quadrati Rhetoris Proconſulatum in* VII. *Marci incidiſſe.* III. *Numidius Quadratus, cujus meminit Ariſtides, erat Aſiæ Proconſul anno CLXX. Pollio an. CLXXI. Severus an. CLXXII.* IV. *Recapitulatio.*

I. MUlta hic, & Viris doctis prorſus indigna, comminiſcuntur illi, qui ſub Marco paſſum eſſe Polycarpum volunt. Samuel Petitus Chronicon Alexandrinum Titum Quadratum ſcripſiſſe fingit, & ſecurè de Numidio Quadrato interpretatur, quem Proconſulem Aſiæ poſt quinquennium exactum An. Dom. CLXXV. fuiſſe & Martyrii coronam Polycarpo impoſuiſſe ſtatuit. Blondellus verba agnoſcit, ſed mirâ correctione utitur, Apologiæ Sect. 2. §. 8. *Tatii ſeu veriùs Lucii Statii Quadrati qui An. Dom. CXLII. Antonini Pii quinto, L. Cuſpium Ruſinum collegam habuit, Proconſulatus in annum CLXIII. à Conſulatu viceſimum primum nullâ ratione differtur.* Rectè hæc quidem & admodum appoſitè, dum contra Chronici

Chronici Alexandrini autorem diſputat, qui Polycarpum & ſub Statio Quadrato Proconſule & ſub Imperio Marci Antonini paſſum eſſe ſtatuebat: quæ autem inde elicit, peſſimi commatis ſunt. *Non igitur*, inquit, *quo mortalitatem exuit Polycarpus tempore Quadratus ullus Aſiano Proconſulatu functus eſt* (mira hæc ſunt) *ſed Titus Numidius Quadratus cum L. Vero Auguſto tertium Conſulatum adminiſtravit, adeóque in Faſtis non* ἐπὶ ἀνθυπάτου Τατίου, *ſed* ἐπὶ ὑπατείας Τίτου Κοδράτου *ſcribendum fuit.* Primò pro Tatio vel Stratio Titum legit, ut Petitus; ſecundò pro ἀνθυπάτου, ὑπατείας. Docet igitur veterem Autorem quid ſcribere debuerit; docet eum, qui ipſa Acta viderat, quomodo ea interpolare oportuit; docet denique ea ſcribere, quæ nemo unquam ſcripſit; ſcilicet nè nomine Proconſulis illa quæ geſta erant in provinciâ Proconſulari ſignaret, quod ſolenne eſt; ſed nomine unius eorum, qui Romæ Conſules tunc temporis fuerunt, quod inſolens eſt. Ægidius Bucherius qui primus ad An. Dom. CLXIX. paſſionem Polycarpi deduxit, multò modeſtiùs, ſed nihilo veriùs, Acta correxit: *Proconſul*, inquit, *ſub quo paſſus dicitur, Tatius Quadratus, poterit eſſe T. Numidius Quadratus biennio antè Conſul, L. Aurelio Collegâ, qui peracto Conſulatu Proconſul Aſiæ adminiſtrandæ commodè mitti potuerit.* Reverendus Uſſerius Statium Quadratum in Actis agnoſcit, *Eſt autem*, inquit, *idem quem ſuo tempore Aſiæ Præfecturam ſuſcepiſſe memorat Ariſtides, idemque ut videtur, qui ante biennium cum L. Aurelio Vero Aug. Romæ ordinarium geſſerat Conſulatum.* Eſt autem ille, qui cum L. Aurelio Vero Aug. Conſulatum geſſit T. Numidius Quadratus; & ut idem & L. Statius Quadratus & Titus Numidius Quadratus eſſet, mirum videbatur.

II. Quare H. Valeſius paulò cautius Statium Quadratum, ut Acta referunt, Proconſulem Aſiæ tunc fuiſſe ſtatuit, cùm Polycarpus paſſus eſt, eundemque eſſe, qui Conſul fuit cum Rufino An. Dom. CXLII, & cujus meminit Ariſtides:

riſtides: ſed ex Ariſtide probare conatur eum Proconſulatum Aſiæ geſſiſſe An. Dom. CLXVII. Hæc quidem ad mentem Euſebii, qui eo anno paſſum eſſe Polycarpum tradit, optimè excogitata ſunt, ſed nullâ ratione conſtant. Nam Proconſulatus, ut rectè ajebat Blondellus, *in annum CLXIII. à Conſulatu viceſimum primum* malè differtur, pejus verò in annum CLXVII. à Conſulatu viceſimum quintum. Præterea Quadratus, cujus meminit Ariſtides, Statius Quadratus non dicitur. Rhetorem eum vocat Ariſtides, & ideo eundem eſſe putat Valeſius cum eo, quem Vari Magiſtrum dixit Philoſtratus; ſed nec ille Statius appellatur, & reverâ Numidius eſſe videtur. Varus enim ille Philoſtrati Pergæus, juvenis mortuus eſt; audivit autem Quadratum jam Conſulem, & Alexandro junior fuit, qui erat Marco ab Epiſtolis in bello Marcomannico, quod ſuſceptum eſt poſt Conſulatum Numidii Quadrati. Multis probare nititur Valeſius Quadratum illum Aſiæ Proconſulem fuiſſe An. Dom. CLXVII. quo anno Numidius Quadratus Romæ Conſul fuit, atque inde concludit Polycarpi mortem in eum annum neceſſariò conferendam eſſe. Sed nimis debili fundamento hoc argumentum nititur; ſic enim procedit: Severus fuit Proconſul Aſiæ anno poſt peſtem, quæ ibi graſſata eſt; Quadratus Proconſul fuit biennio antè; Euſebius eam peſtem confert in annum octavum Marci (annum ſcilicet, qui intercеſſit Proconſulatum Quadrati & Severi) ergò Quadratus Proconſul Aſiæ fuit anno Marci ſeptimo. Sed hoc argumentum prorsùs invalidum eſt; Nam illa peſtis per multos annos graſſata eſt; Romæ maximè invaluit XII. Marci, eodem Euſebio teſte: in Oriente cœpit, & per Provincias graſſata eſt; quando circa Æſepum ſæviit, neſcitur: Nullius igitur anni Character certus ex iſtâ lue deduci poteſt.

III. Cùm

III. Cùm autem Valeſius rurſus colligit Severum nono Marci Proconſulatum Aſiæ adminiſtrâſſe, quia eo Proconſule Ariſtides literas accepit ab Auguſto & ejus filio, hoc mihi minimè probatur. Verba Ariſtidis ſunt Sermonum Sacrorum quinto, Ἡμέραις ὑ πολλαῖς ὕστερον ἐξ Ἰταλίας ἀφικνοῦντας ἐπιστολαὶ ἀφ' ἑνὸς μὲν τοῦ βασιλέως, τοῦτο αὐτοκράτορος αὐτοῦ, καὶ τοῦ παιδός, *Poſt paucos dies venerunt ad me ex Italiâ literæ à Regibus, tum Imperatore ipſo, tum ejus filio.* Quibus ſatis clarè indicatur duos tunc temporis tantùm Reges Romam tenuiſſe, Auguſtum unum, alterum Cæſarem. Imperatorem & Cæſarem duos Reges vocat, ut Libanius in Panegyrico Juliani de Conſtantio Auguſto & Gallo Cæſare, Μίσος δυοῖν βασιλέοιν ἐπόλις οὐ ἀρχαίας κεφαλῆς, ὅθεν μὲν ἀνῳχῶ τοῦ τὸ πᾶν κράτος ἴσχοντος, ἑπόμενον δὲ ἀδελφῷ λωποδύτῃ ταχὺ εἰλκυσότος. At anno nono Marci duo Auguſti fuêre: Lucius enim mortuus eſt anno Imperii nono exeunte, medio hyemis (i.e.) menſe ——— poſt cujus mortem aliquamdiu duo Cæſares fuêre Commodus & Verus; & poſt mortem Veri Marcus in Pannoniâ fuit, manſitque Sirmii anno Imperii XI. Non igitur anno X. Marci Severus Aſiæ Proconſul fuit, ſed neque XI. tunc enim ipſe Conſul iterum erat. Veriſimillimum igitur mihi videtur Severum XII. Marci Procōnſulem Aſiæ factum eſſe An. Dom. CLXXII. cùm fuiſſet ſecundùm Conſul anno priori; Pollionem eum præceſſiſſe in Conſulatu anno Marci undecimo, cùm Conſul fuiſſet anno Marci ſexto; Quadratum præceſſiſſe Pollionem in Proconſulatu anno Marci decimo, qui Conſul fuerat (ut Valeſius putavit) anno Marci ſeptimo. Quadratus igitur Ariſtidis Anno Dom. CLXX. Proconſul Aſiæ fuit; proinde L. Statius Quadratus ille non erat, qui Conſul fuit ordinarius An. Dom. CXLII. annis priùs duodetriginta; ſed

potiùs

potiùs T. Numidius Quadratus, qui Conſul ordinarius fuit An. Dom. CLXVII. Nam ſi, ut obſervat Bucherius, *T. Numidius Quadratus biennio antè Conſul peracto Conſulatu Proconſul Aſiæ adminiſtrandæ commodè mitti potuerit*, An. CLXIX.; certè triennio antè Conſul mitti potuit An. CLXX. Hæc eum Sermonibus Ariſtidis maximè cohærent, qui tradit Severum anno morbi decimo Proconſulem fuiſſe, ipſum verò ab ipſo morbi ſui initio multa de Vologeſo ſomniâſſe, quod illi maximè tempori congruit, quo Lucius in Vologeſum exercitum duxit, decennio ferè ante Marci duodecimum. Quare nihil obſtare deprehenditur, quin Statius Quadratus, ſub quo paſſus eſt Polycarpus ex veteri jure Proconſul Aſiæ fuerit An. Dom. CXLVII.

IV. Cùm igitur Argumentum à peſte deductum nihil probet, noſtrum autem à certo morbi Ariſtidis anno ſit certiſſimum, ...

A P.

CAP. XVIII.

I. Σάββατον μέγα *Sabbatum illud quod diem Paſchatis proximè præcedebat.* II. *Sic etiam è ſententiâ Judæorum.* III. *Incidit hoc Sabbatum in* VII. *Kal. April. quo anno paſſus eſt Polycarpus. Aliæ Lectiones exploduntur.* IV. *Incidit etiam in ſecundum Xanthici.* V. *Secundus Xanthici non incidit in Februarium, contra Valeſium.* VI. *Emendatur fortaſſe locus Epiphanii.* VII. *Cum æquarentur menſibus Julianis menſes Macedonici, ad eum menſem Julianum accommodatus eſt totus menſis Macedonicus quem longe maximâ ejus parte antea occupabat. Aprili autem, non Martio reſpondebat æquatus Xanthicus.*

I. DEnique illi ipſi Anno Domini CXLVII. optimè congruit diei, quo paſſus eſt S. Polycarpus, in ipſis ejus Actis deſcriptio: Dies enim ille triplici charactere inſignitur, Μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλίων, Σαββάτῳ μεγάλῳ, *Xanthici menſis die ſecundo, ſeptimo Calendas Apriles, Sabbato magno.* Hi autem characteres primò explicandi, dein cum opinionibus aliorum, & cum noſtrâ ſententiâ conferendi ſunt. Incipiam à Sabbato magno, qui temporis character in ipſo Actorum corpore diligenter expreſſus eſt, τῆς ὥρας ἐλθούσης τοῦ ἐξάγειν, ὅτε κατέστησαν αὐτὸν ἅμαξαν εἰς τὸν πόλιν, ἔστιν Σαββάτου μεγάλου. *Cùm jam hora adeſſet exeundi, aſino eum imponentes in civitatem deduxerunt, die magni Sabbati.* Perperam omninò Blondellus, *Magnum Sabba-*

tum eſt Feſtum quodcunque in feriam ſeptimam incidens. Nam eâ phraſi nihil indicâſſent Smyrnæi de die, quo paſſus eſt Polycarpus, ſi ſic intelligi deberet. Scripta eſt Epiſtola à Smyrnæis aliquanto tempore poſt Martyrium S. Polycarpi, ſed ante anni finem. Cùm igitur ſignificant eum Sabbato magno paſſum eſſe, unum aliquem illius anni diem, illumque omnibus notiſſimum indicabant. Hujus igitur Sabbati magni vera notio hîc neceſſariò indaganda: Sabbatum autem Magnum ſemper dicebatur Sabbatum illud, quod diem Paſchatis proximè præcedebat, neque ullus alius dies Sabbati eo nomine inſignitus eſt. Conſtitutiones Apoſt. lib. 5. cap. 19. Περὶ τῆς παννυχίδος τοῦ μεγάλου Σαββάτου, καὶ περὶ τῆς ἀναστασίμου ἡμέρας, *De pervigilio Magni Sabbati, & de die Reſurrectionis.* Canon Apoſtolicus 66. Sabbato, præter unum ſolum, jejunare vetat; ita hunc Canonem explicat Ariſtenus: Καθαιρεῖται ὁ ἐκλὸς τοῦ μεγάλου Σαββάτου ἕτερον, ἢ κυριακὴν νηστεύων, *Deponitur qui aliud præter Magnum Sabbatum, aut Dominicam jejunat.* Et Balſamon, καὶ μόνον τὸ μέγα Σάββατον, pariter interpretatur *ſecundum ſolum magnum Sabbatum.* Unum igitur tantùm & ſolum Magnum Sabbatum. Quod & hodierni Græci τὸ ἅγιον καὶ μέγα Σάββατον *Sanctum & magnum Sabbatum* vocant. Et vetuſtiores τὸ ὑπερευλογημένον Σάββατον· in Nomocanone nuper per Cotelerium edito, Νηστεύοντες ἐκκαιδεκάτην ἡμέρας τὰ ἐκτὸς τοῦ ἁγίου μεγάλου Σαββάτου, ἤγουν τὸ ὑπερευλογημένον Σάββατον μιμοῦνται Λατίνους, p. 137. & S. Chryſoſtomus Oratione de magnâ Hebdomade Tom. 5. Orat. 78. Ὥσπερ οὖν κεφάλαιον τῆς ἑβδομάδος, οὕτω καὶ τούτου κεφαλὴ τὸ Σάββατον τὸ μέγα. Et in vitâ S. Chryſoſtomi, nuper Græcè editâ, p. 82. Ἐν τούτοις ἐπέστη ἡ τοῦ μεγάλου Σαββάτου ἡμέρα· ἐν ᾗ ὁ Σωτὴρ σταυρωθεὶς ἐσκύλευσε τὸν

τὸν

τὸν ᾠδήν. Cùm de eadem re pag. 18. ita locutus eſſet, ἐχρῆν φασὶ τοὺς πλείους ἀντὶ τοῦ μεγάλου Σαββάτου φῆσαι λοιπὸν τὴν ἡμέραν ἐπιγραφὴν τῆς ἐκκλησίας ἐπιοῦσαν. Rectè igitur Joſephus Scaliger hoc loco magnum Sabbatum ἀφορισμὸν τοῦ Πάσχα dixit, malè autem ad Paſcha ἀναφέρειν reſtrinxit; maléque argumentatus eſt, *Si Sabbatum fuit 7. Kal. ergò Paſcha 6. Kal. in literâ B.* Nam ubi Paſcha non ſemper, imò rarò die Dominico celebrabatur, Sabbatum ſive feria ſeptima, quæ diem Paſchatis proximè præceſſit, *Sabbatum magnum* dicebatur.

II. Ita hodierni Judæi, ita veteres illud Sabbatum, quod quartamdecimam menſis Niſan præcedit, שבת הגדול *Sabbatum magnum* vocant. In libro Schulchan Aruk, Tractatu Orach Chajim שבת שלפני הפסח קרוים אותו שבת הגדול *Sabbatum quod ante Paſcha vocant ipſum Sabbatum magnum,* סימני הנס שנעשה בו *propter miraculum quod in eo factum eſt.* Hæc excerpta ſunt ex Baal Hatturim, ubi ratio hujus nominis apertè traditur: *Paſcha, quo egreſſi ſunt ex Ægypto Iſraëlitæ, die quinto hebdomadis contigit, ut teſtatur Seder Olam Rabba: decimus igitur menſis dies erat tunc Sabbatum. Eo die ſumpſit Iſraëlita quiſque agnum ſibi; quod cum intelligerent Ægyptii factum eſſe, ut agni illi omnes mactarentur, dentes eorum obſtupuerunt, adeo ut Iſraëlitis nihil regerere potuerint.* ועל שם הנס קורין אותו שבת הגדול *Et ob hoc miraculum vocant hunc diem Sabbatum magnum.* Idem etiam traditur in libro Lebuſh, & in libro Col Bo. At cùm Epiſtola Smyrnenſium ſcripta eſt, illi cum Judæis Paſcha celebrabant, ut notiſſimum eſt. Illud igitur Sabbatum hîc intelligendum, quod proximè præceſſit Paſcha Judaicum, quod feſtum Paſchale tunc cum Judæis obſervabat Eccleſia Smyrnenſis.

III. Secundus autem temporis character planè oſtendit quis dies in anno Juliano illud Sabbatum Antepaſchale fuit; nempe τῇ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλίων, hoc eſt, *7 Cal. Apriles.* Septimus autem Cal. Apriles eſt viceſimus ſextus

dies Martii. Et cùm viceſimus ſextus Martii dies Sabbatum fuit, neceſſe eſt, ut viceſimus ſeptimus fuerit dies Dominicus, adeóque litera Dominicalis ejus anni B. Quod magnam nobis lucem in anno indagando præfert. Sed hîc nobis objicitur, in Actis Polycarpi non legi πρὸ ζ καλανδῶν Ἀπριλίων, ut in Faſtis Siculis, ſed πρὸ ζ καλανδῶν Μαΐων, *7 Cal. Maii.* Et præterea H. Valeſius legendum cenſet πρὸ ζ καλανδῶν Μαρτίων. Sed ſine dubio Chronici Alexandrini Autor ſua habuit ex correctiori Actorum Codice; cùm neque vulgati Codicis Græca lectio, neque Valeſii emendatio admitti ullo modo poſſit. Nam 7 Cal. Maii eſſet XXV. Aprilis; 7 autem Cal. Martii eſſet XXIII. Februarii. At Sabbatum Magnum, quod Paſcha Judaïcum proximè præcedit, nunquam tam maturè potuit contingere, ut in XXIII. Februarii incideret, nunquam tam ſerò, ut cum XXV. Aprilis concurreret. Valeſius quidem pro novâ ſuâ Lectione hactenus inauditâ autoritatem affert Veteris Interpretis Latini: Sic enim ille, *In Epiſtolâ Smyrnæorum diſertè ſcribitur Polycarpum paſſum eſſe die ſecundo menſis Xanthici, id eſt, ante diem 7 Cal. Martias, ut rectè vertit Vetus Interpres.* Et rurſus, *In Epiſtolâ Smyrnæorum de Martyrio Polycarpi ſcribendum eſt* πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαρτίων, *ut legit Vetus Interpres.* Sed hoc merum eſt maximi Viri παράδειγμα. Nam vetus Verſio ex tribus veteribus Latinis MSS. à Bollando adornata habet *7 Cal. Maias*, ut Græca. Eadem etiam Verſio ex Codicibus Sarisburienſi & Cottoniano ab Uſſerio edita habet pariter *7 Cal. Maii.* Nullibi aut in Græcis aut in Latinis Calendarum Martiarum mentio fit. Cùm igitur lectio Valeſii ex errore manifeſto orta ſit; & cùm lectio tum Græca, tum Latina de die 7 Cal. Maias à nemine jam defendatur, aut defendi poſſit; tutiſſimè lectioni Faſtorum Siculorum acquieſcimus, & Polycarpum paſſum eſſe die 7 Cal. Apriles, hoc eſt, XXVI. Martii affirmamus.

IV. Tertium

IV. Tertium addo characterem, qui in iiſdem Actis exprimitur, & tum rem ipſam, tum lectionem Faſtorum Siculorum maximè confirmat. Ille enim dies, qui & Sabbatum Magnum & 7 Cal. Apriles dicitur, à Smyrnæis etiam *μιᾷ τοῦ Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου*, *dies ſecundus Menſis Xanthici* appellatur. Vetus Interpres *Menſe Aprilio* malè tranſtulit, & poſt eum Halloixius, *ſecundo menſis Aprilis*, perperam & pejus adhuc, *hæc ab ignaro quopiam ad calcem Epiſtolæ Martyrii adjecta cenſeri debere* aſſeruit; cùm hæc potiùs explicanda quàm rejicienda fuerint. Xanthicus autem Menſis tunc incepit die Martii viceſimo quinto: ſecundus ergo Xanthici dies fuit Martii viceſimus ſextus; qui eo anno erat Magnum Sabbatum, quo paſſus eſt S. Polycarpus. Hoc ab Uſſerio primò aſſertum, mox à Gulielmo Lango confirmatum, & à Beveregio noſtro explicatum, ac tandem ab Acciolio in Chronologiâ Reformatâ laudatum atque confirmatum eſt. Sed doctiſſimus Valeſius ſecundum Xanthici diem, non in ſeptimum Cal. Apriles, ſed in ſeptimum Cal. Martias, Februarii viceſimum tertium incidiſſe contendit: pro ſententiâ ſuâ nihil affert, præter autoritatem Veteris Latini Interpretis (quam nullam eſſe jam oſtendimus) & Paſſionem Pionii, de quâ mox diſputabimus. Interim ſententia noſtra duplici Argumento confirmatur, quorum primum ab iis petitur, qui nomina menſium Macedonicorum uſurpabant, menſibus Julianis inæqualium; ſecundum ab iis, qui eoſdem menſes poſtea Julianis æquabant.

V. Primò ſi ſecundus Menſis Xanthici dies incidiſſet in aliquem Februarii diem, tum viceſimus tertius Xanthici incidiſſet in Martium: non incidit in Martium, ſed in Aprilem, ut teſtatur Marcus in Vita Porphyrii. Certiſſimum eſt in Laterculo menſium Macedonicorum Xanthico Artemiſium proximè ſuceeſſiſſe. Quare ſi Xanthicus inceperit 7 Cal. Martias, Artemiſius incepit 7 Cal. Apriles: ſed Artemiſius non incepit ante 7 aut 8 Cal. Maias.

Epi-

Epiphanius libro de ponderibus & mensuris, obitum Valentiniani junioris contigisse tradit Idibus Maiis; diem proximum ita describit, ut fuerit, κατ' Ἕλληνας Ἀρτεμισίου μηνὸς τρίτῃ ἐπὶ δεκάτῃ, κατὰ Ῥωμαίους δὲ πρὸ ἑπτακαιδεκάτου καλανδῶν Ἰουνίων, *secundum Græcos Artemisii mensis XXIII.; secundum Romanos XVII. Kal. Junias*, hoc est, XVI. Maii: ergo Artemisius non incepit ante 8 Cal. Maias, & proinde nec Xanthicus ante VII. Cal. Apriles. Petavius quidem hoc Epiphanii loco pro τρίτῃ ἐπὶ δεκάτῃ legi vult ἕκτῃ καὶ δεκάτῃ, cùm ante eum Scaliger legendum esse monuisset πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ. Voluit enim ille Artemisium apud omnes tunc fuisse purum putum Maium Julianum. Quod falsum esse deprehenditur. Ipse Scaliger ibidem vidit Epiphanium docuisse Apellæum Macedonicum non fuisse purum putum mensem Julianum Hæresi LI. ubi VI. Id. Novembris dicit fuisse diem Apellæi XVI. Unde hæc verba statim subjungit, *Nam hîc decem dies supra formam Julianam sunt, ut suprà septem. Quare non intelligo.* Ubi Maximum Virum hallucinatum esse clarè perspicitur. Nam VI. Idus est VIII. dies Novembris: XVI. igitur Apellæi VIII. tantùm diebus formam Julianam superat. Ideò autem nihil hic intellexit Scaliger, quia Menses Macedonicos & Syro-Macedonicos semper fuisse verè Julianos putavit. Hic enim primus dies Apellæi Macedonici idem est cum XXIV. Octobris Juliani. Rursum Artemisio Dæsius, Dæsio proximus mensis erit Panemus, ut omnes norunt: si igitur Xanthicus inceperit VII. Cal. Martias, Panemus incepit VII. Cal. Junias: Non incepit ante VII. Cal. Julias, ut appáret. Nam extat Martyrium S. Pauli Oecumenii Commentariis præfixum, quo traditur Apostolum passum esse πέμπτῃ ἡμέρᾳ κατὰ Συρομακεδόνας Παυνίμου μηνὸς, κατὰ δὲ Ῥωμαίους τῇ πρὸ τριῶν καλανδῶν Ἰουλίων, μηνὶ Ἰουνίῳ κδ', *quinto die Panemi mensis secundum Syromacedonas, apud Romanos autem III. Cal. Julias, mensis Junii vicesimo nono.*

Quòd

Quòd ſi quintus Panemi dies fuit III. Cal. Julias, primus erat VII. Cal. eaſdem, ſive Junii dies XXV. Scriptum eſt hoc Martyrium An. Dom. *CCCXCVI.* Arcadio IV. Honorio III. Coſſ. *CCCXXX.* anno, ut inquit, poſt paſſionem S. Pauli. Ubi obiter obſervanda eſt magna Scaligeri hallucinatio, qui *malè excuſum* eſſe tradit πεμπόσια πεντήκοντα pro πεμπόσια ἑξήκοντα. Nam Autor ille diſertè tradit Apoſtolum paſſum eſſe An. Dom. *LXIX.* à quo tempore poſt annos *CCCXXX.* Arcadii & Honorii Conſulatus contigit, hoc eſt, An. Dom. *CCCXCIX.* Quòd ſi pro *triginta* legas cum Scaligero *ſexaginta*, jam illi non erunt Conſules ante An. Dom. *CCCCXXIX.* quos Conſulatum geſſiſſe ipſe Scaliger agnoſcit anno *CCCXCVI.* Atque hæc certiſſima eſt numerandi methodus apud eos Græcos, qui veteres Menſes Macedonicos unius menſis ſpatio ſequebantur, neque eos alio modo mutabant.

VI. Rurſus ſi Xanthicus inceperit VII. Cal. Martias, Audynæus incepiſſet VII. Cal. Decembres: Nam inter Xanthicum & Audynæum duo erant menſes Macedonici. Non incepit VII. vel VI. Cal. Decembres, ſed VI. Cal. Januarias. Marcus in Vitâ Porphyrii Gazenſis Epiſcopi apud Bollandum, *Pluit autem Dominus noſter aſſiduè ab octavo Audynæi uſque ad decimum. Eſt autem Audynæus apud Romanos Januarius. Præceduut autem quinque diebus eorum menſes Romanos. Undecimo verò die peregimus diem Theophaniorum.* Unde noſtra emendatio Epiphanii, quam ex conjectura aliquando fecimus, manifeſtò confirmatur. Sic enim ille Hæreſi LI. de Nativitate Chriſti. Γενηθὲν γὰρ αὐτῶν περὶ τὰ Ἰανουάριον μῆνα, τυπτὸν ὀκτὼ εἰλοῦν Ἰανουαρίου ἤτοι ἐν τῇ Ῥωμαίων πάντα τῶν Ἰανουαρίου μηνὸς, καὶ Αἰγυπτίων Τυβὶ ἐνδικάτῃ, καὶ Σύρων ἅτινα Ἑλλήνων, Αὐδναίου ἕκτῃ. In quo loco ut Viri docti pro πάντα legunt ἕκτῃ, ita ego pro ἕκτῃ legendum putavi ἐνδεκάτῃ. *Cùm enim Januario menſe natus eſſet VIII. Id.*

Jan.

Jan. qui eſt apud Romanos Januarii dies VI. Ægyptiis Tybi XI. Syris ſive Græcis Audynæi XI. Sed dubito. Nam poſtea VIII. Dii ſecundum Græcos eſt VIII. Nov. Idem rurſus in eàdem Vitâ, *Navigavimus Gazam viceſimo tertio Xanthici, qui eſt apud Romanos octavus decimus Aprilis.*

VII. Secundò idem probatur ex iis, qui Menſes Macedonicos Menſibus Julianis æquabant, & initia utrorumque eadem fecêre. Nam ubi hæc æquatio facta eſt, Menſis Macedonicus, qui aliquâ ſui parte menſes duos Julianos attingebat, ad eum menſem totus accommodatus eſt, quem longè maxima ejus pars antè occupabat. Quare ſi Xanthicus inceperit VII. Cal. Martias, poſt hanc æquationem incepiſſet ab ipſis Calendis Martiis, & Xanthicus menſis Macedonicus idem omninò fuiſſet cum Martio Juliano. Verùm non idem fuit cum Martio, ſed cum Aprili. Ante igitur non VII. Cal. Martii, ſed VII. Cal. Aprilis incepit, & maximam tum partem Aprilis occupabat. De menſibus Macedonicis, poſtquam Julianis æquati ſunt, res eſt explorata. De his menſibus Græcorum Macedonicis optimè diſſerit Venerabilis Beda, lib. de Temporum ratione cap. 12. ubi laterculus menſium Macedonicorum & Romanorum valdè corruptus, ſed à Cl. Seldeno ex Codice Cottoniano MS. bene reſtitutus eſt. Vocatur autem apud eos ipſe December Apileos (id eſt, Ἀπελλαῖος) Januarius Eudynios, (id eſt, Αὐδυναῖος) Februarius Peritios, Martius Duſtros, Aprilis Xanthicus, Maius Artemiſius, Junius Deſios, Julius Panemus, Auguſtus Lous, September Gorpiæus, October Hyperberetæos, November Dios. Hæc ad mentem Bedæ reformata eſſe conſtat ex ipſius Ephemeride, in quâ unicuique menſi Romano ſigillatim menſis Græcorum iiſdem planè verbis apponitur; eademque prorſus apud Rabanum libro de Computo nuper curâ Baluzii edito repræſentabantur. Ordo & conſpiratio horum menſium innumeris locis ex antiquorum ſcriptis confirmari poſſunt. Ex his duo ad hanc controverſiam præcipuè

cipuè ſpectant, Δύστρος, qui & Martius, & Xanthicus, qui Aprilis. Sic Aëtius Amidenus, Μὴν Δύστρος, ὅ ἐστι Μάρτιος· & Μὴν Ξανθικός, τυπτέσιν Ἀπριλίου. Suidas, Ξανθικὸς, ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσι, ὁ Ἀπρίλιος. Et Δύστρος, ὁ Μάρτιος μὲν παρὰ Μακεδόσι. Sic viceſimus ſecundus Dyſtri concurrit undecimo Cal. Apriles, ſive viceſimo ſecundo Martii apud Euſeb. Hiſt. lib. 7. cap. 26. ex Canone Paſchali Anatolii. Et apud ipſum Euſebium lib. de Martyribus Palæſtinis cap. 3. pariter 24. menſis Dyſtri idem eſt cum IX. Cal. Apriles; & cap. 9. quintus Dyſtri cum tertio Nonas Martii, & ſeptimus Dyſtri cum ipſis Nonis Martii. S. Chryſoſtomus Oratione 72. Ἔστι δὲ ὁ πρῶτος μὲν τῆς Ζωλίκλεως τῶν διωκτῶν ὃς ἐστι Ξανθικός. Sic apud Euagrium legas lib. 4. cap. 9. Τῇ πρώτῃ τοῦ Ξανθικοῦ, ἤγουν Ἀπριλίου μηνός. Euſebius in Proœmio libri de Martyribus Palæſtinæ. Ἔτος τοῦτο ἦν σὺν ἑπταικαιδεκάτῳ τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας, Ξανθικὸς μὲν, ὃς λέγοιτ' ἂν Ἀπρίλιος κατὰ Ῥωμαίους, *Annus hic erat Imperii Diocletiani decimus nonus: menſis Xanthicus, qui dicatur Aprilis ſecundum Romanos.* Quando igitur menſes pares erant, Dyſtrus cum Martio, Xanthicus cum Aprili idem planè. Ante æquationem, aut ubi æquatio illa nondum recepta eſt, Dyſtrus Martii, Xanthicus Aprilis maximam partem occupabat; quorum prior VII. Cal. Martias, poſterior VII. Cal. Apriles incepit. Duplici ergo argumentorum genere demonſtratum eſt diem ſecundum menſis Xanthici in Actis Polycarpi memoratum, Martii viceſimum ſextum diem fuiſſe.

CAP. XIX.

I. *Pionius eâdem, quâ Polycarpus, Perſecutione paſſus eſt, non ſub Decio.* II. *Acta Pionii quæ vidit Euſebius periiſſe videntur ante Metaphraſtem.* III. *Recentiorem faciunt Polycarpum recentiores quàm reverâ fuerit.* IV. *Idem de Carpo & Papylo ſtatuendum quod de Pionio.*

I. UNicum reſtat Valeſii argumentum ab Actis Pionii petitum, quod nimis ſeriò his verbis urget: *Cùm paulò ante Pionii Martyrium, principatu Decii Auguſti, id eſt, octoginta circiter annis à paſſione B. Polycarpi conſtet Smyrnæos Natalem B. Polycarpi celebraſſe VII. Cal. Martias, nefas jam eſſe exiſtimo de die paſſionis ejus amplius dubitare.* Ego interim de paſſione Pionii ſub principatu Decii Auguſti dubitare nefas eſſe non puto. In quâ re licet ab Uſſerio noſtro deſtituamur, tamen illo argumento nihil ſententiæ noſtræ derogatum iri veremur. Pionium beatiſſimum Martyrem fuiſſe indubitanter aſſerendum eſt; ſed an Acta Martyrii ejus, quæ nunc extant, vera & ſincera ſint, dubitari non immeritò poteſt. Baronius hæc Acta aliquando Ariſtarchi ſtaterâ expenderat & contemſerat, ſed poſtea ſinceriſſima judicavit, & Annalibus ſuis inſeruit, ſed priùs à ſe *diligenti ſtudio emendata*, hoc eſt, reſectis iis quæ putavit eorum ſuppoſitionem nimis manifeſtè indicare. Sed eadem Acta contemſit etiam poſtea Ariſtarchus melior Petavius, & ante eum Ariſtarchus alter Joſephus Scaliger. Admiſit quidem Uſſerius, Valeſius autem adeò amplectitur, ut aſſerat Euſebium à nemine excuſari poſſe, qui Pionium non ſub Decio, ſed ſub Antonino, paſſum eſſe docet. Sic ſe

res

res habet. Primò in Chronicis Euſebii Latinis hæc ad ſeptimum annum Marci annotantur, *Perſecutione ortâ in Aſiâ Polycarpus & Pionius fecêre Martyrium.* Idem Hiſt. lib. 4. cap. 15. agens de Martyrio Polycarpi & aliorum, Τούτοις μὲν τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν μάρτυσι καὶ τὸν ἐγνωρίζετο Πιόνιος. Rufinus Interpres, *Inter cæteros autem, qui per idem tempus Martyres extiterunt, famoſiſſimus inibi refertur quidam Pionius nomine.* Ejuſdem igitur temporis Martyr erat Pionius, cujus & Polycarpus; ſed cum hoc diſcrimine, ἐν δὲ τῷ αὐτῷ περιόδῳ τοῦ χρόνου, hoc eſt, *intra eundem circuitum anni*; Ita Nicephorus Calliſtus Euſebium interpretatur, qui τῷ αὐτῷ ἔτει, *eodem anno*, Carpum & Papylum paſſos eſſe docet. Euſebium ſic intellexerunt & ſecuti ſunt Pſeudo-Dexter & Ado Archiepiſcopus Trevirenſis. Plurima igitur Martyrologia Latina ſub Antonino paſſum eſſe Pionium tradunt, quæ apud Bollandum videri poſſunt. Imò idem in Latinis omnibus Martyrologiis poſitum eſſe ipſe fatetur Baronius.

II. Verùm enimverò deceptum fuiſſe Euſebium & exinde omnes, qui eum ſecuti ſunt, aſſerunt Viri docti. Neque enim eodem anno, aut ſub eodem Imperatore paſſos eſſe volunt, ſed unum ſub Marco, alterum ſub Decio. Cùm tamen nemo unquam dixerit eos ſub diverſis Imperatoribus paſſos eſſe. Qui dicunt Polycarpum ſub Marco paſſum, tradunt & Pionium ſub eodem Principe Martyrio coronatum eſſe. Qui tradunt Pionium ſub Decio paſſum, ſub eodem Decio & Polycarpum paſſum eſſe volunt. Cùm igitur Polycarpum, aut ſub Marco, aut ante, paſſum eſſe conſtet, quæcunque de paſſione ſub Decio traduntur, certiſſimè falſa ſunt, tum quod ad Polycarpum, tum quod ad Pionium, tum quod ad Carpum & Papylum, ſpectat. Volunt illi Euſebium, qui Acta Pionii & vidit & apud ſe habuit, & ſuis Commentariis inſeruit, deceptum: Simeonem autem Metaphraſtem poſt ſexcentos ferè annos, eadem Pionii Acta habuiſſe & rectius repræſentâſſe; quod

nec verum, nec veriſimile eſt. Nam illa Euſebii ſcripta tamdiu duraſſe, & in manibus eruditorum fuiſſe nihil eſt quod fidem faciat. Liber ejus de Martyribus Palæſtinæ extat; ſed librum eum *De Martyriis Veterum* qui legerit aut vidiſſe ſe dixerit, poſt Hieronymum novi neminem. Imò an eum Hieronymus viderit neſcio; nomen enim libri ex ejus Hiſtoriâ, in quâ ſæpius memoratur, habere potuit. Cùm ſingula Acta in aliquorum manibus eſſent, & tot tamque prolixa Excerpta ex iis Hiſtoriæ Euſebii inſererentur, credibile eſt Collectionem haud diu duràſſe. Ante Simeonem ſine dubio Acta aliqua Pionii Latina proſtabant; ex quibus ille, utpote Metaphraſtes, ſua concinnavit. Benè hæc Bollandus, de his Actis Pionii: *Eadem jam olim, ante ipſius etiam fortaſſis Metaphraſtæ ætatem apud Latinos extitêre S. Pionii Acta.* Actorum ille Latinorum Conſarcinator, qui ante Metaphraſtem vixit, ad Decium omnia retulit, ut ſolebant mediæ ætatis Latini, quod ſæpius à nobis obſervatum eſt.

III. Neque mirum videri debet poſteriores aut Græcos aut Latinos eò erroris delapſos eſſe, ut Polycarpum ſub Decio paſſum eſſe putarent. Nam poſt Martyrium Irenæi in vivis eum fuiſſe refert Chronicon S. Benigni. Cum Victore Romano Epiſcopo eum vixiſſe tradit Sozomenus, lib. 7. cap. 19. Σοφώτατα δέ πως ὄιμαι καταλῦσαι τὴν ζυμβᾶσαι πάλαι περὶ ταύτης φιλονεικίαν τὸν ἀμφὶ Βίκτορα τὸν τότε τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, καὶ Πολύκαρπον τὸν Σμυρναῖον, *Exortam autem olim de hoc Feſto Paſchatis controverſiam ſapientiſſimè diſſolviſſe mihi videntur Victor tunc temporis Romæ Epiſcopus, & Polycarpus Smyrnæus.* Marca quidem pro Polycarpo illic legit *Polycratem*; ſed quis Polycratem dixit Smyrnæum, qui fuit Epiſcopus Epheſinus? Fruſtra hæc omnino tentantur in Sozomeno, cùm Socrates Polycarpum uſque ad Imperium Gordiani vixiſſe tradat lib. 5. cap. 22. Ὅτι Πολύκαρπος ὁ τῆς Σμύρνης ἐπίσκοπος ὁ

ὕστερον

ὕστερον ἐπὶ Γορδιανῦ μαρτυρήσας, *Quod Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus, qui poſtea ſub Gordiano Martyrium perpeſſus eſt.* A Gordiano mitiſſimo principe facilis ad Decii crudeliſſimi Chriſtianorum hoſtis tempora lapſus ſeu deſcenſus eſt; unde Menæa de Polycarpo, Ἐπὶ δὲ τῦ καὶ Δέκιον διωγμῦ συλληφθεὶς ἀπεκάη τῦ ἀνθυπάτου, ἐκ πυρὸς τὸν ἀγῶνα πάνσοφος, *Polycarpus in perſecutione Deciana comprehenſus ad Proconſulem ductus eſt, & igne agonem conſummavit.* Hanc ſententiam ſecutus eſt, qui Acta Pionii Latinè ſcripſit, tradiditque eum C. Meſſio Q. Trajano Decio, Vicio Grato Coſſ. Martyrio coronatum: quod ex Actis primævis Græcè ſcriptis habere non potuit; quæ Proconſulem, non autem Conſules, in provinciis nominare ſolebant. Neque mirum eſt, ſi aliqui ſcriptores, Martyres eos qui diu ante Decium paſſi ſunt, ſub eo obiiſſe tradant, cùm ii etiam qui diu poſt Valerianum, ipsâ decimâ perſecutione, paſſi ſunt, ab aliquibus ſub Decio & Valeriano obiiſſe putentur. De S. Methodio Hieronymus in Catalogo, *Ad extremum urvilſimæ perſecutionis, ſive, ut alii affirmant, ſub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ Martyrio coronatus eſt.* Scripſit multa Methodius, non tantùm contra Origenem diu poſt Adamantii mortem, ſed & contra Porphyrium ſub Diocletiani Imperio; & tamen nonnulli etiam ætate Hieronymi, non verebantur paſſionem ejus Decii & Valeriani perſecutioni aſcribere. Et Suidas cùm reliqua omnia è Sophronio exſcripſiſſet, eam ſententiam, quæ certiſſimè falſa eſſe deprehenditur, amplexus eſt, Ὃς ἐπὶ τὰ πλευτάια τῦ διωγμῦ ὅτε Δεκίῳ καὶ Οὐαλεριανῦ ὁ Χαλκίδι τῆς ἀπανλῦς μαρτυρίᾳ ἐτέρθη, extritis illis apud Sophronium, ἢ καλῶς πως ἀμβιβαζόμενος.

IV. Idem de Carpo & Papylo ſentiendum eſt, de quibus poſt Epitomen Martyrii Pionii hæc ſtatim addit Euſebius, Ἑξῆς δὲ καὶ ἄλλων ὁ Περγάμῳ πόλιν ἡ Ἀσία κοσμοῦ-

ὑπομνήματα μαρτυρικὰ τῶν φέρεται Καρπὸ καὶ Παπύλου, καὶ γυναικὸς Ἀγαθονίκης μετὰ πλείστας καὶ ἀξιοθρήτους ὁμολογίας ἐπιδείξας τελειωθέντων. Hæc verba malè primùm à Rufino verſa ſunt, *Poſt hæc etiam aliorum apud Pergamum Aſiæ urbem Martyrum geſta referuntur, Carpi cujuſdam & Papyrii & Agathonicæ optimæ fœminæ aliarumque multarum, quæ pro beatis confeſſionibus Martyrio coronatæ ſunt.* Ubi pro *Papylo* habes *Papyrium*, & pro *multis* eorundem *confeſſionibus*, *multas alias* fœminas Martyres. Et hanc verſionem Rufini ſecuti ſunt Martyrologi Latini, qui etiam eos ſub Marco Antonino paſſos eſſe putabant. Græci autem ſub Decio & hos & Pionium & Polycarpum Martyrio coronatos eſſe tradebant. Et certè prodigii loco habendum eſt, quod Menæa docent, Polycarpum ſub finem primi Sæculi fuiſſe S. Joannis diſcipulum (imo & Epiſcopum) ac demum ſub medio tertii Sæculi tuliſſe Martyrium: centum annorum, ut ego puto, Metachroniſmo. Tanta autem fuit apud poſteriores temporum confuſio, ut hi Polycarpum, illi Methodium ſub unâ Decii perſecutione obiiſſe tradiderint, ut diximus; inter quorum Martyria CLX. annorum diſtantia fuit.

CAP.

CAP. XX.

I. *Anni Martyrii Polycarpiani Lit. Dom.* B. *primis Marci annis non convenit.* II. *Paſchatis character non convenit anno* CLXIX. *convenit autem anno* CXLVII. *accuratiſſimè, ſeu per Tabulas fiat ſupputatio, ſeu per Phaſin.* III. *Convenit quidem anno* CLVIII. *Paſchatis character; Sed non conveniunt reliquæ anni notæ quo paſſus eſt Polycarpus. Colligitur itaque ante annum* CXLVII. *rectè ab Eutychio conſtitutum eſſe initium Aniceti.*

I. HÆC adeo clarè & prolixè de anno & die Martyrii S. Polycarpi diſputata tandem ad propoſitum noſtrum de Pontificatu Aniceti applicanda ſunt. Ac primò cùm ex ipſis Actis S. Polycarpi maximè genuinis conſtet beatiſſimum Martyrem paſſum eſſe die viceſimo ſexto Martii, & quidem Sabbato Magno, conſtat pariter eo anno quo paſſus eſt Literam Dominicalem fuiſſe *B.* quæ viceſimo ſeptimo Aprilis ſemper adhærere cognoſcitur. Inde autem neceſſariâ conſequentiâ deducitur eum paſſum non eſſe ſeptimo anno Imperii Marci Antonini, quod voluit Euſebius, quem nunc plerique Viri docti malè ſequuntur. Septimus enim Marci eſt annus Domini CLXVII. ut ipſi fatentur; quo anno non *B*, ſed *E* Litera Dominicalis fuit, ut notum eſt. Unde Calviſius, cùm rectè Acta intelligeret de Sabbato Paſcha præcedente, viceſimum ſecundum diem Martii pro viceſimo ſexto ex arbitrio poſuit, neque aliter Anno CLXVII. aptare potuit, cujus litera Dominicalis *E* viceſimo tertio die Martii eſt affixa

affixa. Sed neque Martyrium Polycarpi ulli anno Imperii Marci ante ſeptimum competere poteſt, ob eandem rationem, quia eorum nullus menſe Aprili vel Martio habuit Literam Dominicalem *B*.

II. Quare Ægidius Bucherius omnium primus paſſionem Polycarpi ad annum Marci IX. Domini CLXIX. depreſſit, tum ob literam Dominicalem *B*. tum ad ſuam Periodum confirmandam; ſed infeliciter: Periodus enim ab ipſo confecta exhibet An. Dom. CLXIX. primum diem Menſis Niſan duodecimum Martii; decimus quartus igitur dies Niſan quo Paſcha cum Judæis celebrabant Smyrnenſes, erat Martii viceſimus quintus, qui eo anno fuit feria ſexta; unde ſequitur Sabbatum magnum eodem anno ſecundum Periodum Bucherianam fuiſſe diem Martii decimum nonum. Optimus Uſſerius, qui in anno aſſignato ob literam Dominicalem Bucherium ſecutus eſt, de Tabularum ejus fide dubitat (quod ipſi neceſſarium erat) nullum autem alium initii Niſan diem aſſignat, quod ad rem ipſam conficiendam prorſus neceſſarium fuit. E contra Periodus Bucheriana An. Dom. CXLVII. quo nos Polycarpum paſſum eſſe ſtatuimus, optimè convenit: in quâ eo anno primus dies Niſan eſt Martii decimus ſextus, decimus quartus Niſan Martii viceſimus nonus, feria tertia: ac proinde Sabbatum Magnum eum diem proximè præcedens viceſimus ſextus Martii, VII. Cal. Apriles, ut Acta referunt. Neque hæc tantùm per Tabulas rectè procedunt; ſed etiam ſi Lunæ phaſin computemus, eódem res recidit. Nam An. Dom. CXLVII. primus dies Niſan erat Martii viceſimus.

	Gr.	Min.
Longitudo Solis	34 —— 28	—— 32
Longitudo Lunæ	♈ —— 15	—— 01
Diſtantia Lunæ à Sole occid.	16 ——	—— 19

Quare

Quare decimus quartus Niſan, ſive Paſcha Judaïcum fuit ſecundus dies Aprilis, quem cum Judæis celebrabant Smyrnenſes feriâ ſeptimâ; proinde Sabbatum magnum illud Paſcha Judaïcum proximè præcedens fuit viceſimus ſextus dies Martii, VII. Cal. Apriles, ut Acta referunt. Et hæc ſupputatio inde confirmatur, quòd eodem anno CXLVII. tertius dies Aprilis fuit Paſcha ἑορτάσιμον in Occidente celebratum. Nam eo anno Cyclus Lunæ fuit 15. Hic aureus numerus reſpondet in Calendario Juliano, diei Martii 19. Ille igitur decimus nonus Martii fuit eo anno Novilunium Paſchale; ejus enim quarta decima, Martii 21. ſeu quodcunque aliud Æquinoctium eâ ætate concipias, ſequitur & incidit in Aprilis ſecundum. Litera Dominicalis eodem anno fuit *B.* quæ ad Aprilis tertium apponitur. Ergò tertia Aprilis fuit Dominica Paſchalis, quam celebrabant Romani.

III. Fateor equidem characteres diei omnes in Actis Polycarpianis etiam optimè convenire An. Dom. CLVIII. Lunæ 7. Lit. Dom. B. Antonini Pii XXII. Eo enim anno etiam Sabbatum magnum incidit in XXVI. Martii. Sed annus non tam benè convenit Proconſulatui Statii Quadrati, minus etiam Succeſſoribus Polycarpi, quos memorat Irenæus, & multo adhuc minus ætati Irenæi quæ vidit Polycarpum ſenem. Quare cùm characteres diei & anni optimè conveniunt anno Domini CXLVII. cúmque annus ille apprimè congruat Proconſulatui Statii Quadrati, qui Conſul ordinarius fuerat An. Dom. CXLII. atque etiam cum temporis illius ſpatio amicè concordet, quod tum ex Succeſſoribus Polycarpi in Epiſcopatu Smyrnenſi, tum ex primâ ſuâ ætate cum Polycarpi extremâ ſenectute, ſatis manifeſtè indicat Irenæus; cúmque anni illi, qui vel Chronologis vetuſtioribus, vel à viris doctis hujus Sæculi tam illuſtri Martyrio hactenus aſſignati ſunt, nimium quantum ab his characteribus, quos Acta præferunt, & obſervationibus ex Hiſtoriâ depromptis, diſcrepent atque diſſen-

tiant; aſſerere non dubito S. Polycarpum ipſo An. Dom. CXLVII. Martyrio eſſe coronatum. Et cùm ſine omni controverſiâ idem Polycarpus Romæ fuerit ſub Pontificatu Aniceti, inde clarè & certò deducitur Anicetum aliquanto tempore ante annum Domini CXLVII. Pontificatum iniiſſe; quod quinquennii ferè ſpacium fuiſſe haud immeritò ſtatuatur, cùm jam Polycarpus ætatis ageret annum octuageſimum ſecundum: neque poſt eum annum Polycarpum ad Urbem iter inſtituiſſe veriſimile eſt, quem adeò debilem fuiſſe antequam paſſus eſt, ex ipſis Actis conſtat. Certè Autor Faſtorum Siculorum ſexennium poſuit inter tempus quo Romæ Polycarpus fuit, & quo paſſus eſt. Quare tandem concludo, Chronologiam Eutychii, qui ſtatuit Anicetum anno Imperii Antonini quinto, hoc eſt, An. Dom. CXLII. eo ipſo anno quo Statius Quadratus Conſul fuit, ordinatum fuiſſe, reliquis omnibus anteferendam & omninò recipiendam eſſe.

CAP.

CAP. XXI.

I. *In Aniceto ab Eutychio diſceditur, cui tribuit Annos* XVIII. *integros.* II. *Aniceti tempus confirmatur ex Hiſtoriâ.* III. *Mortuus Anicetus initio Anni* CLXI.

I. HUcuſque Eutychii Chronologiæ conſentio; de fine Pontificatûs Aniceti, & Soteris initio non item. Aniceto enim ille undecim tantùm annos tribuit; Soterem autem Patriarcham factum eſſe docet anno Antonini Pii decimo ſexto, An. Dom. CLIII. unde in manifeſtos errores poſtea incidit, & hiſtoriæ repugnantes. Quis enim ferre poteſt Soterem decimo ſexto Pii anno ordinatum eſſe, Eleutherum verò Marci ſecundo, Victorem decimo ſeptimo? Quod ſi ſeptennium reddatur quod à Pontificatu Aniceti abſtulit, ſatis benè omnia decurrunt. Ego igitur non XI. tantùm annos cum Eutychio, ſed XVIII. integros Pontificatui Aniceti tribuendos eſſe planè cenſeo. Neque hoc ex meo arbitrio permotus, ſed rationibus, quæ mihi ſatis idoneæ videntur, adductus ſtatuo. Nam Autor vetuſtiſſimi Catalogi totidem annos ei Pontifici, qui Soterem proximè præceſſit, ſatis diſertè tribuit, ut ex Conſulatibus eidem aſſignatis patet. Quippe de proximo Soteris deceſſore intelligenda ſunt illa verba, *Fuit temporibus Antonini Pii à Conſulatu Clari & Severi uſque duobus Auguſtis.* Quæ ſententia in ſecundo Catalogo & Pontificali truncata legitur, *à Conſulatu Clari & Severi . . . . .* & Conſules omiſſi ſunt certiſſimè duo Auguſti; quia iidem docent Soterem ſediſſe *à Conſulatu Ruſtici & Aquilini*, qui duobus Auguſtis in Conſulatu ſucceſsêre. Liquet igitur deceſſorem Soteris uſque duobus Auguſtis Pontificatum tenuiſſe. Nihil enim ex hiſtoriâ certius afferri poteſt, quàm eum qui in Pontificatu proximè Soterem præceſſit, fuiſſe ipſum Aniceum,

cetum, ut eſt antè à nobis abunde demonſtratum. Aniceetus autem An. Dom. CXLII. exeunte ordinatus eſt, & defunctus duobus Auguſtis Coſſ. An. Dom. CLXI. ineunte. Quare ſedit annos XVIII. & menſes aliquot. Quod & adhuc magis confirmatur. Nam qui ordinem Pontificum immutabant, annos mutare non ſolebant; ideò quot Pio tribuuntur, tot Aniceto aſſignandi ſunt. Catalogi autem duo, ſecundus & tertius, Pio tribuunt annos XVIII. menſes IV. dies III. Pontificale annos XIX. menſes IV. dies III. Quod qui non obſervabant, antiqui Breviarii confectores, utrique, Pio & Aniceto, eundem annorum numerum tribuebant, undecim nempe. Reformatores Baroniani Pio octo, Aniceto novem pro arbitrio ſubſtituebant. Prudenter Onuphrius, cùm in has anguſtias incidiſſet, Hygino nullos, Pio alios Conſules aſſignavit; ſed Aniceetum deceſſiſſe ait duobus Auguſtis Coſſ. Sub iiſdem etiam Heinſchenius obiiſſe vult deceſſorem Soteris, ſive eum Pium, ſive Aniceetum putes. Hic igitur Autori antiquiſſimi Catalogi rectè explicato aſſentior; quem, ſi opportunè ubi hiulcus eſt ſuppleatur, & ubi depravatus eſt emendetur, in Pontificibus, qui ſequuntur, tutiſſimè ſequendum eſſe exiſtimo.

II. Eſt præterea aliquid in Hiſtoriâ nobis relictum, quod huic Chronologiæ ſuffragari videatur. Irenæus qui ſub Pio & Aniceto vixit, lib. 3. cap. 4. obſervat Valentinum Romam veniſſe ſub Hygino, increviſſe ſub Pio & permanſiſſe uſque ad Aniceetum. Cerdonem veniſſe pariter Romam ſub Hygino, *Marcion autem*, inquit, *illi ſuccedens invaluit ſub Aniceto*. Unde ego colligo Marcionem ſub extremo Aniceti Pontificatu periiſſe; quia non dicit eum uſque ad Soterem permanſiſſe, ut de Valentino dixerat, increviſſe eum ſub Pio & permanſiſſe uſque ad Aniceetum. Colligo etiam Pio & Aniceto præſertim plures annos tribuendos eſſe, quàm vulgò tribuuntur, quia poſt obitum Hygini Marcion nondum hæreticus fuit; ſub Aniceto mor-

mortuus eſt, & tamen diu in hæreſi vixit. Et hæc etiam inde confirmari videntur, quòd Marcion ad annum Domini centeſimum ſexageſimum minimè vixiſſe videatur. Certè Tertullianus agens de Valentino & Marcione, libro de Præſcriptionibus ad finem ſecundi Sæculi ſcripto, *Adhuc in Sæculo ſuperſunt*, inquit, *qui meminerint eorum, etiam proprii diſcentes, & ſucceſſores ipſorum, ne ſe poſteriores negare poſſint.* Sic enim loqui ſolebant de iis qui ultra XL. imò L. aut plures annos antè mortui ſunt. Ita Hieronymus adverſus Luciferianos, *Superſunt adhuc homines, qui illi Synodo* [Nicænæ] *interfuerunt. Et ſi hoc parum eſt, quia propter temporis antiquitatem rari admodum ſunt.* Hæc ille ſcripſiſſe videtur circa annum CCCLXXX, LV. annis poſt Concilium Nicænum. Ita Cyrillus Catecheſi ſextâ, Καὶ μισῶ μὲ πάσας αἱρετικὰς, ἐξαιρέτως δὲ τὴν ἀπὸ μανίας ἐπώνυμον, τὴ παλαιὰ ὅτι Πρόβου βασιλέως ἀρξάμενον· πολὺ γὰρ ὅλων ἑβδομήκοντα ἔτη ἡ πλάνη, ἣ ἀπὸ μίσους τῶν τοῦ ἀληθοῦς ἀυτοῦ ὀφθαλμοῖς ψευσάσης ἐκεῖνον. *Odio habe omnes hæreticos, eum præcipuè qui à manià nomen habet, qui ſub Probo Imperatore exorſus eſt. Nam ſeptuaginta annos integros error ille incepit; & hucuſque ſuperſunt homines, qui hæreticum illum ſuis oculis conſpexerunt.* Cùm Probum nominat, ſine dubio ſecundum ejus Imperii annum innuit, quem tot characteribus inſignem fecerat Euſebius in Chronico; erat autem An. Dom. CCLXXVII.; unde ſequitur Cyrillum hanc Catecheſin ſcripſiſſe circa annum CCCXLVII. ut non immeritò dixerit Hieronymus eum Catecheſes in adoleſcentiâ compoſuiſſe; ſiquidem ſub Theodoſio Principe octo annis inconcuſſum Epiſcopatum tenuerit uſque ad An. Dom. CCCLXXXVI. Catecheſes autem intelligo tum Illuminatorum, tum Myſtagogicas; mihi enim videntur omnes eodem anno à Cyrillo nondum Epiſcopo ſcriptæ. Et penè ſexaginta anni à nece Manichæi effluxiſſe videntur,

quando

quando illa ſcripſit Cyrillus, & etiam tum teſtatus eſt aliquos ſuperfuiſſe, qui ipſum Hæreſiarcham viderant. Sic omnino intelligendus eſt Tertullianus, aliquos in Sæculo tum fuiſſe, qui non tantùm Marcionem, ante XL. ſed & Valentinum, ante plures quàm L. annos defunctum ſuis oculis conſpexerant.

III. Non igitur immeritò concludo, Anicetum, cujus Pontificatus toties in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ obiter commemoratur, Romæ ſediſſe per annos octodecim & menſes complures, ab An. Dom. CXLII. ad annum CLXI. ineuntem, & tum demum defunctum eſſe, Antonini Pii XXIII. Coſſ. duobus Auguſtis, cùm jam expiraſſet Marcion hæreticus Antoninianus, ſub Pio impius.

CAP.

CAP. XXII.

I. *Soter tenuit annis* IX. *ab anno* CLXI. *ad* CLXX. II. *Numeri Ordinationum, in primis hiſce Pontificibus, nec fidem merentur, nec ſolent annis quibus ſederiut Pontifices, reſpondere.* III. *Soterem nemo unquam veterum Martyrem agnovit.* IV. *Concluſio.*

I. ANiceto ſuccedit Soter, ut ſuperiùs dictum eſt, ordinatus anno CLXI. ſeditque annos novem uſque ad annum CLXX. Coſſ. Cethego & Claro. Ita Catalogus ſecundus de Sotere, *Fuit temporibus Severi, à Conſulatu Ruſtici & Aquilini uſque Cethego & Claro.* Per Severum intelligendus Verus Imperator, qui ſæpe Severus appellatus eſt, ut alibi oſtendimus; & in Pontificali etiam legitur, *Fuit temporibus Veri & Marci.* Hæc ex primo Catalogo, qui nunc hoc loco mutilus eſt, ſine dubio deſumpta ſunt, ut ex antecedentibus & ſequentibus Conſulibus liquidò apparet. Unde Pſeudo-Iſidorus primam Soteris Epiſtolam à ſe confictam datam eſſe ait, *Nonis Maii Ruſtico & Aquilino viris Clariſſ. Coſſ.* Ad quæ verba Cenſor Blondellus, *Epiſtolam datam fingit, an. XI. antequam Aniceto ſuccedit Soter.* Quod falſiſſimum eſt. Tempus ſatis benè ejus Pontificatûs convenit, quamvis Epiſtola Pontifici minimè conveniat. Idem impoſtor more ſuo ſecundam Soteris Epiſtolam datam ſcribit, *Cethego & Claro Coſſ.* ultimo ſcilicet illius Pontificis anno. Ubi iterum Cenſor, *Ad finem addita Conſulum nomenclatura tempori, quo ſedit Anicetus, congruit, non Soteris Pontificatui.* Quod perabſurdum eſt. De eodem Catalogus tertius à Schelſtratio editus, *Soter ſedit annos IX. menſes VI.*

VI. dies XVII. Annos eidem VIII. integros in Chronico & in Hiſtoriâ tribuit Euſebius, VIII. etiam Eutychius, IX. Indiculus Nicephoro tributus, & Syncellus, & Ado. Cùm hæc tanto omnium Chronologorum tum Græcorum tum Latinorum conſenſu firmarentur; nihilominus Baronius Pontificatum Soteris mirâ licentiâ amputavit, eique aſſignavit annos tantùm quatuor minus diebus duodecim, reſectis planè quinque annis. Et Petavius in Rationario Temporum, ſolâ ejus autoritate permotus, *Soter poſt Anicetum cùm ſediſſet annos quatuor, agonem implevit.* Labbæus etiam ſequax paulo accuratiùs, ut putavit, *S. Soter Papa Martyrium ſubiit, die XXII. Aprilis, cùm ſediſſet annis III. menſibus XI. & diebus XXI.* quem ſecutus eſt in Chronico magno Acciolius. Neque mirum. Tanta enim autoritas Ill. Cardinalis, ob cauſas minimè ignotas apud Eccleſiam, vel ſaltem Curiam, Romanam fuit, ut omnia Breviaria, quæ apud eos adeò ſacra ſunt, ſtatim corrigerentur, vel potiùs ad ejus mentem corrumperentur. Nam cùm Pius V. ex Decreto Concilii Tridentini Breviarium Romanum An. Dom. MDLXVIII. reſtituiſſet, Libri omnes editi An. Dom. MDLXIX. ut obſervat Halloixius, ad XXII. Aprilis hæc de Sotere habuerunt, *Sedit in Pontificatu annos novem, menſes tres.* Eadem etiam legebantur in aliis Editionibus poſt aliquot annos factis, quæ mihi viſæ ſunt, ut in illâ Pariſiis An. Dom. MDLXXXIII. Antverpiæ MDLXXXVIII. Salmanticæ MDLXXXIX. Quæ verba ex libro Pontificum, ſive *Pontificali Damaſi*, ut in ipſo Breviario notabatur, ſumpta ſunt. Sed poſtquam Baronius fidem Pontificalis elevaſſet, & Annales ſuos Sixto V. dedicaſſet, in eorum verborum locum, extrito Pontificalis Damaſi titulo, hæc irrepſerunt, *Sedit in Pontificatu annos tres, menſes undecim, dies decem & octo*; ſcilicet ex arbitrio Ill. Cardinalis, & mandato Clementis VIII.

II. In Annalibus quidem rationes aliquot hujuſce mutilationis, ſed tam parcè & tam timidè referuntur; ut ſe ipſas prodere videantur. *Quòd tres tantùm*, inquit, *ordinationes feciſſe reperiatur, haud longiori tempore ſediſſe poſſumus opinari.* Planè ficulneum eſt hoc argumentum. Nam Numerus Ordinationum ſexto Sæculo excogitatus, gratis tantummodo & ſine ullo fundamento prioribus Romæ Pontificibus aſſignatus eſt. Ac præterea, ſi daremus hunc numerum trium ordinationum Soteri rectè tributum fuiſſe, nullo modo ſequitur eum vix quatuor annis ſediſſe. Nam ipſe ſecundi Catalogi Autor, qui tres tantùm ordinationes Soteri attribuit, annos eidem novem aſſignavit; adeoque ex numero ordinationum de duratione Pontificatûs judicandum eſſe voluit. Et ſi anni Soteris, aliorum etiam Pontificum, ob eandem rationem amputandi erunt. Verbi gratiâ, Alexander tres ordinationes feciſſe dicitur, ſediſſe autem annos decem, & idem traditur de Sixto. Eleutherus dicitur ſediſſe annos quindecim, ordinationes autem feciſſe tantummodo tres. Hæc igitur nihili ſunt. Sed neceſſitas Annaliſtam compulit ut Pontificatum Soteris amputaret; nempe quia conſtat ex Hiſtoriâ ſub Perſecutione Lugdunenſium Romæ ſediſſe Papam Eleutherum. Ergo ante eam perſecutionem Soter mortuus eſt. Et quidem hujuſmodi neceſſitas ſæpe corrupit Annales Eccleſiaſticos; ut æra Diocletiani, & annus primus Valentiniani Baronium duos annos abſorbere coëgerunt. Sed hæc neceſſitas de Pontificatu Eleutheri ex antecedentibus erroribus, & quidem pluribus, nata eſt; nec intercidendo aliquot Soteris annos removeri debuit.

III. Quamvis etiam hinc ſubdolè Baronius Martyrium Soteris expiſcatus eſt. Statuit enim hâc perſecutione, quâ Lugdunenſes paſſi ſunt, ſublatum fuiſſe Soterem Papam; ut illud ex falsâ ſuâ Chronologiâ obtineret, quod aliunde haurire non potuit. Quis enim unquam ante autorem

Breviarii ſive Correctorem Soterem Papam Martyrium ſubiiſſe legit? In Breviario quidem ex Decreto Concilii Tridentini reſtituto, & juſſu Pii V. edito, ad diem XXII. Aprilis extat Lectio ex Pontificali Damaſi & Gratiano deſumpta, in quâ Soter diſertè dicitur *Martyrio* coronatus. Sed neque apud Gratianum, neque in Libro Pontificali, qui illic Damaſo tribuitur, Martyrii Soteris ulla mentio facta eſt. Sed poſtquam ipſe cum aliis viris doctis Martyrologium Romanum, ut vocant, reſtituiſſet, & ex juſſione Sixti V. recognitum, & notis ſuis illuſtratum, edidiſſet; tum demum ſine ullâ dubitatione lectum eſt, *Romæ viâ Appiâ Natalis S. Soteris Papæ & Martyris.*

IV. Hæc habui quæ dicerem de annis veterum Romæ Epiſcoporum, ac præcipuè Hygini, Pii, & Aniceti, ad quorum tempora multa quæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinent, à ſcriptoribus coævis aut ſupparibus diſertè referuntur. Unde conſtat Annales Eccleſiaſticos maximæ ſecundi Sæculi partis immanibus & fœdis Metachroniſmis ſcatere, nec ſine hâc ſimilive novâ Pontificum Romanorum Chronologiâ à tantâ labe liberari & redintegrari poſſe. Et quamvis Heinſchenius novam nobis Pontificum Chronologiam nuperrimè excuſerit, multoſque Ill. Annaliſtæ errores liberè detexerit, non tamen veræ hiſtoriæ ſatisfacit. Neque cùm illa ſcriberet, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta in conſilium adhibuiſſe videtur; ſed tantummodo veterum Tabularum ab alumnis Eccleſiæ Romanæ ſerò delineatarum naufragia compingere, & ubi inconſtantes ſunt conciliare, ubi manifeſtò falſæ aut corruptæ aut mutilæ apparent, ſupplere atque dealbare, maximâ ſupputationis habitâ ratione, veritatis aut etiam veriſimilitudinis minimâ.

DIS-

DISSERTATIO SINGULARIS,

DE

PONTIFICUM ROMANORUM

Primævâ Succeſſione,

Uſq; ad *Annales* Cl. Ceſtrienſis *Cyprianicos*,

AB

HENRICO DODWELLO, A.M. *Dublinienſi.*

Quâ,

Fontibus Chronologiæ *Pontificiæ* purgatis reſtitutiſque, nova *Ceſtrienſis* Chronologia, partim novis Pontificum *notis Hiſtoricis* illuſtratur firmaturque, partim etiam emendatur.

140-33

Reverendo admodùm in

CHRISTO PATRI

ET

Chronologiæ Eccleſiaſticæ peritiſſimo,

DOMINO

GUIL. LLOYDIO

Divinâ Providentiâ Epiſcopo

ASAPHENSI

Meritiſſimo, S.

Sanctitatis tuæ manus, *vel* pedes *potiùs, exoſculatur noſtra iſta Diſſertatio, indigna quidem illa* tuo *tanto Patrocinio, de quo tamen ne diffidam, facit eximius tuus in me candor, atque benevolentia. Faciunt* (*inquam*) *illa ne deſperarem vel* meo *nomine; quanquam nihil eſſet in illâ* non meum, *nihilque adeo quo mereri poſſem illud, quod ambio, Patrocinium. Suppetunt tamen majora alia quæ ſpem faciant* gratam

gratam *fore* acceptam*que*. *Imprimis, Fratris tui & Collegæ præſtantiſſimi memoria, Magni nimirum* Ceſtrienſis, *quam tibi ſcio longe eſſe chariſſimam. Eſt enim illa, quam damus,* Romanorum *Pontificum* Chronologia *ab illo Eccleſiæ noſtræ decore* inventa; *à me* firmata *duntaxat &* exculta, *noviſque Notis Hiſtoricis* locupletata, *& ad certam in Hiſtoriâ* metam *perductâ. Placebit tibi ipſum quoque* Argumentum, *quòd in eo ſtudio verſetur, in quo Tu tantopere excellis,* Chronologico; *quòd eam Chronologiam excolat quæ, ut utiliſſima eſt, ſic Tu expertus nôſti omnium eſſe difficillimam: quod Eccleſiæ* Primævæ *tempora ſeu* conſtituat, *ſeu* normas *ſaltem, quibus conſtituantur, oſtendat, quà quidem licet in tantâ* monumentorum, *tam Secularium quàm Eccleſiaſticorum, clade. Primas haſce Traditionum* matrices Eccleſias *utinam hodiernæ omnes Eccleſiæ æmularentur.* Fide *ejus utinam contentæ eſſent ſimpliciſſimâ, ſatis tamen amplâ illâ ad humanæ vitæ* uſus *omnes Conſcientiæque præſtandos. Utinam* Diſciplinâ & Regimine *prorſus* Apoſtolicis, *quibus nec deerat vigor ille qui ſatis eſſet ad* proprios *cujuſque Eccleſiæ Subditos in officio continendos; nec aderat* typhus *ille* Seculi, *qui Chriſtianitatem hodiernam in tot fruſta comminuit, ægrè unquam (ni ſuccurrat Deus inſigni quâdam Providentiâ) coalitura. Dederunt Eccleſiæ illæ* Patres, Epiſcopos,

copos, Doctores, Martyres, *ſummo etiamnum Communionum omnium honore florentes. Dederunt etiam ſervatæ, per eorum Principia,* Catholicæ Pacis & Communionis, *illuſtria ſpecimina, cum nemo tamen ſeſe* Epiſcopum Epiſcoporum *vendi-taret Epiſcopus, teſte* Cypriano, *cum nullum agnoſceretur in Eccleſiis* aliis *Jus* alias *obſtringendi, ſed* ſuæ *quiſque Eccleſiæ poteſtatem plenam haberet* Epiſcopus, *nec* judicare *alios nec* judicari *ab aliis ſolitus, ſed* ſoli Deo actûs ſui rationem redditurus. *Faxit Deus ut redeant* Chriſtianis *omnibus Primæva illa* Pacis *ſtudia, & quidem cum primævis illis Pacis Communioniſque* conditionibus. *Hæ ſi* conditiones *retineantur, Hi ſi* Sequeſtri *Pacis audiantur; nihil certè video cur à Communione Eccleſiarum* noſtrarum *abſtineant Eccleſiæ aliæ* quæcunque, *nedum* illa *cujus Origines his noſtris Diſſertationibus eruimus. Eccleſiæ enim Primævæ ſtudium cum* profiteantur *omnes, nullæ tamen ſunt Eccleſiæ quæ ſtudium illud lucu*lentiùs indicent *quàm* noſtræ *indicârint Eccleſiæ.* Fidem *illius cuſtodiunt illibatam nullis poſterorum novis adinventis, non tam auctam, quàm potiùs contaminatam.* Regimen *habemus verè* Apoſtolicum, *& quale obierunt primævi illi Martyres Doctoreſque Chriſtianitatis univerſæ celeberrimi.* Vocationem *etiam* Succeſſionemque *poſſidemus ſine dubio legitimas.* Paſſivæ *autem* Obedientiæ

primæ-

primævum illud dogma ſoli *fortaſſe retinemus invicti cum rerum quoque Secularium diſpendio, à quo tamen alieniſſimi ſunt qui* dici *magis ambiunt quàm* eſſe Catholici. *Det nobis Deus animos in hâc* fide, *his* Eccleſiis, *hac* Communione *firmos atque inconcuſſos. Per nos utique nihil obſtabit quo minùs redeant aurea illa* Pacis *Catholicæ* Pietatiſque *Sæcula. Ita vovet precaturque*

Sanctitatis tuæ cultor ſtudioſiſſimus

Prid. Non. *Jun.*
MDCLXXXVII.

Henricus Dodwellus.

DIS-

DISSERTATIO SINGULARIS, DE PONTIFICUM ROMANORUM Primævâ Succeſſione.

CAP. I.

De hujus Diſſertationis Conſilio.

§. 1. *In novâ hac Pontificum* Romanorum *Chronologiâ inveſtigandâ conſilium* Ceſtrienſis.
§. 2. *Conſilium* noſtrum.

§. 1. NOVAM hanc inventamque à Magno *Ceſtrienſi* Chronologiam Pontificum *Romanorum* confirmavimus hactenus, emendavimus, locupletavimus, quà dedit per *lacunas* occaſiones ipſe *Ceſtrienſis*. Majora jam aggredimur, ut rem omnem ab *initio* ordiamur, & cum *certo* aliquo *termino*, nectamus. Sic enim meliùs de causâ ſummâ

judicabimus ſi Principia ipſa penitiùs excuſſa fuerint explorata; ſi ordine ſuo Sequelam quamque, quo ſequitur, à Principiis, ob oculos ponamus. Id quo minùs faceret ipſe *Ceſtrienſis*, à cauſæ quam agebat limitatione factum exiſtimo. Nec enim id agebat ex profeſſo ut *Chronologiam Eccleſiaſticam* excoleret, ſed ut Meditationes ſuas potiùs *Ignatianas*. Objecerant *Ignatio Blondellus* & *Salmaſius* Συγὴν illam cujus meminit Epiſtola ad *Magneſios*, nondum fuiſſe, vero *Ignatio* ſuperſtite, excogitatum, ſed à recentioribus, & poſt ejus tandem exitum ortis, Hæreticis *Valentinianis*. Huic Objectioni ſic occurrit in *Vindiciis* ornatiſſimus Præſul, ſimul ut docuerit, nec primos Συγὴν illam excogitaſſe *Valentinianos*, ſed ab antiquioribus potiùs Hæreticis *Simonianis* acceptam ad ſuum *characterem* accommodâſſe, quod antea monuerant Viri Maximi, *Uſſerius* & *Hammondus*: & verò aliam fuiſſe Συγὴν illam *Valentinianorum* ab eâ quam perſtrinxit *Ignatius*. Sic locus nullus reliquus fuiſſet Diſceptationibus, de *Valentini tempore*, Chronologicis. Nec tamen hanc Defenſionis *partem* prorſus negligendam cenſuit Vir Eruditiſſimus. Duo ergo hic reponenda exiſtimavit: Imprimis recentius fuiſſe, quàm vulgò creditur, *Ignatii* Martyrium, & proinde propiùs attigiſſe tempora *Valentini*; nec Anno CVII. ſed potiùs CXV. eſſe paſſum. Nec enim citiùs in *Orientem* venire potuiſſe *Trajanum*, è *Nummis* collegit atque *Inſcriptionibus*, quibus Belli *Dacici* finem, aut *Parthici* initium, conſignatum repererat. Accedit *Ceſtrienſi Johannes Malela* Scriptor ineditus, qui eo ipſo anno CXV. quo contigerit *terræmotus Antiochenus*, *Decembris* XIII. *feriâ primâ*, Anno *Antiocheno* (qui ab *Indictione* cœpit *Antiochenâ*) CLXIV. paſſum vult *Ignatium*. Sic enim habent verba *Malelæ*, Lib. XI. Ἐπὶ δὲ τῆς βασιλείας τοῦ αὐτοῦ μεγάλου Τραϊανοῦ ἔπαθεν Ἀντιοχείᾳ ἡ μεγάλη ἡ πρὸς Δάφνῃ τὸ πρῶτον αὐτῆς πάθος μηνὶ Δεκεμβρίῳ [leg. Ἀπελλαίῳ] τῷ καὶ Δεκεμβρίῳ ιγ', ἡμέρᾳ

ἡμέρᾳ ἀ μετὰ ἀλεκτρυόνα, ἔτους ϛχημαΐζοντος ξλ' χρ τὰς αὐτὰς Ἀντιοχεῖς· μετὰ δὲ β' ἔτη τῆς παρουσίας τῦ θεοπάτορ βασιλέως Τραϊανῦ. Et nonnullis interpoſitis: Ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς Τραϊανὸς ἐν τῇ αὐτῇ πόλει διῆγεν ὅτε ἡ θεομανία ἐγένετο. Ἐμαρτύρησε δὲ ὑπὲρ αὐτῦ τότε ὁ ἅγιος Ἰγνάτιος ὁ ἐπίσκοπος τῆς πόλεως Ἀντιοχείας· ἠκολούθησε γὰρ κατ' αὐτῦ ὅτε ἐλοιδόρει αὐτόν. Verba ipſa dedi quia nondum extat Autor Conveniunt, præter *feriam*, reliqua ſatis accuratè. *Pedonis* enim, qui in eo perierit, *Conſulatu* fuiſſe illum *terræmotum* è *Dione* diſcimus. Quàm vera hæc ſit ſententia impræſentiarum non decernimus, ſed quid cenſerit *Ceſtrienſis*, & quid Nos è Viri Maximi colloquio Adverſariiſq; didicerimus, hoc Orbi literario judicandum proponimus. Succurrebat & alia hujus difficultatis expediendæ ratio, ſi *Valentinus* probari poſſet, quàm vulgò creditur, antiquior, propiuſque adeò admoveri temporibus *Ignatianis*. Fecit hoc noſter in *Vindiciis* aliquatenùs, ſed verò ex profeſſo in his, quas damus, Diſſertationibus. Eſt enim illo præcipuè nomine utilis *Romanorum Pontificum* omnis illa *Succeſſio*, quòd cùm *Romam* Primævi illi petere ſolerent Hæretici, inde faciliùs compendioſiuſque peſtes ſuas per *orbem Romanum* univerſum diſſeminaturi; inde factum ſit ut per *Pontifices*, ſub quibus *Romam* venerint, Hæreticorum ortus Eccleſiaſtici conſignârint. *Hygini* autem & *Pii* atque *Aniceti* Pontificatus, horum, qui quidem *Romam* venerint, *Hæreticorum* ortus atque incrementa attigere. Horum itaque Pontificatus ſi *antiquiores*, quàm vulgò haberentur, propioreſque temporibus *Ignatianis*, demonſtraret; id unà ſequebatur, fore etiam *Hæreticos*, quàm crederentur, *antiquiores*, ipſumque adeo *Ignatium* breviori intervallo contigiſſe. Sic potuerit *Ignatius* vel *ortum* in *Provinciis* Valentinum perſtringere, quod credidit *Ceſtrienſis*; vel *latitantem* adhuc, nec apertam inimicitiam profeſſum, clam tamen & in angulis inſidiantem; vel Præceptorem fortaſſe Valentini *Theodadim*,

qui eorundem illorum *Valentini* dogmatum Apoſtolum Autorem venditavit, *ſcilicet* nimirum ipſe *Valentino*, ipſique ſuppar *Ignatio*. Nec enim *nomen* Sectis dabant ſemper primi dogmatum *Inventores*, ſed clariſſimi *propagatores*, quanquam alioqui *recentiores*. *Marcionis* dogmata, ante ipſum *Marcionem*, profeſſus erat *Cerdon*, cum tamen in Hæreticorum illorum deſignatione *Marcionis* quàm *Cerdonis* nomen longe fuerit celebrius. Accedebat & alia ratio cur à *Valentino* potiùs quàm *Theodadi*, nomen acciperent Hæretici *Valentiniani*. Primus enim *ſeceſſum* manifeſtum fecit profeſſuſque eſt ipſe *Valentinus*. Communes habuit cum Catholicis cœtus *Theodadis* & cum illo ſentientes, nullo proinde adhuc nomine *proprio* ſecernendi. Cum ergo Hæreticorum illorum temporibus conſtituendis ſoli inſervirent *Hyginus*, *Pius* atque *Anicetus*; & verò ad cauſam illam *Ignatianam* præcipuè hoc in Opere reſpexerit *Ceſtrienſis*; inde intelligimus cur non ultra *Soterem Aniceti* Succeſſorem produxerit illam omnem, quam dedimus, Succeſſionem. Memini itaque cum de *Hygini*, *Pii*, atque *Aniceti* temporibus ſolis Diſſertationem unicam deſignaret.

§. 2. Nos Succeſſionem *univerſam* ab *initio* ad Annalium *Cyprianicorum* tempora, ubi certiora ſuppeditant, pro virili conſtituemus. Proinde *veros* tam *Pontificalis*, quàm *Euſebii*, numeros ab ipſis utriuſque fontibus, quà licet, indagabimus. Sunt enim illi hodie non modò admodum mendoſi, verumetiam invicem diverſiſſimi. His conſtitutis, tum & illud inveſtigabimus quot ſint in utriuſque Hypotheſibus *diverſorum* Autorum indicia, & *qui* demum illi fuerint, vel quo ſaltem *tempore* vixerint; quid illi viciſſim ex *aliis* antiquioribus hauſerint, & bonæ fidei Autoribus, quidve ſuis debuerint *conjecturis*. Sic intelligemus quæ fide digna, quæve meritò pro ſuſpectis, habenda ſint. Quæ enim *diverſa* ſunt, ea à propriis *conjecturis* in diverſorum Autorum ſententiis in unam Sequelam committendis profluxiſſe veriſimile eſt; Quæ verò in tantâ diſcrepantium ſententiarum pugnâ ipſâ tamen non pugnant, ea à *communibus*

nibus probabile eſt manâſſe monumentis. Veros itaque tam *Pontificalis*, quam *Euſebii*, numeros cum *Eutychianis* tandem comparabimus, & quâ parte quique aliis veriſimiliores ſunt ita tandem ſtatuemus. Addemuſque præterea & Notas *alias* Temporum *Hiſtoricas*, ſiquæ fortè occurrerint à Viro Maximo neglectæ penituſque prætermiſſæ. Hæc omnia difficilia eſſe fateor, penituſque (quod quidem ſciam) ab Eruditis intacta, quò ſperem fore & nobis ad veniam faciliores Viros doctos ſi & ipſi nonnunquam ceſpitemus atque lapſemus, in eo præſertim loco in quo Eruditi hactenus ad unum omnes tam graviter erraverint. Digna eſt profectò hæc primorum Pontificum Chronologia quæ ſtudiosè excolatur, cum aliam fere nullam habeamus rerum *Eccleſiaſticarum* (in his præſertim quæ *Cyprianum* præceſſerint temporibus) notam *Chronologicam* quàm *Pontificum* qui geſtorum Eccleſiaſticorum pars maxima fuiſſent; nec verò Sedium reliquarum Succeſſiones nobis conſervârit *Euſebius*, præterquam *Romanæ*, *Alexandrinæ*, *Antiochenæ* atque *Hieroſolymitanæ*; nec porro *alias* integras, atque intervallis Chronologicis perpetuò conſpicuas præterquam *Romanæ* atque *Alexandrinæ*; nec denique alia fuerit in univerſo orbe *Romano* Succeſſio illuſtrior quàm *Romana*, propter ipſam *Civitatis* (quam appellat *Irenæus*) *potentiorem principalitatem*, cujuſque adeo res geſtas oportuerit ubique fuiſſe *notiſſimas*, præſertim in Provinciis *Occidentalibus*. Et tamen Succeſſionem *Alexandrinam* illuſtrandi occaſionem dabit ipſa hæc Succeſſio *Romana*, ut ſic utrobique habituri ſimus tam in *Occidente*, quàm etiam in *Oriente*, normam aliquam *Chronologiæ Eccleſiaſticæ*. Quòd ſi, ut Nos majorum errata correxerimus, ſic alius quiſpiam noſtris etiam erratis corrigendis rem *Chronologicam* Eccleſiæ, in his præſertim obſcuriſſimis temporibus, locupletiorem fecerit, Nos verò ſeriò gratulabimur, modò id fiat quo decet literatos *candore*, quâ Chriſtianos *æquanimitate*. *Veritati* enim Nos, & *Eccleſiæ* verè Catholicæ *Paci*, non *Partium* ſtudiis, noſtra omnia dicamus.

CAP.

CAP. II.

Noſtra, in Euſebii *mente indagandâ, ſubſidia.*

§. 1. *Habuit* Euſebius *in hac Pontificum Chronologiâ* Autores; §. 2. *Nec alios tamen illos in* Hiſtoriâ *quàm quos ſuerat ſecutus in* Chronico. §. 3. Lectionum *Euſebianarum* antiquiſſimarum *teſtes habemus* Rufinum, Hieronymum, Proſperum. §. 4. *Quo pacto* Proſper *ſit ad uſum accommodandus.* §. 5. *Teſtem etiam, de* Chronici *lectionibus, ipſum in* Hiſtoriâ *habemus* Euſebium. *In ſententiâ* Euſebii *indagandâ* Chronico *potiùs fidendum quàm* Hiſtoriæ: *Sic tamen ut nonnunquam* Chronico *ſubſidium viceversâ afferat* Hiſtoria.

§. 1. ORdiemur ab *Euſebio*, cujus nullas fuiſſe rationes Hiſtoricas noſter ſuſpicatus eſt, quas quidem ab antiquiori aliquo Autore ipſe hauſerit *Euſebius*. Nempe ex *hodiernis* Euſebii *Codicibus* judicavit noſter de *Euſebio*, quos fateor ita eſſe corruptos, ita invicem in *Chronico* & *Hiſtoriâ* diſſentaneos, ita inconſultò fortuitoque diſpoſitos; ut ni primùm repurgentur Codices, atque ipſe ſibi reſtituatur *Euſebius*, certaſne fuerit ſecutus rationes, & quæ tandem illæ fuerint, ægrè certè poſſit intelligi. Nec tamen propterea temerè hæc, nulliſve prorſus Autoribus, ab *Euſebio* conficta eſſe arbitror. Animum enim à *fingendi* libidine alieniſſimum prodit, quòd Epiſcoporum *Hieroſolymitanorum* tempora, quæ nulla uſpiam in Archivis memorata reperit, ea ne quidem commemoranda ſuſceperit: quin

quin potiùs Lectorem de eo verbis diſertiſſimis monuerit, nuſpiam illa ſe in monumentis reperiſſe. Idem innuit in Epiſcoporum *Antiochenorum* Catalogo, quorum tempora *nulla* deſignat in *Hiſtoriâ*, in *Chronico* unici duntaxat *Erotis* annos deſignatos legimus, vel eo nomine ſuſpectos fuerintne *Euſebii*, quòd nullos in *Hiſtoriâ* ipſe deſignârit *Euſebius*. Idem tamen in Catalogis Epiſcoporum, tam *Romanorum*, quàm etiam *Alexandrinorum*, non *annos* modò, quibus *ſedem* quiſque tenuerit, annotavit; ſed & concurrentes plerunque, quibus cœperint, *annos Imperatorum*. Quàm facilè illi fuiſſet reliquarum ſedium Succeſſiones, pro eàdem formâ ſupplere, ſi *Romanæ* Succeſſionis *Alexandrinæque* tempora ipſe excogitaſſet *Euſebius*? Sic certè ſolebant Impoſtores, ſiqua nova in recentioribus & *ſui temporis* Pontificibus ſibi explorata commemoranda cenſuiſſent, ea etiam in *antiquioribus*, ubi nulla ſuppetebant monumenta, ſuis tamen ſupplere commentis. Sic *dies* Pontificum emortuales, *Patrias*, *Parentes*, *Ordinationes*, Sediſque *vacationes* adjunxerunt Catalogo *Bucheriano* recentiores *Pontificalis* Libri Editiones, in ſuis nimirum quibus vixerit Editor temporibus, compertiſſimos, quos tamen in Antiquioribus, ſine ullis prorſus Hiſtoricis ſubſidiis, ne operis forma mutari videretur, ſuis quiſque commentis cenſuit interpolandos. Sic & in ipſis hiſce, de quibus agimus, Succeſſionibus quæ ſibi *incomperta* ipſe eſt ingenuè confeſſus *Euſebius*, ea tamen omnia tanquam ſibi *compertiſſima* ſupplevere recentiores. *Antiochenam* enim Succeſſionem atque *Hieroſolymitanam* ſingulorum etiam Pontificum annis abſolutiſſimam exhibent *Syncellus*, *Nicephorus*, & *Eutychius*, qui tamen alia ne quidem venditant *monumenta* quæ ignoraverit *Euſebius*. Unde quæſo hæc omnia præterquam è recentiorum illis, uti dixi, commentis? Cæterùm qui nullos annos, ubi monumenta nulla ſuppeterent, annotandos duxit *Euſebius*; idem tamen, ubi ſuppeterent, annotavit diligentiſſimè; id unà innuit, ſiquos *annotârit* annos, fuiſſe ſibi, unde haurirentur, *Autores*. Præſertim cum

cum & Synchroniſmos *Imperatorum*, aliarumque Sedium Epiſcoporum, annotârit.

§. 2. Habuit itaque *Euſebius* in hâc universâ Pontificum Chronologiâ *Autores*. Nec *alios* tamen illos in *Hiſtoriâ* quàm quos fuerat ſecutus in *Chroniço*. Id quod alibi Nos obiter monuimus. Aliter fuiſſet, de eo fuerat Lectorem neceſſariò moniturus, cur adeo diverſas invicem rationes, adeo pugnantes invicem Synchroniſmos, tradidiſſet, ſiquam ipſe diverſitatem obſervâſſet, ſiquam ipſe deditâ operâ tradidiſſet. Monuiſſet Lectorem qui tandem eſſent novi *Codices* quos ſibi tanquam duces in novo Opere *Hiſtorico* propoſuiſſet omnium tutiſſimos atque fideliſſimos. Monuiſſet quo tandem modo in illos incidiſſet, in quibus reperiſſet Bibliothecis, & ubinam Lector reperire poſſet mutati conſilii rationes. Monuiſſet cur nuperis illis Teſtibus *fidem* potiùs quàm prioribus adhibuiſſet, & quæ demum veriſimilitudines illum antea in errorem ſeduxiſſent. Sic de geſtis *Athanaſii* fecit in ſecundâ Hiſtoriæ ſuæ Editione *Socrates*. Tantum verò abeſt ut de his Lectorem monuerit *Euſebius*, ut plane nullam obſervârit, de quâ eſſet reddenda ratio, in utrovis Opere *diſcrepantiam*. Unas itaque, & ſibi conſentaneas, utrobique rationes tradiderat *Euſebius*. Et quæ hodie apparet diſcrepantia, ea *Librariis* potiùs, & *Euſebii* ipſius novis *conjecturis*, quàm ipſis tribuenda videtur Autoribus *Euſebii*.

Adde ad Diſſ. I. Cap. X. §. 2.

§. 3. Sed verò unde (inquies) utriuſque Operis *Euſebiani*, in tantâ hodiernorum Codicum diſcrepantiâ, *veras* Lectiones indagabimus? Nempe imprimis ex antiquiſſimis utriuſque Operis deſcriptoribus. Adeo enim *antiqui* ſunt utriuſque Operis errores, adeo nullum *recentioribus* Librariis Judicium *Criticum* quo recepti ab antiquioribus errores poſſent emendari; ut parum admodum ſubſidii à MSS. ſeu *Hiſtoriæ*, ſeu etiam *Chronici*, Codicibus expectandum ſit. *Proximi* itaque *Excriptores* conſulendi ſunt à quibus quæ fuerint lectiones *antiquiſſimæ* utrobique diſcamus. In illis eſt *Ruffinus* qui infra XC. ab *Euſebio* annum

num *Hiſtoriam* ejus *Latinè* convertit. In illis *Hieronymus* qui infra L. quàm ederetur annum ejuſdem *Chronicon* eâdem quâ *Hiſtoriam* Rufinus, *linguâ* eſt interpretatus. Quas tamen *Hieronymi* lectiones non tam è receptis *Chronici* Codicibus hauriendas exiſtimo in quibus pervertendis multa poterant recentiorum temporum *Librarii*; quàm ex aliis potiùs ejuſdem *Hieronymi* Operibus, præcipuè verò è *Catalogo*. Ut enim *Chronici* à ſe converſi *numeros* ſecutum conſtat in aliis ejuſdem Operibus *Hieronymum*; ſic nulla ratio eſt cur ſuſpicemur perverſos à Librariis *Hieronymi* numeros, cum rem Chronologicam obiter duntaxat, non autem ex profeſſo, tractaret. In illis denique *Proſper* qui converſum ab Hieronymo *Chronicon* non magno ipſe intervallo ſecutus eſt.

Proſperum autem non *mutilum* illum, qui vulgo habetur, intelligo Euſebii *continuatorem* atque Hieronymi; ſed *integrum* qualem in ſuâ MSS. Codicum Bibliothecâ primus edidit *Philippus Labbæus*. Transfudit ille in *Chronicon* ſuum multa ex *Euſebio*, & in illis has, de quibus agimus, *Succeſſiones*. Habet etiam Faſtos *Conſulares* ad *Cycli Paſchalis* uſus accommodatos, *vitioſiſſimos* quidem illos, qui tamen vera Chronici *intervalla* rectiſſimè deſignent. Confirmant enim illos *Cyclorum Paſchalium* initia & fines LXXXIV. annorum ab eo diligentiſſimè ſignata, ut proinde quantumvis illos vitioſè deſcripſerit *Proſper*, vel inde tamen conſtet rectè illos haberi pro mente *Proſperi* quòd vitioſis ejus Hypotheſibus plerunque reſpondeant. Iiſdem Faſtis *Imperatorum* quoque annos diſtinxit, *vitioſiſſimè* quidem illud, ſic tamen ut oſtendant quomodo ſint anni *Proſperi* ad *Euſebianos* componendi. Quæ enim geſta certo Imperatoris *anno* ligavit *Euſebius*, ea per *Coſſ.* deſignavit *Proſper*, non quidem ſuo loco poſitos, ſed à primo memorati Imperatoris apud *Proſperum* loco numerandos. Quæ certè erant neceſſariò monenda ut uſum *Chronici Proſperiani* intelligamus. §. 4.

Suppetunt & alia ex ipſo *Euſebio* ſubſidia ad rectè ca- §. 5.

piendas ejuſdem rationes. Mutuâ enim operâ & *Chronicon* ex *Hiſtoriâ*, & viciſſim *Hiſtoria* è *Chronico* corrigenda erit. Major enim erat expectanda, in Autore parum alioqui accurato, diligentia in numeris aptè invicem appoſiteque, pro *Canonis* lege, componendis, cum rem Chronologicam tractaret ex *profeſſo*, quàm cum numeros eoſdem *Chronici* in *Hiſtoriam* transferret, novâ nullâ adhibitâ, uti dixi, curâ, ſed ex eodem illo ordine quo fuerant à ſe antea diſpoſiti. Sic *Chronico* fuiſſet potiùs fidendum ſi quidem utrumque Opus, quale illud ſcripſit *Euſebius*, ſincerum hodie incorruptumque haberemus. Sed verò antiquiſſimarum in *Chronico* Lectionum Teſtis optimus & fide digniſſimus in recentiori Opere *Hiſtorico* idem eſt *Euſebius*, & proinde hoc nomine utiliſſimus. Quid quòd etiam numeri in *Hiſtoriâ*, non *ſignis*, ut in *Chronico*, numeralibus, ſed vocibus *integris* fuerint, utplurimùm deſcripti, nec linearum tam ſcrupuloſam exigerent in deſcriptoribus diligentiam ut ſuis aptarentur Imperatorum annis quàm exigebant in *Chronico*. Sed nec adeo frequentes habebat *Hiſtoria* ſeu *Continuatores*, ſeu etiam *Interpolatores*, qui pro arbitrio omnia quæ mutanda viderentur eſſe mutarent. Ita factum ut in *Hiſtoriâ* ne quidem ipſorum Librariorum adeò eſſent proclives errores. Ut proinde de antiquiſſimis *Chronici* Lectionibus certiùs poſſit nonnunquam ex *Hiſtoriâ*, quàm ex *hodiernis* Chronici *Codicibus* pronunciari. Accedit denique quòd, ſiquid novum in communium utrobique numerorum ſaltem diſpoſitione conſignârit *Euſebius*, ſecundas tamen ejuſdem cogitationes prodiderit in *Hiſtoriâ*, ut ſiquem lapſum admiſiſſet in *Chronico*, ſeu *Scriptionis* ille, ſeu *mentis* fuiſſet, hic fuerit ſanè corrigendus. Suppeditat præterea in *Hiſtoriâ* & alia quoque verorum numerorum eruendorum adminicula, dum & illud animadvertit in quem *Imperateris* nonnunquam annum, pro antiquiſſimâ Chronici diſpoſitione, *Romanorum Pontificum* initia inciderint, dum & illud animadvertit qui fuerint illis in eodem illo ejuſdem *Imperatoris* anno *ævi* in ſede *Alex-*

Alexandrinâ. Quanquam ſæpenumerò *aliam* in *ſolidis* Imperatorum *annis* ſupputandis rationem oſtendemus ſecutum in *Hiſtoriâ* quàm fuerat ſecutus in *Chronico*. Eâ tamen detectâ, conſtabit unà quid ſit de Pontificum annis reverà ſentiendum. Quare reſtitutis *Imperatorum*, pro *Euſebii* mente, annis; reſtitutis etiam *Alexandrinæ* Succeſſionis Epiſcoporum; ſic deinde conſtabit quæ tandem intervalla *Romanis* Pontificibus aſſignanda ſint, ut in illos *Imperatorum* annos incurrant quibus illos alligavit *Euſebius*, utque in eoſdem eorundem Imperatorum annos illi etiam concurrant quos idem ſtatuit coævos in ſede *Alexandrinâ*. Et quidem maxima erit illa quæ à ſede *Alexandrinâ* accedit confirmatio, cum ſit illa Succeſſionum ab *Euſebio* traditarum conſentientiſſima pariter atque adeo longe etiam certiſſima. Non eſt tamen quòd in tot erroribus nullum prorſus etiam in *Synchroniſmis* errorem expectemus. Si tales itaque dederimus numeros qui & intervalla univerſa accuratè expleant, qui etiam efficiant ut in illos inciderent *Imperatorum* annos Præſules *Romani* quibus illos, pro ſuâ nimirum Chronicorum *Canonum* diſpoſitione idem aſſignavit *Euſebius*, & eoſdem habuerint in ſede *Alexandrinâ* coævos quos idem tradit uno eodemque tempore ſucceſſiſſe: (Et tamen illud etiam oſtendemus non ſemper diſpoſitionis in *Chronico* teſtem eſſe *Hiſtoriam* niſi quando anni Imperatorum *ſolidi* invicem utrobique reſpondent) Si quidem *Synthroniſmi* omnes accuratè conveniant, aut nulla ſit illorum præterquam in *Codicum* Euſebianorum *diſcrepantiâ*, pugna; aut pugna ipſa hoc efficiat ut reliqua omnia longè meliùs accuratiuſque conveniant, aut Codicum etiam *antiquiſſimorum* Autoritate confirmetur: vix erit certè cur dubitemus quin illos redivivus fuerit agniturus *Euſebius*. Sic tres habebimus *Chronologiæ Eccleſiaſticæ* in Chronico Euſebiano *normas* ad quas poterunt res geſtæ *Eccleſiaſticæ* referri, annos nimirum *Imperatorum* pro *Euſebii* mente diſpoſitos, & Pontificum *Romanorum* atque *Alexandrinorum*.

CAP. III.

Euſebiana *Pontificum* Romanorum *diſpoſitio ad finem* Xyſti.

§. 1. *Quibus tandem conjecturis ductus* Euſebius *S.* Petri *initium* II. Claudii *anno aſſignaverit.* §. 2. Chronici Proſperiani *integri à* Labbæo *editi intervalla è* Cycli *Paſchalis* Judaici *Faſtis conſtituenda.* Cycli Judaici *initium à* III. Claudii *anno, pro* Judæorum *mente, repetendum.* Claudii II. *erat* Sabbaticus. §. 3. Cycli primi *intervalla omnia, pro mente* Proſperi, *conſtituuntur.* §. 4. *Tenuit Sedem Romanam* Linus, *pro Principiis* Euſebii, *ab Anno* Neronis XIII. *ad* II. Titi. §. 5. *Unde factum ut annos* Imperatorum *aliter in* Hiſtoriâ, *in* Chronico *aliter numerârit* Euſebius. §. 6. Anencletus *à* II. Titi *ad* XI. Domitiani. §. 7. Clemens *ab* XI. Domitiani *ad* III. Trajani. §. 8. Euareſtus *à* III. Trajani *ad annum* ejuſdem XI. §. 9. Alexander *ab an.* Trajani XI. *ad* II. Hadriani. §. 10. Xyſtus *à* II. Hadriani *ad* XII.

§. 1. A S. *Petro* Catalogum ſuum exorſus eſt *Euſebius.* Cujus quanquam tempora *nulli* repererant *Veteres* Euſebio coævi à *Traditionum* originibus paulo remotiores, con-

conjecturis tamen ſuis, quantulæcunque tandem fidei illis, id aſſequi conabantur, ut quot annis ſedem tenuerit *Romanam*, pro virili deſignarent. Qui primi S. *Petro* XXV. annos tribuebant, à *Chriſti* illos numerabant *Aſcenſione* uſque ad *initium Neronis*, à *Tiberii* nimirum XV. duobus *Geminis COSS.* inſignito, *Æræ vulg.* XXIX. (quo Chriſtum *aſcendiſſe* crediderunt plerique ante *Euſebium*, & *poſt* illum multi *Veteres*) ad An. LIV. quo deceſſit *Claudius* ſucceſſitque *Nero*. Cum enim S. *Petrum* pro ordinario Romæ *Epiſcopo* haberent, à quo Succeſſionis *Romanæ* originem deducerent; proinde intervallum illud omne quod à Chriſti *Aſcenſione* fluxerat ad *primum* Romæ *Epiſcopum*, id S. *Petro* tribuendum exiſtimabant, & locum nullum numero illi reliquum fecerunt quem ſimilibus conjecturis ducti *Poſteri* ſedi ejuſdem *Antiochenæ* aſſignabant. Hoc è *Lactantio* diſcimus Euſebii *coævo*, quo neminem *vetuſtiorem* habemus qui hujus numeri meminerit. Hoc etiam ex *Idatio*, qui ad eoſdem *Coſſ.* (quos *primos* numerant *Neronis* Faſti *Proſperi* vitioſiſſimi) S. *Petri* Martyrium appoſuit. Ad *Neronis* autem *initium* propterea numerandum cenſuerunt, quòd *quoto* fuerit Neronis *anno* paſſus Apoſtolus, exploratum non haberent. Hæc itaque *Euſebio* antiquiores. Cum verò receptæ illius ſententiæ errorem ipſe detexiſſet *Euſebius*, & Feſta aliquot *Paſchalia* præterea addenda obſervâſſet quibus ſuperſtes fuerit poſt illum *Geminorum* Conſulatum Dominus; jam non conſtabat prior illa numerandi ratio. Et tamen jam Hiſtorici Teſtimonii vicem obtinuerat deceſſorum illa de annis S. *Petri* XXV. conjectura, ad eundem plane modum quo etiam ſimiles Veterum de S. *Joannis* Apoſtoli *morte* conjecturas Teſtimoniorum *Hiſtoricorum* locum apud *recentiores* obtinuiſſe jam ſuprà obſervavimus. Hunc itaque numerum jam vulgò receptum ſuis etiam accommodandum cenſuit *Euſebius* Hypotheſibus, & cum ad *initium* Neronis numerare non poſſet, proinde ab ejuſdem *fine* retrorſum numeravit. Sic autem *retrorſum* ducti numeri à *Claudii* anno II. incipiunt, pro

Lactant. de mort. Perſ. n. 2.

Addit. ad Diſſ. II. c. V. §. 2.

pro calculis *Euſebii.* Cum enim XIV. annum nec *Claudius*, nec *Nero* impleverit; ſic annos eorum *ſolidos* numeravit *Euſebius* in *Chronico* ut *Claudio* XIV. annos *integros* aſſignet, *Neroni* duntaxat XIII. Fateor *Neronis* annos XIV. in *hodiernis* legi Chronici Euſebiani *exemplaribus.* Sed verò annus iſte XIV. ad *Galbæ Othoniſque* tempora ſpectat & *Vitellii*, quorum nulla alioqui tempora recenſuit *Euſebius*, in emendatiſſimis pro illius mente exemplaribus, teſte *Pontaco.* Quos tamen illum minimè prætermiſiſſe conſtat ex *Hiſtoriâ*, ubi ratio hujus numeri paulo accuratior habetur atque diſtinctior. XIII. enim in *Hiſteriâ* annos *Neroni* concedit; *Galbæ, Othoni* atque *Vitellio*, annum I. menſes VI. plane ad rotundum illum XIV. annorum calculum utique referendos. Detractis itaque *Neronis* annis XIII, *Claudii* XII, ad II. *Claudii* pertinget retrorſum numeratus S. *Petri* annus XXV. Commodiſſimè nimirum illud pro Ratiociniis *Euſebii. Juſtinum* enim, *Irenæum*, alioſque *Veteres*, ſecutus eſt *Euſebius*, qui Inſcriptionem in Inſulâ *Tiberinâ Semoni Sancto*, Claudio Imperante, dicatam de *Simone Mago* interpretati fuerant. Et ad *Claudii* initium illa rectè, pro illorum temporum more retulit, quæ *quoto* Claudii anno geſta eſſent ignoravit. Quanquam hic *quotum* Claudii annum ex illâ, quam dixi, *retrorſum* actâ numeratione collegit. Porro *Simonem* jam *Romæ* celebrem, ſecutum credidit *Euſebius* Apoſtolum, quam etiam ſententiam ante *Euſebium* receptam eſſe diſcimus ex *Arnobio.* At nullus meminit *Apoſtoli* Romam venientis in *Simonis* causâ *Juſtinus*, nullus *Irenæus*, nullus fortaſſe *Veterum* Arnobio *antiquiorum.* Ergo ſi *primo* Claudii anno *Romam* venerit *Magus*, *ſecundo* S. *Petrum*, ſi quidem fuerit *Simonem* ſecutus, eodem appuliſſe conſentaneum erat. Nec aliunde numerum illum quàm ex *Euſebio*, quem *Latinè* converterat, hauſit *Hieronymus.* Non eſt itaque quòd dubitemus annos XXV. S. *Petro* tribuiſſe *Euſebium*, & quidem illos à *Claudii* II. pro ejus mente inchoandos, in *Neronis* verò XIII. ut dixi, terminandos.

Euſeb. H. E. II. 14.

Hieronym. Script. Eccl. Petr.

Con-

Confirmat tamen præterea quæ diximus, Excriptor *Euſebiani Chronici* Latinè verſi antiquiſſimus *Proſper Labbæanus*, ſi tamen & illum emendemus, ejuſque intervalla, utcunque alioqui non *vera*, pro Autoris tamen Principiis atque *ſententiâ*, conſtituamus. Sic enim intelligemus, quos ille numeros ſecutus fuerit, quoſque adeo in *ſui temporis* Chronici Euſebiani exemplaribus repererit. *Chronici* illius norma ſunt *Faſti Conſulares* mendoſiſſimi quidem illi atque extra veros locos plerunque diſpoſiti, qui tamen *intervalla* deſignent in *Euſebiano Chronico* à *Proſpero* obſervata, ſi tamen nec *redundent* ipſi, nec Conſulibus ullis *mutilati* ſint quos quidem ſcripſerit ipſe *Proſper*. Poſuit enim Autor ipſe *normam*, unde hoc intelligamus, *Cyclos* nimirum Annorum LXXXIV. *Paſchales*, quorum *initia* atque *fines* diligentiſſimè deſignavit. Ipſum enim illum Cyclum in Eccleſiâ *Romanâ*, obtinuiſſe, quo ſcripſit *Proſper* Sæculo, obſervavit è *Paſchaſino Bucherius*. Faſtos quidem ille, pro *Cyclorum* more jam recepto à *Geminorum* Conſulatu deducendos cenſuit, cum tamen *Cyclum primum* non altiùs quàm à *tertiis* demum *Claudii* Coſſ. inchoârit. Quod fecit ille fortaſſe propterea quòd à *Judæorum* moribus receptum illum *Cyclum* pro eorundem calculis ſupputandum exiſtimaret. Certè *ſeptenariis* duodecim conſtat univerſus ille *Cyclus*. Unde facilè intelligimus ad annorum *Sabbaticorum* circuitus eſſe accommodatum, & proinde *ſeptimum* quemque illius Cycli annum fuiſſe *Sabbaticum*. Sic *ultimus* quiſque *ſuperiorjs Cycli* annus fuerit etiam & ipſe *Sabbaticus*. Nec certè longe abeſt annus *Claudii* II. *Ær. vulg.* XLII. ab anno *Sabbatico* I. annus *Sabbaticus*, qui quidem in certas incidat *Chronologiæ* rationes, ille eſt de quo legimus *Jer.* XXXIV. 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, &c. VIII. circiter ejuſdem *Zedekiæ* anno, *Nabonaſari* CLIX. Jam enim *Judæos* oppugnabat *Nabuchodonoſorus*, v. 17. ſic tamen ut nondum ad *ſecundam* Urbis *Hieroſolymitanæ* obſidionem veniſſet, quò rediturus prædicitur *v.* 22. Fidem etiam ante ſecundam illam obſidionem fefellerant, redegerantque in §. 2.

in ſervitutem fratres antea dimiſſos, quâ occaſione minatus eſt *ſecundam* illam *obſidionem*, nondum ſcilicet cœptam, Propheta, cum tamen è *reliquarum* Urbium oppugnatione jam conſtet in ſecundæ obſidionis *procinctu* fuiſſe Regem *Babylonis*. Atqui Urbem ipſam ſuprema illâ obſidione IX. *Zedekiæ* anno cinxit *Nabuchodonoſorus*. VIII. illi *Zedekiæ* anno reſpondet annus *Seleucidarum* CL. & ipſe VII. ac proinde *Sabbaticus*, DLXXXVI. pro iiſdem rationibus *Nabonaſari*. Ab illo rurſus VII. eſt *Simonis* ultimus Æræ *Seleucidarum* CLXXVIII. (ab CLXXVII. anni *Tiſri* incipiens, ſic tamen ut, maximâ ex parte, in ſequentem Epochæ *Seleucidarum* annum incurreret) *Nabonaſari* DCXIV. quem etiam fuiſſe *Sabbaticum* teſtis eſt *Joſephus*. Idem tradit annum, quo expugnata eſt ab *Herode* Urbs *Hieroſolymitana*, *Sabbaticum* fuiſſe, U. C. DCCXVIII. *Nabonaſari* DCCXII. rectè etiam & illum *ſepteno* loco reſpondentem. Ita fiet ut & *ſecundus Claudii*, Chriſti XLII. U. C. DCCXCV. *Nabonaſari* DCCLXXXIX. fuerit & ipſe quoque *Sabbaticus*. Sic etiam annus *Ær. vulg.* MCLXXXIX. pro eorundem *Judæorum* rationibus *ſeptenus* erat atque *Sabbaticus*, à ſuperioris nimirum anni *Juliani* menſe *Septembri* cœptus, quo Rex Angliæ *Ricardus* I. fuerat coronatus, teſte *Matthæo Pariſienſi*. Hinc itaque corrigendi *Bucherii* de hoc *Cyclo* errores ſane frequentiſſimi. Conſtat interim quàm rectè *Proſper* Cyclum hunc *Judaicum* à III. Claudii anno inchoaret. Quanquam illi per Coſſ. numeranti alium errorem oboriri neceſſe erat, ut Faſtos habuiſſet incorruptiores. IV. enim *Claudii* annum maximâ ex parte deſignabant III. ejuſdem *Coſſ.* cum primi anni pars longè maxima in ſupremos *Caii* Coſſ. inciderit. Fieri tamen poteſt ut *Romanæ Succeſſionis* initium *Cycli* hujus initio deſignârit. Reſpondent enim accuratiſſimè.

§. 3. Sic itaque Cycli hujus *initium* habemus. Ad Coſſ. *Hadriani* undecimos finem *primi* Cycli, & *ſecundi* initium, ponit idem *Proſper*, ita nimirum intelligendus, ut *primum* ſequentis Cycli annum numerârit illum *Hadriani* XI.

Sic

Sic enim tertium *Claudii* primi Cycli *primum* numeravit. Reſpondet rectè intervallum. Implent enim illud ſpatium *Imperatorum* anni, ſi, pro *Proſperi* mente, per *Coſſ.* numerentur. Sic enim habent:

Claudii reſtant *Coſſ.* præterea paria	12
Neronis	14
Veſpaſiani	9
Titi	3
Domitiani	16
Nervæ	1
Trajani	19
Hadriani	10
	84

Nulli itaque *deſunt* aut *redundant*, pro mente *Proſperi*, hucuſque *Conſules*. Proinde metus ex hac parte nullus eſt ne in ſupputandis per *Faſtos* illos qualeſcunque *Romanorum* Præſulum *temporibus*, ab ejuſdem mente aberremus. Cum ergo *Lini* Succeſſionem, & Apoſtoli *Martyrium* decimis tertiis *Neronis* Conſulibus aſſignet; ſequitur à II. *Claudii* anno ſic numeràſſe *Proſperum*, ut tertius ejuſdem *Claudii* ſit S. *Petri* primus. Sic enim fiet ut decimus tertius *Neronis S. Petri* XXV. reſpondeat. Atque ita in ſui temporis Codicibus *Euſebianis* conſtat reperiſſe *Proſperum*. Quem etiam confirmat alius antiquiſſimus *Euſebiani Chronici* excriptor *Caſſiodorus*. Claudii enim *ſecundis Coſſ.* S. Petrum *Romam* veniſſe monet, atque inde XXV. ejus annos eſſe numerandos.

Sequitur *Linus* cui XI. duntaxat annos tribuit *Chronici Euſebiani* Editio *Scaligerana*. Sed intervallum ab *An. Dom.* LXIX. ad LXXXI. pro numeris *Scaligeranis*, juſtum annorum XII. ſpatium amplectitur. Nec eſt ſane cur dubitemus quin ita ſcripſerit *Euſebius*. Sic enim habebant Codices nonnulli apud *Pontacum*. Sic Euſebianum *Chronicon* exſcripſit *Contractus*. Sic etiam *Syncellus*, *Epiphanius*, & uterque *Nicephorus*, tam Hiſtoricus *Calliſti* filius quàm §. 4.

Patriarcha *Conſtantinopolitanus*. Sic idem in *Hiſtoriâ* ſcripſerat *Euſebius*, nullâ prorſùs Codicum diſcrepantiâ. Sic & in ſui ævi Codicibus reperit *Hiſtoriæ* vetuſtiſſimus Interpres *Ruſinus*. Metus erat potiùs, è diſpoſitione *Euſebii*, ne *plures* Lino anni cederent quàm ne pauciores. *Secundo* enim *Titi* anno *Anencleti* introitum aſſignant, conſentientibus hoc in loco ſuffragiis tam *Hiſtoria* quàm *Chronicon* in pleriſque *Pontaci* MSS. quem etiam *Titi* annum in ſui temporis Codicibus videtur reperiſſe *Ruſinus*. Erant tamen *Pontaco* Codices qui *primo* potiùs aſſignarent, ſuffragante etiam *Zonarâ*. Erant etiam alii qui *tertio*. Nec nuperam hanc eſſe diſcordiam è *Proſpero* colligimus. *Lino* enim tribuit annos XII. ſive XIII. pro vario, ut videtur, Succeſſoris *Anencleti* ſitu in coævis ſibi *Chronici* Euſebiani Codicibus, quem proinde ad XIII. à morte S. Petri *Conſules* transferendum credidit. At qui *Lino* annos pluſquam XII. aſſignent diſertis verbis, neminem habemus. Etiam ex illis qui Succeſſionem *Anencleti* ad XIII. ab Apoſtoli Martyrio annum proferrent, erant tamen qui *Lino* annos duntaxat XII. tribuendos eſſe cenſerent. Sic illa certè exemplaria quæ XIV. illo *Neronis* anno, quem *Galbæ*, *Othonis* & *Vitellii* fuiſſe diximus, *Linum* ſucceſſiſſe volunt. Eo id fortaſſe conſilio ut ſic conſtaret numerus annorum XII. accuratiſſimè, è X. *Veſpaſiani* & *Titi* reliquis duobus conflatus. Unde id niſi *Codices* in eo numero XII. annorum conſentientiſſimos ipſi quoque reperiſſent? Favere etiam fortaſſe videbatur quod dicit *Euſebius*, Poſt *Apoſtolorum SS. Petri & Pauli Martyrium* tum demum ſucceſſiſſe *Linum*, ſi in eam ſententiam intelligeretur, ut non eodem quo paſſi illi fuiſſent anno, ipſe ſucceſſerit. Sed *Linum* reponebant XIII. *Neronis* anno Codices tres eorum quibus uſus eſt *Pontacus*. Reponunt etiam notæ bonæ *Mertonenſis*, & *Oxonienſis* alius recentior quos vidi, *Edvardi Bernardi* Viri doctiſſimi Amiciſſimique beneficio. Nec verò ulla erat ratio cur alio quàm quo *paſſi* ſunt Apoſtoli anno *Lini* ſucceſſionem ſtatueret *Euſebius*. Præſertim cum Veteres non *Linum* modò & *Anencletum*, ſed ipſum quoque

Cle-

Clementem, ab *Apoſtolis* ipſis in ſede collocatum velint, aliter illi (fateor) ſentientes quàm ſenſerit *Euſebius*. Inde tamen conſtat nullum fuiſſe de *Lini*, poſt Apoſtolorum Martyrium Succeſſione Teſtimonium *Hiſtoricum* quod locum conjecturis faceret de Anno inter illud Martyrium Succeſſionemq; interponendo. Contradicit etiam ipſe *Proſper* qui *Lini* ſucceſſionem eidem anno tribuit cui & Apoſtoli Martyrium.

Quid ergo hîc dicemus? Oblitumne illius anni *Euſe-* §. 5.
bium quem, cum *Galbæ* eſſet, *Othonis* & *Vitellii*, *Neroni* tamen ſolitus fuerat imputare, à *Neronis* proinde fine, *Veſpaſiani*que initio, XII. illos *Lini* annos numerâſſe? An ab *Euſebii* Excriptoribus poſtremo illi, qui *Neronis* nomen tulerat, anno XIV. Apoſtoli mortem eſſe aſſignatam, quam *primo* omnes vel *ultimo* Neronis anno aſſignare ſolebant? An errore aliquo inducto anno qui *Galbæ* nomen ferret *Othoniſque* & *Vitellii*, ſic luxata eſſe ſpatia, ut qui antea locum XII. occupaverat annus jam XIII. occuparet? Fieri quidem poteſt ut contigerit horum aliquid, etiam ante *Proſperum*, proximiſque adeo *Euſebio* Codicibus. Vetat tamen Codicum tantus ille *conſenſus* ne aliunde ſedis *initium* quàm à *ſecundo* Claudii anno inchoemus, aut in alium terminemus XXV. S. *Petro* aſſignandos annos quàm *Neronis* XIII. Vetat ne aliunde Pontificatum *Lini* arceſſamus quàm ab Apoſtoli *Martyrio*. Vetat idem ne plures XIII. annis *Neroni* attribuerit *Euſebius*, neve novus alius, ab illo qui *Neronis* XIV. habetur, *Galbæ*, *Othonis* & *Vitellii* nomine ſit interpolandus. Vetat porro ne *Lino* plures paucioreſve quàm XII. annos tribuiſſe credamus *Euſebium*. Vetat denique ne in alium illos quàm ſecundum *Titi* terminârit. Siqua itaque poterit excogitari ratio quâ hæc omnia tanto Codicum Excriptorumque conſenſu firmata concilientur invicem atque conſentiant, vix erit certè cur alienam illam à ſententiâ ſuſpicemur *Euſebii*. Erit autem hæc illa, ni fallor. Aliam *Euſebius* in *Hiſtoriâ* rationem ſecutus eſt *Imperatorum* annos *ſolidos* ſupputandi quàm fuerat ſecutus in *Chronico*. Hiſtoria *Claudio* tribuit annos XIII. menſ. VIII.

nimirum annos *ſolidos* duntaxat XIII; *Neroni* item XIII. ſolos; *Galbæ, Othoni* & *Vitellio* annum unicum, menſes VI. E *Chronici* conſtitutione didicerat XXV. annos S. *Petro* aſſignandos eſſe, qui quidem ſi, rejectis *menſibus*, ſolidi numerentur, in *Galbæ* annum *Othoniſque* & *Vitellii* deſinant oportet. Oblitus enim eſt *Euſebius* ad juſtum *annum* conſurgere *menſes* illos additicios. Oblitus rurſus ita fieri ut poſt *mortem* Neronis *Linus* ipſe ſucceſſerit. Sed & *Veſpaſiani* annos atque *Titi* ſolidos aliter in *Hiſtoriâ* numerat quàm numerârat in *Chronico*. Superavit *nonum* annum Imperii *Veſpaſianus*, ſic tamen ut *decimum* non penitus abſolverit. Superavit *biennium Titus*, ſic item ille ut nec *tertium* conſummârit. Ambos tamen annos integros XII. abſolviſſe conſtat. *Euſebio* itaque per annos numeranti duntaxat *ſolidos*, arbitrarium erat ut *tertium* illum ex utriuſque Fragmentis conflatum annum, ſeu *Tito* ipſe, ſeu *Veſpaſiano*, imputaret. Et quidem X. *Veſpaſiani*, *Titi* duos duntaxat, agnoſcit in *Hiſtoriâ*; *Veſpaſiani* XI. & *Titi* III. recenſuerat in *Chronico*. Fateor equidem ſic utriuſque tempora diſtinguere *Chronici* Codices pleroſque hodiernos ut X. *Veſpaſiano*, *Tito* duo duntaxat aſſignentur. Sed verò in proximis *Euſebio* Codicibus aliter diſtributos exiſtimo. IX. *Veſpaſiano*, III. *Tito* tribuit *Proſper*, non alio, ut videtur, Autore quàm *Euſebio*. Suffragatur *Proſpero* Codex optimus *Mertonenſis*. Suffragabantur duo *Pontaci* quà *tertium* numerabant *Titi* annum. Maximè verò ſuffragatur, quòd II. *Titi* anno ſucceſſionem *Anencleti* aſſignârint, duobus exceptis, Codices alii univerſi *Chronici* Euſebiani quibus uſus eſt *Pontacus*, atque Editio *Scaligerana*, qui tamen nec *hiatum* ullum agnoſcunt, nec plures *Anencleto* annos quàm XII. attribuant, nec fere aliunde illos quàm è XII. *Neronis* arceſſunt. Non certè aliunde noſtri *Oxonienſes*, nec alii tres quibus uſus eſt *Pontacus*. Ita facilè errorum occaſiones apparebunt. Qui *primo* Titi anno *Anencleti* ſucceſſionem reponebant (quo anno reponebat *Zonaras*, reponebant editi *Pontaci*) X. *Veſpaſiani* annos

nume-

numerabant, quod erat ſane admodum proclive, cum pauci admodum illi deeſſent dies quin decimum annum abſolviſſet. Et quidem à *Neronis* anno numerabant XIII. Jam enim antiquitus diverſas in *Chronico* lectiones pepererat *Euſebii* ipſius tam diverſus in *Hiſtoriâ* calculus, Librariis *Chronicon* rectè quidem, ut ſibi videbantur, ex *Hiſtoriâ* corrigentibus. Totidem *Veſpaſiani* annos cum & alii numerarent, & tamen *Titi* II. *Lini* exitum collocatum obſervarent; inde factum ut XIII. loco ſejunctum exiſtimarent. Inde nata illa Codicum *Euſebianorum* diverſitas à *Proſpero* memorata, aliorum XII. aliorum XIII. *Lino* annos tribuentium, non quidem è numeris ſed è diverſo duntaxat *Hiſtoriæ* atque *Chronici* ſitu numerantium. Si enim à XIII. *Neronis* initium *Lini* repetatur, & *Veſpaſiano* X. anni ſolidi concedantur; ſic erit *Titi* annus II. *Lini* XIII. cum ſit tamen idem XII. duntaxat pro *Hiſtoriæ* rationibus à XIV. illo, quem *Neroni* accenſet *Hiſtoria*, anno numerantis. Si tamen, pro *Chronici* calculis à XIII. *Neronis* Lini Pontificatum inchoemus, & *Veſpaſiano* annos ſolidos IX. duntaxat aſſignemus; fiet ita ut rectè procedat ſupputatio, incidatque II. *Titi* annus in *Lini* annum duntaxat XII. Ita nimirum *Euſebii* negligentiâ factum eſt ut ne quidem unum eundemque in *Chronico* locum II. *Titi* annus occupet. Id cum non obſervaret *Proſper*, & tamen *Veſpaſiani* annos & *Titi*, pro *Chronici Euſebiani* mente, diſtribueret; proinde ut XIII. annorum numerum expleret, finem *Lini* III. *Titi* anno repoſuit. Omnino ille contra verba & ſententiam *Euſebii*.

Anexcleto annos XII. in *Hiſtoriâ* tribuit *Euſebius*, & in §. 6.
pleriſque *Chronici*, pro Editione *Pontaci*, Codicibus; ſuffragantibus præterea duobus illis, quos dixi, Codicibus *Oxonienſibus*, ſuffragante *Hiſtoriæ* vetuſtiſſimo Interprete *Ruſino*, ſuffragante ejuſdem vetuſtiſſimo Excriptore *Epiphanio*, & recentiore *Nicephoro Calliſto*; ſuffragante etiam *Chronici* vetuſtiſſimo Excriptore *Proſpero*, tam in ſummâ *generali* quàm in *intervallo* Faſtorum etiam *Conſularium*.

Sic

Sic itaque ſupplenda erit Editio *Scaligerana*. Rectè etiam procedit calculus in *Canonis* quoque diſpoſitione, ſi quidem à poſtremo *Titi* illius repetatur exordium. XII. enim *Domitiani Clementis* ſucceſſionem ponunt pari concordiâ tam *Hiſtoria* quàm *Chronicon*. Sed prior illa diſcrepantia *proximis* etiam *Euſebio* nata temporibus id effecit ut II. *Titi* alii pro ejuſdem ultimo haberent, alii III. ultimum numerarent. Et quidem ſi à II. *Titi* initium arceſſamus *Anacleti*, pro eorum ſententiâ qui III. *Tito* annos attribuerunt, jam XIII. erit *Anencleti* annus qui *Domitiani* erat XII. Conſtat autem diſcrepantiam illam undecunque ortam in ſolis tamen *Lini* temporibus, pro Autorum mente conſiſtere, nec ipſum quoque *Proſperum* qui tres *Tito* annos aſſignârat, plures tamen *Anencleti* annos numerare. Quare corrigendus eſt in diſpoſitione *Canonis* Euſebius, & *Anencleti* anni in anno potiùs *Domitiani* XI. terminandi. Jam enim vidimus quàm fuerit proclivis error ut qui *Veſpaſiano* annos tribuerat duntaxat IX, idem rurſùs I. *Titi* pro *Veſpaſiani* X. haberet, utque idem ſemel admiſſus error ad recentiora aliquantiſper tempora proederet. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat. Videmus interim quàm licenter alios Imperatorum annos atque alios Pontificum ſucceſſionibus aſſignet Euſebius. Ut proinde numeros annorum quibus *ſedem* tenuerint *Pontifices* è Vetuſtiorum Teſtimoniis hauſerit, annos autem *Imperatorum* quibus numeros Pontificum alligârat, è propriis duntaxat conjecturis *Euſebius*.

§. 7. In *Clemente* rurſùs, pro more ſuo, idem à ſeipſo eſt diverſus *Euſebius*, ſic tamen ut veſtigia, ni fallor, utrobique Veritatis appareant. IX. illi annos aſſignat *Hiſtoria*, tam *Græca* quàm *Latina* Interprete vetuſtiſſimo *Ruffino*. Novem etiam *Chronici* Editio *Pontaci*, ſuffragante quoque noſtro Codice utroque *Oxonienſi*, ſuffragante item *Proſpero* tam in *numero* ipſo quàm in *Faſtorum* quoque Conſularium *intervallo*. Et tamen VIII. duntaxat annos ejus agnoſcit Editio Chronici *Scaligerana*, quibus certè plures *Clemens* tenere non potuit, ſi quidem XII. *Domitiani* anno ſedem

ſedem adeptus, tertio *Trajani* anno deceſſerit. *Tertio* autem Trajani anno deceſſiſſe in *Hiſtoriâ* pariter ac in *Chronico* tradit *Euſebius*, plures certè *Chronici* vetuſtiſſimique Codices; tradit *Chronici* vetuſtiſſimus Interpres *Hieronymus*; tradit *Hiſtoriæ* Excriptor *Zonaras*, ut proinde de *Euſebianâ* hoc in loco diſpoſitione vix poſſit certè dubitari. *Octonarium* autem duntaxat numerum attingent ſi à XII. quem dixi, *Domitiani* numerentur, pro *Chronici* rationibus; ne quidem *ſeptenarium* ſuperabunt, ſi pro calculis *Euſebii* numerentur *Hiſtoricis*. Eſt enim rurſus in annorum *Domitiani* ſolidorum ſupputatione à ſe diverſus *Euſebius*. Annos enim *Domitiani* numerat XV. menſes V. dies XV. in *Chronico*, pro quibus tamen annos *ſolidos* XVI. numeravit in *Canone*. Malè quidem ille cum vix uno menſe annum XV. ſuperârit. Sic tamen annum *Galbæ* ſucceſſorumque *Galbæ* antea detractum compenſavit. Detractis itaque *Domitiani* annis XII. ſuperſunt IV, quibus ſi *Nervæ* unicum, *Trajani* tres addideris, numerum certè *octonarium* excedere non poterunt, ut agamus, pro *Euſebii* mente liberaliſſimè. Idem *Domitiani* annos ſolidos XV. duntaxat agnoſcit in *Hiſtoriâ*. Ita nimirum VII. duntaxat annis ſedem tenuerit *Clemens*, apparetque in *Hiſtoriæ* calculis anni ſolidi duplicis defectus; alterius quem *Claudio*, alterius quem *Domitiano*, uti dixi, detraxerat. Reſtituantur illi, ſic rectè procedent omnia, fietque ut à *Domitiani* anno XI. *Clemens* inceperit. Numerum enim *Clementis* novenarium confirmant *Euſebii* Codices Excriptoreſque & numero plures, & fide etiam digniores. Atque ita illum implet *proximus* Euſebio *Proſper* ut in *Trajani* quartis terminet *Conſulibus*. Illum ſecuti ſunt *Contractus* & *Albertus*, quos exiſtimat *Euſebiano Chronico* ſua debuiſſe *Pontacus*.

Hieronym. Script. Eccl. Clemens.

Euareſto viceversâ anni VIII. tribuuntur in *Hiſtoriâ*, IX. in *Chronico*. Sic habet utrobique rectiùs *Hiſtoria* ex *Autoribus* deſcripta, non è vitioſâ *Canonis* diſpoſitione. Favet *Hiſtoriæ lectio* etiam vetuſtiſſima repræſentata à *Ruffino*. Et tamen aliam *Chronici* ſuo quoque Sæculo *lectionem*, non modò §. 8.

modò Codices *hodierni* confirmant, ſed etiam *Proſper* qui IX. *annos* in initio, & IX. etiam *Coſſ.* paria *Euareſto* concedit, à IV. nimirum *Trajani* Coſſ. ad XIII. Confirmant *Nicephorus* & *Syncellus*, ſi quidem ipſi ex *Euſebio* ſua deſumſerint. Confirmare etiam ipſum *Hiſtoriæ* ipſum videtur *intervallum*. A *tertio* enim *Trajani* ad ejuſdem XII. non *octo* duntaxat, ſed *novem*, numerantur anni. Illo autem *Trajani* anno Pontificatum *Euareſti* terminabant non nuperi duntaxat Hiſtoriæ *Euſebianæ* Codices quos viderit *Nicephorus*, ſed & alii illi antiquiſſimi quos viderit proximus *Euſebiano* Sæculo *Rufinus*, ſed & *Chronici* Codex quo uſus eſt *Contractus*, cum noſtro quoque Codice *Mertonenſi*. Nec aliunde natam crediderim hujus erroris occaſionem, etiam apud antiquiſſimos, qui *ſitûs* tamen potiorem habebant, quàm *ſummæ generalis*, rationem, in quibus ipſum quoque *Proſperum* conſtat eſſe numerandum. *Vitioſam* tamen illam ſupputandi rationem, (quocunque tandem patrocinio fultam) & ab *Euſebii* mente alienam, exiſtimo. Nec enim laxiores numeros patiuntur numeri ſequentes. Nec plures *Euareſti* annos agnovit quàm *octo Contractus*. Nec plures agnoſcere potuiſſet ipſe *Proſper*, ſi quidem infra annum *Trajani* XII. conſiſtendum cenſuiſſet. Id cum non fecerit, exinde conſtat non *illo* Trajani anno collocatum eſſe *Euareſti* exitum in coævis ſibi *Chronici Euſebiani* Codicibus. Eſt itaque meritò cur dubitemus itane ſcripſerit *Euſebius*, itane fuerit (pro *Canonis* ſui diſpoſitione) ſcribendum. Præſertim cum nec annorum *ſummæ* VIII. reſpondeat quam in eâdem *Hiſtoriâ* ipſe tribuit *Euareſto*; cum & aliorum numerorum mentionem habeamus in *Chronico*. X. *Trajani* anno *Euareſti* tempora concludit *Chronici* Editio *Scaligerana*. Habuit præterea *Pontacus* Codices qui XIII. ejuſdem *Trajani* ſucceſſiſſe vellent *Alexandrum*, quibus etiam *Proſperum* aſtipulari vidimus. Habuit & alios, nec facilè ſpernendos illos, qui XI. quem etiam numerum in vulgatis antea Editionibus receptum obſervavit. Hunc nos potiùs numerum ſequimur, cum

cum & meliùs conveniat annorum ſummæ in *Hiſtoriâ* deſignatæ, & ſequentibus ejuſdem *Euſebii* (etiam in *Hiſtoriâ*) rationibus; & verò longe facilior *Euſebii* fuerit error in anno *Imperatoris* quem è *Canonis* ſitu deſcripſit, quàm in *ſummâ* universâ quæ unico apparebat intuitu, & verbis integris utplurimùm fuerit expreſſa. Eandem diſpoſitionem confirmat *Euſebius* dum eodem tempore, quo *Romæ Alexander*, *Primum Alexandriæ* ſucceſſiſſe teſtatur. Nempe ille quo tempore ſucceſſit *Alexandriæ Primus* ὁ τότε *Romæ* ſucceſſiſſe tradit *Alexandrum*. Atqui anno *Trajani* XI. ſucceſſiſſe *Alexandriæ Primum*, infrà luculentiùs conſtabit, ubi de *Alexandrinâ* Succeſſione ex profeſſo tractabimus. *Euſeb.* H. E. IV. 1.

In *Alexandri* annis (quod gratulandum eſt) nulla eſt vel Codicum diſcrepantia. X. enim illi annos utrobique aſſignat *Euſebius*, tam in *Hiſtoriâ* quàm in *Chronico*. Hiſtoriæ vetuſtiſſimam *lectionem* firmat *Ruffinus*, ne recentiores nominem *Zonaram* atque *Nicephorum Calliſtum*. Chronici vetuſtiſſimam *lectionem* conſervavit *Proſper* tam in *ſummâ* universâ, quàm in Faſtorum *Conſularium* intervallo, à XIII. *Trajani* ad quartos *Hadriani* Coſſ. Convenit etiam intervallum in annis *Imperatorum*, pro rationibus *Euſebianis*, accuratiſſimè. Annos enim *Trajano* XIX. menſes VI. *ſolidos* nimirum in *Canonis* conſtructione XIX. ſolos concedit *Euſebius*. Suffragabitur etiam *Hiſtoria* ſi quidem, pro Hiſtoriæ more, *menſes* excludamus. Detractis XII. ſuperſunt VII. Sic III. *Hadriani* anno ſucceſſerit *Xyſtus*, quo illum ſucceſſiſſe tradit *Hiſtoria* & *Chronici* Editio *Scaligerana*, quibus accedit *Ruffinus*, accedit *Nicephorus*, accedunt MSS. Codices quibus uſus eſt *Pontacus* omnes, & noſtri quoque Codices *Oxonienſes*. Rectè quidem illi quoad *intervallum*. Nobis tamen à *Trajani* XI. numerantibus in II. potiùs *Hadriani* terminandus eſt Pontificatus *Alexandri*. Et quidem magis pro mente & *principiis* Euſebii, ut è dictis partim conſtat, partim è dicendis ultrà §. 9.

conſtabit. Favent etiam *Editi* quos ſecutus eſt in ſuâ *Chronici* Editione *Pontacus*.

§. 10. In *Xyſto* tandem ſuperioris calculi in annis *Alexandri* cum *Imperatorum* annis committendis apparet error. X. enim annis in Pontificatu ſediſſe *Xyſtum* convenit utrobique, ſuffragantibus invicem tam *Hiſtoriæ* quàm *Chronici* Codicibus, ſuffragantibus item *Zonarâ* & *Nicephoro* Hiſtoriæ, & pleriſque *Chronici* Excriptoribus. Habet equidem *Ruſinus XII.* Sed errore *Librarii* manifeſto, ut ex *intervallo* ab eo ipſo ibidem aſſignato conſtat. *Proſper IX.* duntaxat agnoſcit, & quidem à *IV. Hadriani* Coſſ. ad Coſſ. *ejuſdem XIII.* ne tenere numerum illum excidiſſe ſuſpicemur. Accedunt *Proſpero Nicephorus* Patriarcha & *Georgius Syncellus*. *Autorum* hic eſt, non *Librariorum*, error. Nec aliunde natum exiſtimo quàm è vitioſo *Canonis* ſitu, & vitioſâ etiam *Hiſtoriæ* in ſuperiori numero lectione. Cum enim *III. Hadriani* pro *Alexandri* fine accepiſſent; Cum item magno *Codicum* conſenſu *Xyſti* finem in annum ejuſdem *Hadriani XII.* relatum viderent: Jam inde facilè intelligimus quàm fuerit illis proclivis error, ut *novem Xyſti* duntaxat annos ex hoc intervallo colligerent. Vidimus enim in *Lini* annis & correctum à *Proſpero Euſebium*, & è vitioſâ *Hiſtoriæ* diſpoſitione correctum. Sed verò *alienus* à *Canonis* ſitu numerus, quique adeo non poſſet *inde* colligi; vel eo nomine potiùs *Autorum* fidei erit aſſignandus. Et tamen *Hadriani XII. Xyſti* Pontificatum terminat *Hiſtoria*, terminant *Ruſinus* & *Nicephorus*, terminat *Chronici* Editio utraque tam *Scaligerana* quàm *Pontaci*, terminabant *Pontaci* etiam *Codices* tam impreſſi quàm manu etiam exarati, quibus & noſter accedit Codex alter *Oxonienſis*. Nimirum *Canonis* ſitum hoc in loco conſuluerat *Euſebius*. Ita factum ut *biennium* illud hoc in loco reddiderit quod antea *excluſum* diximus. Legebant ſane *XIII. Hadriani* annum tres Codices eorum quibus uſus eſt *Pontacus*, ſuffragante & noſtro melioris notæ Codice *Mertonenſi*, non tamen illi *Proſperum* ſecuti, ſed ut *Xyſti* X. annum

annum abſolverent. A tertio enim *Hadriani* initium ejus arceſſunt. Sed ne ultra annum *Hadriani XII. Xyſti* exitum prorogemus, ſaltem pro rationibus (quas quærimus) *Euſebianis*, ipſe vetat *Euſebius*. Annum enim *unum* ille & *menſes* aliquot à *Xyſti* morte, & *Teleſphori* in *Romanâ* ſede ſucceſſione interceſſiſſe teſtatur ante quàm *Eumenes* ſuccederet *Alexandriæ*. Quis eſt qui non videat *ſecundi* à *Xyſti* morte anni partem ſaltem aliquam per *menſes* illos incertos deſignari ab *Euſebio*? Et verò anno *Hadriani* XIV. ſucceſſiſſe *Alexandriæ Eumenem* vult Euſebius. Retinuerat nimirum in Succeſſionis *Alexandrinæ* ſupputatione ſuperiorem illum *biennii* errorem. Ita factum ut Succeſſio Eumenis *biennio* integro in *anteriora* protruderetur. Ita rursùs ut *Primo* annos plures, quàm oportuit, *duos* aſſignârit. Plures certè *Primi* quàm X. annos non eſſe pro *Euſebii Principiis*, non eſſe, pro *Autorum* calculis, quos ipſe eſt ſecutus *Euſebius*, agnoſcendos, infrà pluribus in Succeſſione *Alexandrinâ* probabimus.

Euſeb. H.E. IV. 5.

CAP. IV.

Faſti Coſſ. *pro* ſecundi tertiique *Cycli intervallis, ex* Proſperi *mente, conſtituti.*

§. 1. *Cycli Annorum* LXXXIV. Chriſtiani *apud* Proſperum *initium ab initio* Judaici *triennio ſejunctum.* §. 2. *Redduntur* ejuſdem *Cycli*, initii *tamen adeo* diverſi, *rationes.* §. 3. *Anni* Imperatorum *in* ſecundo *Cyclo*, *pro mente* Proſperi, *conſtituuntur.* §. 4. *Emendantur etiam, & in* tertio *Cyclo, ex ejuſdem ſententiâ, anni* Imperatorum.

§. 1. HUcuſque *primum* abſolvimus *Proſperi* Cyclum, quem ad *Hadriani* X. pertigiſſe diximus. Videamus porro num & reliqui ejus *Faſti*, qui quidem ad noſtrum inſtitutum attinent, nec *redundantiæ* neć *defectûs* vitio laborent, ſed rectè accurateque pro *Cyclorum* lege, reſpondeant. Sic enim intelligemus, num & *Romanorum Alexandrinorum*que Pontificum *intervalla* pro *Autoris* mente diſponantur. Duplicem autem habet *Proſper* ejuſdem *Cycli* ſeriem alio nimirum atque alio *initio* repetitam diverſoque adeo *fine* terminandam. Alia *Judæorum* erat à III. *Claudii* anno, *Ær. vulg.* XLIII. deducta, & *Sabbaticis* Judæorum annis accommodata, uti jam ſuperiùs oſtendimus. Alia *Chriſtianorum Romanorum*, quibus nulla erat *Sabbaticorum* annorum obſervatio, nec proinde *ratio* ulla quæ poſſet *illos* ad mores *Judæorum* accuratè obſervandos obligare. Quare ut

Judaici

Judaici Cycli initium *tertiis* alligavit *Claudii* Coſſ. ſic cum *ſextis* ejuſdem *Romani* initium atque *Chriſtiani*. Sed verò illud eſt in hoc loco difficile, itane VI. Claudii annus pro *Chriſtiani* Cycli *initio* habendus ſit ut *tertium* ejuſdem annum pro *Judaici* Cycli *initio* habitum oſtendimus? num *primum* ſcilicet Cycli ſui VI. illum *Claudii* annum numerârint *Chriſtiani*, ut *tertium* ejuſdem numerabant *primum* in Cyclo ſuo *Judæi*? An potius pro *ſuperioris* Cycli *ultimo* habuerint, unde novi Cycli initium in *ſequenti* anno eſſet numerandum? Ego Cycli novi *primum* numerandum exiſtimo, ad eundem plane modum quo & *tertius* Claudii *primus* fuerat in Cyclo *Judaico*. Certiſſimam hujus rei probationem à *ſupremi Cycli*, quo ſcripſit Proſper, *initio* petendam arbitror. Hunc enim ille exploratiſſimum habuiſſe cenſendus eſt. Hujus autem Cycli *primum* annum illum numeravit qui *Coſſ.* habuit *Antonium* & *Syagrium* Ær. *vulg.* CCCLXXXII. Detrahantur ex hoc numero *Claudii* anni *VI.* Ær. *vulg.* XLVI. & reliqui per æquales LXXXIV. annorum *Cyclos* dividantur. Ita fiet ut numerum reliquum abſolvant æquales *Cycli*, nullis relictis fractionibus. Quare ut *primum* Cycli V. numeravit annum illum Ær. *vulg.* CCCLXXXII. ſic etiam *Claudii* VI. Chriſti XLVI. *primum* Cycli *primi* numerâſſe neceſſe eſt. Conveniunt etiam laterculi hujus Cycli MSS. quos habemus, cum *feriis* & *diebus Paſchalibus* notis *annorum* omnino certiſſimis, V. ut videtur Sæculo conſarcinati quo *Romanis* illum in uſu fuiſſe è *Paſchaſino* diſcimus.

Convenit etiam, ni fallor, hujus Cycli *ratio* à nemine §. 2.
hactenus (quod quidem ſciam) explicata. In trium enim illorum annorum intervallo quo diſcrepabat à Cyclo *Judaico* Cyclus ille *Romanus*, unus occurrebat *Biſſextus*. Ita factum ut in Cyclo *Romano* quaternis diebus *feriæ* Romanorum Judæorum *feriis* anticiparent, ut qui menſis dies pro Cyclo *Judaico* in *quartam* feriam incidiſſet idem incideret in *feriam* primam pro Cyclo *Romano*. Cæterùm ut annorum *Sabbaticorum* nullam prorsùs rationem habebant

Chri-

Chriſtiani, ita nec *Judæi feriarum*. Novum itaque illud Cycli *Judaici*, & à Cycli Judaici *initio* diverſum, initium *feriæ* causâ inſtitutum ad *Chriſtianorum* potiùs Cyclum eundem *Judaicum* uſurpantium diſſidia ſpectâſſe videtur, quàm *Judæorum* à quibus Cycli illius communis uſus ad *Chriſtianos* emanavit. Conſtat autem à *primo* rerum *exordio* Cyclorum ſuorum *rationes*, & à *Chriſti Paſſione*, deſumpſiſſe antiquiſſimos quos habemus *Paſchalium* Epiſtolarum Autores, & quidem utrobique ad diem *Æquinoctii* accommodâſſe. Id enim exiſtimabant, ita tandem rectè conſtitutos eſſe *Cyclos* ſuos, ſi in eundem *Æquinoctii* & *feriæ* diem concurrerent *novæ veteriſque* Creationis exordia. Inde factum ut *Mundi* Chronologiam ab *initio* uſque repeterent, quo nimirum ita conſtaret recténe illa pro Cyclorum ſuorum retrò numeratis rationibus reſponderent. Nec aliâ fortaſſe, *Proſper* opus hoc, de quo agimus, Chronologicum auctius, quàm *Cycli* ſui, causâ conſcripſit. Erat autem in his omnibus quatuor omnino *feriarum* diſcrepantia. Qui à *Mundi* exordio Cycli ſui cauſam repetendam arbitrati ſunt, in duplici omnino claſſe cenſendi ſunt. Alii à *feriâ quartâ* Solaris Lunariſque *motûs* initia deducebant, quo nimirum die legerant *creata* illa fuiſſe *magna luminaria*. Alii à *primo* potius *Creationis* die numerandum cenſebant quo *lucem* ipſam *creatam* docuerat *Moſes*, quippe ſine quâ nulla eſſe poſſet *diei noctiſque* diſtinctio. Ita nimirum *Hippolytum* correxit Autor Epiſtolæ *Paſchalis* coævus *Cypriano* à Patre *Oxonienſi* Μαχαίτῃ nuper Editus. A *primo* enim Creationis die numerârat *Hippolytus*, à *quarto* Autor Anonymus. Et verò eo magis favebant *primo* diei Primævi Chriſtiani, quòd *lucem* illam *primo* die creatam πρὸ φωτὸς τοῦ νοητοῦ intelligendam cenſuiſſent Helleniſtæ cui arctior eſſet cum Λόγῳ affinitas quàm *Soli* iſti *viſibili*. Favebat rurſus in contrarium quòd *Solaris Lunariſque* motuum *concurrentium*

rentium ratio præſertim haberetur in conſtructione Tabularum *Paſchalium*, qui concurſus à *communi* utriuſque *initio* deducendus erat in IV. omnino Creationis diem referendo. Erat præterea & illis occaſio *quatuor feriarum* intervallo diſſentiendi invicem qui *Cyclorum* Paſchalium normam à *Paſchate* illo, quo *paſſus* eſt Dominus, deſumendam exiſtimarent. Erant enim in Primævâ Eccleſiâ, de *anno* quo paſſus eſſet Dominus, duæ ſententiæ omnino celeberrimæ. Alia eorum qui XV. *Tiberii*, duorumque *Geminorum* Conſulatu crucifixionem Domini conſtituerent. Horum numero noſter erat fortaſſe *Proſper* qui inde *Faſtos* ſuos *Conſulares* orditur *Paſchalis Cycli* uſibus accommodatos, erat ſine dubio *Victorius*. Nec enim alios nomino quàm illos quorum extant hodieque *Faſti* in illum ipſum *uſum* concinnati. Alia erat eorum qui *Euſebium* ſequerentur, Chriſtumque adeo anno inde III. *Tiberii* XVIII. propter *tria* Paſchata à S. *Joanne* memorata, paſſum exiſtimarent. Quod certè intervallum, licèt *trium* eſſet duntaxat *annorum*, quatuor tamen erat *feriarum*. Binas enim ferias ipſè ille Annus *Tiberii* XVIII. Ær. *vulg.* XXXII. cum *Biſſextus* eſſet, jam antea quàm *Paſcha* celebraretur, addiderat. Idem & in Æquinoctio ſtatuendo *quatuor feriarum* diſcrimen occurrebat. Qui enim *Æquinoctium*, pro Anni *Juliani* à *Soſigene* conſtituti formâ, in VIII. Kal. *April.* ſeu *Mart.* XXV. referrent, illis potiùs prior illa *Veterum* ſententia placuit *Euſebio* Antiquiorum. Anno enim *Tiberii* XV. *Geminis* Coſſ. Ær. *vulg.* XXIX. *Cycl.* Solis X. Lit. *Dominic.* B. *Paſcha* προηγούμενον *Paraſceue* peractum in illum ipſum incurrit diem *Martii* XXV. pro *Æquinoctii Romani* legibus accuratiſſimè. Qui verò potiùs *Alexandrinorum* ſententiam in *Æquinoctio* ſequerentur, quæ hodieque obtinet, in XII. Kal. *April.* ſeu *Mart.* XXI. illud conferentium; His poſterior illa ſententia potiùs arriſit *Euſebii*. Anno enim *Tiberii* XVIII. Ær. *vulg.* XXXII. Cycl. *Sol.* XIII. Lit. *Dom.* F E. in *Paraſceuen* incidit illud *Æquinoctium*. Nec aliam puto *Romanis* fuiſſe quo vixit *Proſper* Sæculo rationem

nem cur Cyclum *eundem* à novo tamen *initio* arceſſerent quàm quòd etiam apud ipſos *Romanos* jam obtinuiſſet *Æquinoctium* illud *Alexandrinum*. Firmare id videtur quòd duplicis hujus de anno Chriſti *crucifixi* ſententiæ meminerit ipſe *Proſper*; & ſoleat idem, ubi ſententias invicem diverſas reperiſſet, ambas tamen in *Faſtos* ſuos *Paſchales* referre. Sic enim duplicem de *Lini* Pontificatu ſententiam è *ſitu* duplici natam in Faſtos illum retuliſſe vidimus. Conſtat itaque ex his omnibus diſcrepantium ſententiarum Principiis, diſcrimen hoc ut *quatuor* fuerit *feriarum*, ſic *trium* fuiſſe duntaxat *annorum*; rectèque adeo, & pro mente *Proſperi* novi hujus Cycli *Romani* initium in *ſextis Claudii* Coſſ. eſſe conſtitutum.

§. 3. Age itaque videamus num etiam in *ſecundo Cyclo* Faſtorum *Conſularium* intervalla reſpondeant. Incipiemus autem non a novi Cycli *Romani* initio, ſed à ſuperioris fine *Judaici*. Porro *Euſebianam* etiam *Imperatorum* Chronologiam unà repræſentabimus, tam ex *Hiſtoriâ* & Hiſtoriæ *Interprete* vetuſtiſſimo *Rufino*, quàm etiam è *Chronico*. Inde enim conſtat ſua deſumpſiſſe *Proſperum*, adeoque *Proſperi*, ſiqui fuerint *errores*, ad *Euſebium* eſſe exigendos. Poſt X. itaque, *Hadriani*, eidem tribuit *Hadriano Proſper*.

	Proſp.	*Euſeb.* Hiſt.	*Rufinus.*	*Euſeb.* Chron.
Coſſ. paria	11	11	11	11
Pio	22	22	22	23
Marco 19. per *Coſſ.*	20	19	19	19
Commodo 13. per *Coſſ.*	12	13	13	13
Severo	18	18	18	18
Caracallæ ante *novi Cycli* initium	3	3	3	3
	86	86	86	87

Anni *ſolidi* è *Chronico* potiùs *Euſebii*, quàm ex *Hiſtoriâ*, petendi ſunt, quorum etiam conſtat rationem in *intervallis* præcipuè

præcipuè habendam eſſe. Ita conſtat calculus accuratiſſimè, ut nimirum novus ille Cyclus *Romanus* tertio demum, uti dixi, poſt *Judaicum* anno terminetur. Nec occurrunt in *Pontaci* Codicibus ullæ diſcrepantiæ quæ numeros, quos dedimus, ſuſpectos faciant. Quinetiam ad veræ *Chronologiæ* rationes propiùs accedunt illæ *Chronici Euſebiani* rationes. Si enim An. Ær. *vulg.* CXXVII. quo X. terminatur *Hadriani*, addantur anni LXXXVII, efficient annum Ær. *vulg.* CCXIV. qui *tertium* terminat ſimiliter *Caracallæ*. Deeſt igitur, hoc in intervallo, *Proſpero* annus *unus* omnino ex *Euſebiano Chronico* ſupplendus. Sed & *locum* ipſum, quo ſupplendus eſt, manifeſtum facit prædicta illa, quam dedimus, cum *Euſebiano Chronico* collatio. *Pio* enim *Coſſ.* paria XXII. ſola concedit *Proſper*, cum tamen, pro *Euſebiani Chronici* ſententiâ, XXIII. eſſent tribuenda. Nec enim damnum illud reſarciunt Coſſ. XX. *Marco* perperam aſſignati. Quos enim *Marco* Coſſ. plures, quàm oportuit, adjecit, eoſdem *Commodo* detractos eſſe conſtat. E Cycli certe *initio* & *fine* ſatis liquet *Euſebiani Chronici* intervalla rectè numerâſſe *Proſperum*. Si tamen poſtea *Chronicon* ex *Hiſtoriâ* corrigendum cenſuerit, præſertim in Annis *Imperatorum*, videmus etiam quàm fuerit error ille proclivis. Nec tamen apparet ille, in hodiernâ *Proſperiani Chronici* diſpoſitione, ſi quidem *Pii* ſupremos Coſſ. examinemus. Et tamen illud apparet, *vacuum* eſſe in fine *Pii* locum novis *Coſſ.* inſititiiſque ſupplendum. Sic enim reſpondent Epiſcoporum intervalla qui ſupremis *Pii* annis ita ſucceſſerunt ut ad *Marci* etiam tempora pervenerint, quaſi deeſſent in *Pii* fine *Coſſ.* XVII. *Pii* Coſſ. *Celadionis Alexandrini* Succeſſionem apponit *Proſper*, *Agrippivi* rurſus in eâdem *Alexandrinâ* ſede Succeſſionem VI. idem *Marci* Coſſ. aſſignat. *Celadioni* annos XII. utrobique tribuit *Euſebius* tam in *Hiſtoriâ* quàm etiam in *Chronico*. Non aliter hoc in loco reſpondet ſpatium quàm ſi *Pio* XXIII. Coſſ. attribuantur. Idem rurſus *Aniceti* Succeſſionem *Romanam* in Coſſ. *Pii* contulit XX. mortem in Coſſ. *Marci*

VIII. Atqui X. *Aniceti* annos duntaxat agnoſcit hodiernus *Proſper.* Quòd ſi illum ex *Euſebio* emendemus, & *Aniceti* annos XI. cum *Hiſtoriâ Euſebii*, & pleriſque *Chronici* Codicibus numeremus; Ita rurſus hoc etiam in loco conſtabit deeſſe *Pio* XXIII. illos quos dixi, Coſſ. Et tamen quinam *Proſpero* Coſſ. reſtituendi ſint, divinari non poſſumus. Si Faſtos *Proſperi* vitioſiſſimos cum *Victorii* Faſtis atque *Caſſiodori* componamus ex eodem lutoſo fonte deductis, nullos reperiemus additicios qui locum illum vacuum poſſint commodè ſupplere. Sed ne quidem è *veris* Faſtis ullum ſuppetit auxilium ſi ab illis *Coſſ.* fiat ſupputatio quos pro *Pii* XVII. habet ipſe *Proſper* ad illos uſque *Coſſ.* quos idem *Marci* numerat octavos. Addit quidem ille ſuppoſititium *Antonini* III. & *Aurelii* III. *Poſtconſulatum*, cui veri Faſti refragantur. Nullos omiſit aliunde inſerendos. *Proſpero* igitur ipſi hunc errorem tribuendum cenſeo potiùs quàm *Librario.* Qui certè *Proſperi* Faſtos à paucis annis poſtea quàm ab ipſo *Proſpero* ederentur excripſit *Victorius* primos *Proſpero Marci* Coſſ. *duos Auguſtos* uno loco citiùs quàm oportuit ſitos reperit, ut manifeſtò conſtabit ſi quis veros Faſtos cum illis contendat in Editione *Bucherianâ.* Nullos tamen in ſpatio univerſo defuiſſe inde colligimus quòd primos horum Faſtorum *Coſſ.* duos *Geminos* uno rurſus loco priùs quàm in veris Faſtis numerarentur, idem rurſus recenſuerit *Victorius.* Non eſt tamen operæ pretium inveſtigare ubi Coſſ. *Pio* detractos alibi *Proſper* inſeruerit, cum nullum faciant alibi inſerti diſcrimen in deſignandis *Pontificum* intervallis. Supremos verò *Marci* Coſſ. *Commodo* potiùs, pro mente *Proſperi*, aſſignandos inde colligimus, quòd quæ ad VIII. *Commodi* Coſſ. appoſuit *Proſper*, eadem anno *Commodi* IX. aſſignata reperiamus in *Chronico Euſebiano.*

§. 4 Supereſt jam ut & *tertii Cycli* Faſtos, pro mente *Proſperi*, conſtituamus. Utemur autem eâdem, quâ in ſuperiori Cyclo, methodo, ut *Proſperum* nimirum ad *Euſebium* exigamus. A *tertio* itaque illum *Caracallæ* anno ſic inchoat

choat *Prosper* ut *finem* ponat in XIII. Coss. *Diocletiani*, sitque adeo ob oculos repræsentandus. Post tertios *Caracallæ* Coss. addit

	Prosp.	Euseb. *Hist.*	*Rufin.*	Euseb. *Chron.*
Præterea *Coss.* paria	3	4	4	4
Macrini	1	1	1	1
Elagabali	4	4	4	4
Alexandri	12	13	13	13
Maximini	3	3	3	3
Gordiani	6	6	6	6
Philippi	6	7	7	7
Decii	2	2	2	1
Galli	2	2	2	2
Gallieni	14	15	15	15
Claudii	2	2	2	2
Aureliani	5	6	6	6
Probi	6	6	6	6
Cari cum *filiis*	2	3	2	2
Diocletiani	13	13	13	13
	81	87	86	85

Videmus hoc in loco deesse *Prospero* tria Coss. paria ad justam *Cycli* sui mensuram, & reliquis omnibus *redundare* annos aliquot in annorum utique *solidorum*, (quos solos quærimus) censum neutiquam recipiendos. Quare & illis *detrahendi*, & Prospero *addendi* qui *Cycli* numerum accuratè consumment. Anni *Prospero* addendi sic habent: Unus *Caracallæ*, alius *Alexandri*, tertius *Gallieni*, quartus *Aureliani*, si quidem annos *solidos* numeremus, & *Taciti* atque *Floriani* tempora *Aureliano* accensemus, qui ipsi annum *solidum* non *solis*, sed cum *Aureliani* temporibus accensiti, absolverunt. Detrahendum viceversâ *Philippi* annum *unum* infra probabimus. *Chronicon Eusebianum* si quis velit, pro *Eusebii* mente, constituere, detrahendi imprimis *Philippi* anni *duo*, & *Decio* annus *unus* addendus. Sic numeri utrobique constabunt. Inde etiam liquet quo pacto sit in reliquorum emendatione procedendum. Quæ

quidem emendationes ob oculos habendæ ſunt, non modò in *Pontificum* annis, quod agimus, exæquandis, verumetiam ſi quis velit res *geſtas*, à *Proſpero* ex *Euſebio* acceptas, *Euſebiano Chronico* accommodare.

CAP. V.

Succeſſio Romanæ *Eccleſiæ* Euſebiana *à* Xyſto *ad finem* Fabiani.

§. 1. *Tenuit ſedem* Romanam Teleſphorus, *pro Principiis* Euſebii, *à* XII. Hadriani *ad* I. Pii. §. 2. Hyginus *à* I. Pii *ad* V. §. 3. Pius *Pontifex à* V. Pii *Imperatoris ad* XX. §. 4. Anicetus *à* XX. Pii *ad* VIII. Marci. §. 5. Soter *à* Marci VIII. *ad* XVI. §. 6. Eleutherus *à* Marci XVI. *ad* Commodi XII. §. 7. Victor *à* XII. Commodi *ad* IX. Severi. §. 8. Zephyrinus *à* IX. Severi *ad* I. Elagabali. §. 9. Calliſtus *à primo* Elagabali *ad* II. Alexandri. §. 10. Urbanus *à* II. *ad* X. *ejuſdem* Alexandri. §. 11. Pontianus *à* X. Alexandri *ad* II. Maximini. §. 12. Anteros *menſe uno*. §. 13. Fabianus *à Secundo* Maximini *ad* I. Decii. §. 14. Philippi *anni* V. *duntaxat numerandi ſunt, pro verâ ſententiâ* Euſebii. §. 15. Certus *hic eſt hujus Succeſſionis* terminus *in* I. Decii, *tam pro verâ* Hiſtoriâ, *quàm pro ſententiâ* Euſebi.

Euſebii. §. 16. *Annos* Pontificum, *è* Teſtimoniis; *annos* Imperatorum, *quibus jungendi eſſent Pontifices*, *è* conjecturis, *didicit* Euſebius. §. 17. *Temporum* minutias *nullas*, *in hâc Pontificum* Succeſſione, *exploratas habuit* Euſebius.

§. 1. *Xſtum* in Pontificum Catalogo ſequitur *Teleſphorus*. Hujus annos XI. utrobique agnoſcit *Euſebius*. Sic illum vertit in *Hiſtoriâ Rufinus*, ſic deſcripſere *Nicephorus Calliſtus* & *Zonaras*. Sic *Chronici* exemplaria omnia tam *MSS.* quàm *Edita*, quibus & noſtri quoque accedunt Codices *Oxonienſes*. Sic etiam *Chronici* vetuſtiſſimus Excriptor *Proſper* in ſummâ *generali* quæ non ita facilè ſolet imponere Librariis. In *Imperatorum* annis quibus hi *Teleſphori* anni attribuendi ſunt, non item ita conveniunt, qui proinde rectiùs ex annis *Teleſphori*, quàm ex *illis* viceverſâ anni *Teleſphori*, erunt corrigendi. Nos illis potiùs aſſentire diximus qui XII. *Hadriani* inchoarent. Tenuit *Hadrianus* Imperium pro *Euſebii* ſententiâ, tam in Chronico quàm in Hiſtoriâ, annis XXI. Sic annus *Teleſphori* XI. in II. *Pii* incurrerit. Rectè nimirum pro Editione *Chronici* Scaligeranâ, rectè pro *Editorum* lectione, & unius MS. *Pontaci*, quibus ſuffragatur *Albertus*. *Primo* tamen *Pii* anno *Teleſphori* tempora terminat *Hiſtoria*; Primo *Nicephorus* & *Zonaras*; Primo *Chronici Euſebiani* Codices quamplurimi eorum quibus uſus eſt *Pontacus*; Primo *Contractus*, quibus & noſtri quoque ſuffragantur Codices *Oxonienſes*. Nec alium certè numerum patiuntur numeri ſequentes. Non itaque *Librario*, ſed *Euſebio* potiùs ipſi erit illa tribuenda diſpoſitio. Num autem in *ſumma generali*, an potiùs in *diſpoſitione* peccârit *Euſebius*, de eo infrà opportuniùs erit diſſerendum. X. interim duntaxat ejus annos in *Tabulis*, pro *Euſebii* mente, repræſentandos duximus.

Hygino

§. 2. *Hygino* neſcio quo errore *Scaliger* in ſuo *Chronici Euſebiani* Textu VIII. annos aſſignat. Sed errore ſatis manifeſto. *Pii* enim introitum poſt III. annum ponit. Id quoque nimis parcè IV. enim annos illi tribuit *Hiſtoria*, ejuſdem *Lectionem* hodiernam confirmante *Rufino*, confirmantibus *Zonara* atque *Nicephoro Calliſto*; tribuere Chronici *Editiones Codiceſque* quibus uſus eſt *Pontacus*; tribuit ejuſdem *Chronici* deſcriptor antiquiſſimus *Proſper*; tribuunt denique *Codices* etiam *Oxonienſes*, ut proinde dubitandum non ſit quin ita ſcripſerit *Euſebius*. Sequentes enim numeri auctiori illi numero locum prorſus nullum in ipſius Canonis diſpoſitione relinquunt. Adeo tamen hic *Imperatorum* annos contraxere *Librarii*, ut IV. illum *Pii* anno deceſſiſſe velint Codices nonnulli *Pontaci*, V. reliqui omnes tam *Scaligeri* quàm *Pontaci*, Editioneſque atque Excriptores, cum noſtris quoque Codicibus *Oxonienſibus*. Ita nimirum in anno *Teleſphori* prætermittendo ſibi conſtat *Euſebius*.

§. 3. Par etiam eſt in *Pio* Codicum conſenſus, quod quidem ad *ipſius annos* attinet; error autem immanior in *annis Imperatoris*. Anni ejus XV. numerantur in *Hiſtoriâ*, & Hiſtoriæ Interprete *Rufino* atque *Excriptore Zonarâ*. Totidem etiam leguntur in pleriſque *Chronici* Codicibus tam *Editis* quàm *MSS.* cum Codice etiam *Mertonenſi*. Unus illi X. annos duntaxat aſſignat, ſed ſolus ille, & deterioris notæ, Codex *Oxonienſis*. Correxit tamen, ut videtur, ille *Pontificis* annos ex annis *Imperatoris*, quod factum non oportuit. Initium à V. *Pii Imperatoris* anno jam deduxi-
Euſ. H.E. IV. 11. mus. Quod inde etiam, pro *Euſebii* mente, colligimus, quòd eodem tempore *Romæ Pium* ſucceſſiſſe teſtetur in *Hiſtoriâ* quo & *Marcus* ſucceſſerit *Alexandriæ*. Variant quidem in illâ quoque *Marci* ſucceſſione *Chronici* Codices. V. tamen *Pii* anno illam tribuendam in *Alexandrinâ* Succeſſione oſtendemus. Suffragatur etiam (quod maximi faciendum) *ſeries* ipſa Succeſſionis illius univerſæ, ut infrà conſtabit. Nondum itaque ab *Euſebii* Hypotheſibus alienum

num quippiam admiſimus. In fine pugnant turſus exemplaria. XVI. *Imperatoris* Pii anno Pii *Pontificis* exitum adſcribit *Chronici* Editio *Scaligerana*, adſcribunt multi *Pontaci* Codices cum noſtro quoque *Mertonenſi*. Quaſi nimirum nullus prorſus inſerendus eſſet *Hyginus*. Alii XVII. Nonnulli etiam XVIII. Longe tamen veraciores illi qui XX. volunt, nec *numero* illi, nec *ætate*, inferiores, quibus etiam conſentit *Proſper*, conſentiunt *Contractus* atque *Nicephorus*.

Aniceto annos XI. tribuit *Hiſtoria*, confirmantibus *lectionem* tam *Ruffino* quàm *Nicephoro*, ſuffragantibus etiam pleriſque *Chronici* Codicibus, ſuffragante etiam, ut vidimus, *Proſpero*, ſi tamen *Pio* annus ille XXIII. adjiciatur qui pro *Cycli*, quem ſecutus eſt, rationibus erat neceſſariò addendus. Convenit etiam *intervallum Chronici* in annis *Imperatorum*, ſi quidem à *Pii* XX. inchoetur ſupputatio. VII. quidem *Marci* anno Pontificatum *Aniceti* terminat Codex unicus *Mertonenſis*. VIII. alii omnes quos habuit *Pontacus*, quibus accedit Editio *Scaligerana*, & Codex *Oxonienſis* alius, & ipſe etiam *Euſebius* in *Hiſtoriâ*. Inde facilè colligitur rectiùs habere plures illos Codices qui XI. annos *Aniceto* magno conſenſu largiuntur. Et quidem VIII. *Marci* anno ſucceſſionem *Soteris* ab *Euſebio* conſtitutam eſſe exinde etiam colligimus, quòd *Romæ* eodem tempore illum *Aniceto* ſucceſſiſſe ſcribat quo *Alexandriæ Celadioni* ſucceſſerit *Agrippinus*. *Agrippinum* autem ſucceſſiſſe monet ἐλαυνούσης ὡς ὄγδοον τῆς Δηλιμήνης ἡγεμονίας. VIII. itaque *Marci* annum *Anicetus* egredi non potuit ſi quidem eodem tempore, quo *Agrippinus*, *Soter* etiam ſucceſſerit. Eundem nimirum *Marci* numeravit utrobique annum, quanquam vitioſis *Hiſtoriæ* in Succeſſione *Alexandrinâ* calculis, ut infrà oſtendemus. Numeravit itaque à XX. *Pii* anno *Euſebius* annos *Aniceti*. Ita intelligimus omnes hoſce à *Teleſphori* anno prætermiſſo errores adeo ſibi invicem conſentaneos, utcunque ejus hypotheſibus adverſiſſimos, non utique *Librariis*, ſed *Euſebio* potiùs ipſi eſſe tribuendos. §. 4

Soteri

§. 5. *Soteri* VII. duntaxat annos concedit Editio *Chronici* Scaligerana. Sunt qui etiam VIIII. *Marian.* ſcilicet & *Albert.* cum Codice recentiori *Oxonienſi*. Errore nimirum in *Romanis* numerorum notis longe facillimo. XIIII. alii, errore, ut videtur, numeri X. pro V. Sed VIII. Codices *Pontaci* omnes, quibus etiam ſuffragatur *Proſper*, & noſter melior *Mertonenſis*, & verbis luculentiſſimis ſuffragatur *Hiſtoria*. E IX. *Marci* verè (inſito nimirum anno *Teleſphori*) illos inchoandos diximus in XVII. ejuſdem proinde deſituros. Et quidem hîc quaſi è veterno quodam evigilaſſe videtur *Euſebius*, reſtituto hypotheſibus ſuis anno quem antea detraxerat. XVII. enim ipſe agnoſcit in *Hiſtoriâ*, agnoſcunt etiam ex *Hiſtoriæ* fide *Rufinus* & *Nicephorus*; quin & in *Chronico* agnoſcunt multi *Pontaci* Codices cum noſtro quoque *Mertonenſi*. Favet etiam *Proſper*, omiſſo licèt *Eleuthero*, ſi tamen *ſpatium* numeremus ab initio *Soteris* VIII. *Marci* Coſſ. ad initium ſub *Pertinace Victoris*. Sunt & alii tamen qui XVI. reponant, tam *Editus* ille à *Scaligero*, quàm & alii apud *Pontacum* MSS. Et quidem vereor ne pro *Euſebii* mente hi potiùs audiendi ſint. Necdum enim errorem depoſuiſſe è ſequentibus conſtabit *Euſebium*.

§. 6. In *Eleutheri* temporibus antiquum obtinent Codices *Euſebiani* invicem diverſiſſimi. XIII. illi duntaxat annos concedit *Hiſtoria*, & qui *Hiſtoriam* ſequuntur *Rufinus* & *Nicephorus*. XV. *Chronici* Codices, ut puto, omnes cum noſtro quoque *Mertonenſi*. Poſteriorem numerum vero propiorem exiſtimo, ſi quidem *rem* ſpectemus ipſam, aut Principia *Euſebii*; priorem tamen, ſi ejuſdem mentem in *Hiſtoriâ* atque ſententiam. Novum enim, hoc in loco, è novâ obſervatione *Hiſtoricâ* admiſit errorem. Nimirum anno *Commodi* X. *Victoris* initium ponit *Hiſtoria*, ponunt Hiſtoriæ Excriptores *Zonaras* & *Nicephorus*. Annum *Commodi* neſcio quo prætermiſerit errore *Rufinus*. Non alium tamen ab *Euſebio* deſignatum annum quàm *Commodi* X. exinde liquet quod eodem tempore dicat *Alex-*

Euſeb. H. E. V. 22.

Alexandriæ ſucceſſiſſe *Demetrium*. Verba enim ὃν ᾧ ad præcedentia verba referenda videntur Διμήτρ γε μὲν Κομόδ ἔτ. Sed IX. *Commodi* anno ſucceſſiſſe *Demetrium* poſtulant omnino Succeſſionis *Alexandrinæ* rationes, ſuffragantibus etiam pleriſque *Pontaci* MSS. Sic convenient verba ὃν ᾧ non cum ἔτ quod præceſſerat, ſed cum χρόν, vel id genus verbo aliquo laxioris ſignificationis, quod ſubintelligitur, ut nimirum id voluerit *Euſebius*, non quidem eodem *anno*, ſed ſpatio *temporis* non admodum remoto, ſucceſſiſſe *Romæ Victorem*, & *Demetrium Alexandriæ*; in animo tamen præcipuè *annum* habuerit quo *Romæ* ſucceſſiſſe oportuerit *Victorem*, ſi quidem illi anni XII. tribuendi eſſent, quod quidem illi tribuendos ex *Autore* ſuo accuratiùs conſulto didicerat. A IX. enim *Severi* anno XII. annos ſi retrorſum numeres, ab illo incipient, quem dixi, *Commodi* X. Incipient iidem ab anno *Commodi* IX. pro eorum calculis, qui *menſium* nullâ habitâ ratione, *Commodi* annos *ſolidos* XII. duntaxat agnoſcerent. Fieri ſatis facilè potuit ut id genus error in anno *Imperatoris*, novum *Euſebio* in *Pontificis* annis pepererit errorem. Ita factum ut XIII. annos *Eleuthero* tribuerit, cum tamen pro illius calculis XII. duntaxat his terminis circumſcripto reverà conveniant. Annos *mutilos* apud *Euſebium*, in *Romanorum* Pontificum Succeſſione, nullos agnoſcimus, cui nullas videmus ex Autorum fide memoratas unquam annorum fuiſſe minutias. Rurſus itaque à *Marci* XVI. quò ſuperioribus erroribus conſtaret, initium ſupputandi deduxit. Ita nimirum *Eleuthero* XIII. duntaxat anni aſſignabuntur ſi annum *Commodi* X. non fuiſſet egreſſus; ſed XV. ſi ad annum ejuſdem XII. pertigerit. Quanquam autem novos *Autores* nullos in Hiſtoriâ ob oculos habuerit *Euſebius*, quod quidem ad *Pontificum* annos attineret, habuit tamen de rebus *geſtis*. Nempe in *Conciliis*, ni fallor, de *Paſchate* habitis, non modò *Victoris* nomen, ſed annum etiam *Commodi* X. notatum invenerat. Inde didicerat hoc anno

non *Eleutherum*, ſed *Victorem* in ſede conſtitutum eſſe. Nec tamen de *annis* quibus ſedem tenuerit *Eleutherus*, novos illi in *Hiſtoriâ* fuiſſe *teſtes* vel illud oſtendit, quòd & eoſdem numeros *Succeſſoribus* in *Hiſtoriâ* tribuerit, quos in *Chronico* tribuerat; & iiſdem etiam *Imperatorum* annis plerunque aſſignârit. Ad eundem plane modum *Perſecutionem* ſub *Marco* quam rectè *Marci* anno VII. aſſignaverat, in *Hiſtoriâ* ad annum *Marci* diſtulit XVII. quòd & *Eleutheri* mentionem in eâ obſervavit, nec verò ante annum illius XVII. pro ſuis hypotheſibus ſucceſſiſſe potuerit *Eleutherus*. Sed verò annos XV. pro *Euſebii* Principiis, *Eleuthero* eſſe concedendos, & *Commodi* potiùs XII. quàm X. exinde colligimus, quòd numerum illum repræſentent Codices *Chronici* hodierni cum pleriq; noſtro quoq; *Mertonenſi*. XXV. nonnulli *Pontaci* Codices, in quo tamen veri numeri XV. veſtigia comparent. Convenit etiam quòd *Victori* X. annos duntaxat etiam in *Hiſtoria* tribuat *Euſebius*, etiam in *Chronico* legerit ejuſdem *Interpres* vetuſtiſſimus *Hieronymus*; quòd *ſub Severo* illum *rexiſſe Eccleſiam* idem tradat *Hieronymus*, & quidem ad annum *Severi* IX. teſte etiam ipſo in *Hiſtoriâ Euſebio*, qui retrò numerati ad annum illum, quem dixi, *Commodi* penultimum pertingent. Nec multùm diſcrepant in fine *Eleutheri* Chronici Codices hodierni qui illum tribuunt *Commodi* XIII. aut I. *Pertinacis* aut *Severi*. Eundem prorſus annum tres illæ notæ deſignant. In eo tantùm diverſum ſentiunt quòd annos *Eleutheri* à *Marci* XVII. inceperint. Sed non viderunt ita annos *Victoris* X. conſtare non poſſe *Severi* IX. finiendos, ſed nec *aliorum* omnium Pontificum annos *Victore* recentiorum. Vidit itaque hoc in loco errorem ſuum *Euſebius Eleutheri Victoriſque* tempora pluſquam oportuit deprimentem, ut tamen emendari poſſit illud plane non vidit, adeoque negligendum cenſuit, eamque quam in *Chronico* dederat ſupputationem adhuc omnino retinendam. Illud etiam conſtat prætermiſſum ſuprà *Teleſphori* annum XI. ſic illum oblitum eſſe ut nullum prorſus

Hieronym. Script. Eccl. Victor.

locum

locum habere poſſit in ejuſdem rationibus. Ita enim conveniunt in ſequentium Pontificum ad *Fabianum* uſque temporibus tam *Hiſtoria* quàm *Chronicon*; Ita ſeſe invicem excipiunt nectúntque invicem tempora Pontificibus aſſignata: ut *locus* plane nullus ſupervacuus appareat cui inſeri poſſit annus iſte prætermiſſus.

Victori X. duntaxat annos aſcribunt hodierni, quotquot habemus, *Euſebii* Codices, tam in *Chronico* quàm in *Hiſtoriâ*. Aſcribunt etiam utriuſque Operis fere quotquot habemus Excriptores, Hiſtoriæ *Ruſinus*, *Zonaras* & *Nicephorus*; Chronici *Hieronymus*, multique alii, cum noſtris quoque Codicibus *Oxonienſibus*. Eidem annos XII. aſſignant *Syncellus* & *Nicephorus* Patriarcha, quin & antiquior utroque *Proſper*, propiorque temporibus *Euſebianis*. Numeraverant nimirum illi, cum *Euſebio* in *Hiſtoriâ*, à X. *Commodi* ad IX. *Severi*. Id verò quantùm aberat ab *Euſebii*, etiam in *Hiſtoriâ*, calculis modò admonuimus. Sic enim detrahendum erit *biennium* iſtud ſeu *Eleuthero*, ſeu *Zephyrino*, quorum neutrum patiuntur, in *Hiſtoriâ* quoque, traditæ rationes. Et quidem apud *Proſperum* manifeſtus eſt error in temporibus *Zephyrini* apud illum mutilatiſſimis. Sunt quidem qui ad annum *Severi* XI. apponant exitum *Victoris*, in quibus & noſter Codex *Mertonenſis*. Hi biennium illud *Zephyrino* detrahendum exiſtimabant. VIII. ponunt *Editi* cum *Mariano*. Id quoque etiam pro VIIII. errore facillimo. §. 7.

Zephyrino XVIII. annos ὅλους aſſignat *Hiſtoria*. Conveniunt etiam plerique *Chronici* Codices, cum Excriptoribus *Contracto Albertoque*. Conveniunt & alii etiam ab *Euſebio* Autores. Malè itaque XVII. duntaxat, *Editi*, à *Marci*, ut videtur, XVII. *Eleutheri*, & à *Commodi* XIII. *Victoris* tempora numerantes. Sed verò illam ſententiam, ut ſit *Euſebianis Principiis* conformior, *calculis* tamen ejuſdem minùs conſentaneam oſtendimus. Qui autem XX. repoſuerit, unicum reperit ſolumque *Pontacus*, qui quidem §. 8.

biennium illud *Victoris* ſupervacuum *Eleutherо* detractum, adjecit *Zephyrino*. Peſſimè verò omnium hoc in loco *Proſper* qui XIV. *Zephyrini* duntaxat annos agnoſcit, quod quidem peperere ejuſdem in ſuperioribus vitioſiſſimæ rationes. Confirmat numerum ipſum intervallum, ſi quidem ab anno *Severi* IX. initium ejus arceſſamus. Superſunt enim *Severi* anni IX. pro calculis *Euſebii*. His ſi adjicias annos *Caracallæ* VII. *Macrini* unicum; ſic deſinet in I. *Elagabali* annus *Zephyrini* XVIII. Ipſum autem illum annum *Elagabali Zephyrini* ultimum recenſet *Hiſtoria*. Confirmat *Hiſtoriæ* lectionem *Rufinus*. Confirmat & *Chronici* Excriptor antiquiſſimus *Proſper* qui *Calliſti* Succeſſionem primis tribuit *Elagabali* Coſſ. Confirmat & recentior ejuſdem *Chronici* Excriptor *Albertus*, ſuffragante etiam ſequentium Pontificum Succeſſione. Nondum igitur à calculis *Euſebii* aberravimus. Magnum tamen fateor *Chronici* Codicum fuiſſe conſenſum, tam *Scaligerani* quàm etiam *Pontaci*, II. potiùs *Elagabali* anno *Zephyrini* obitum aſſignantium, quibus & noſtri etiam conſentiunt *Oxonienſes*. Redibat nimirum rurſus in rationes Excriptorum annus *Teleſphori* ab *Euſebio* prætermiſſus. Sed verò de *Euſebiani Chronici* lectione antiquiſſimâ teſtis eſt *Proſper* hodiernis Codicibus antiquior. Vix itaque eſt cur dubitemus quin ita ſcripſerit primitùs *Euſebius*.

§. 9. *Calliſto* anni V. utrobique aſſignantur, tam in *Hiſtoriâ* quàm etiam in *Chronico*, conſentientibus & noſtris quoque *Chronici* Codicibus *Oxonienſibus*. Hi à I. *Elagabali* ſupputati in II. deſinent *Alexandri*. IV. enim in univerſum annos ſolidos *Elagabalo* aſſignat *Canon*. Idem initium *Calliſti* eundemque finem agnoſcit etiam *Proſper*, proinde errore manifeſto VI. tamen annis eidem aſſignatis. Sic etiam *Chronicon* excripſere *Contractus* & *Albertus*. III. tamen *Alexandri* anno conſignant Codices *Pontaci* plerique obitum *Calliſti*, quibus & noſtri accedunt *Oxonienſes*, à II. viz. *Elagabali* numerantes. IV. etiam ipſe *Pontacus*. Sed reſragantibus Succeſſorum intervallis.

Urbano

Urbano annos VIII. tribuit *Hiſtoria*, IX. *Chronicon*, & quidem conſentientibus utrobique Codicibus. *Hiſtoriæ* lectionem firmat *Ruſinus*. *Chronici* lectionem Exemplaria hodierna omnia tam *Scaligerana* quàm *Pontaci*, cum noſtris etiam *Oxonienſibus*. Firmat etiam *Proſper*, & quidem reſpondente *Faſtorum* intervallo à II. nimirum *Alexandri* Coſſ. ad ejuſdem Coſſ. XI. Adeo vetuſti ſunt *Euſebianorum* Codicum errores. Rectiùs enim habet *Hiſtoria*. Deſinunt nimirum illi à II. *Alexandri* anno inchoati in ejuſdem X. Et quidem ita pro mente *Euſebii*. Eo enim tempore ait *Euſebius* ſucceſſiſſe *Pontianum* quo per *Cæſaream* in *Græciam* profectus eſt *Origenes*; eo (inquam) quo *Cæſareæ* Presbyter ordinatus eſt ἐπὶ τοῦ τῇδε (inquit) θεσπεσίου, *Theoctiſto* nimirum *Cæſarienſi* & *Alexandro Hieroſolymitano* Epiſcopis, *Hiſt. Eccl.* VI. 23. quod X. *Alexandri* contigiſſe idem agnoſcit, ib. c. 26. quod X. etiam *Alexandri* aſſignavit Excriptor Chronici *Marianus*. Quare audiendi non ſunt Codices illi *Chronici* qui vel XI. ejuſdem *Alexandri*, vel XII. eandem illam Ordinationem aſcribunt, ne quidem audiendus ipſe *Proſper* qui XI. Ne quidem audiendi *Euſebianæ* etiam *Hiſtoriæ* Codices *MSS.* quos duos refert *Valeſius*, qui *Ordinationem* de quâ loquimur, *Expeditionemque Origenis* XII. *Alexandri* anno adſcribunt, ſuffragante etiam Hiſtoriæ Excriptore *Nicephoro Calliſto*. Confirmat præterea quæ diximus, quòd, poſt illam Ordinationem *mortem Demetrii* ὅσα ὑπὸ μακρὸν conſecutam eſſe idem tradat *Euſebius*, celebratis tamen antea, de illâ Ordinatione, duabus in *Origenem* Synodis. Satis hinc nimirum veriſimilis apparet occaſio cur anno *Alexandri* X. *Chriſti* nimirum, pro *Euſebiano* annorum ſolidorum calculo, CCXXXII. Succeſſionem *Pontiani* aſſignârit *Euſebius*. Malè nimirum ille. Sic enim factum ut ad III. uſque *Maximini Thracis* annum differretur Martyrium *Pontiani*. Sed *tertii* anni partem aliquam ut concedamus *Maximino*, *Romæ* tamen nullum ejus fuiſſe Imperium alibi oſtendimus, Diſſ. Cypr. nec. §. 10.

nec ullos adeo *Romæ* Martyres facere potuiſſe, quin tertii potiùs anni partem maximam è *Pupieni* & *Balbini* temporibus *Maximino* accenſitam eſſe. Sic rurſus factum ut annus unus detraheretur *Fabiano* cui XIII. duntaxat annos perperam attribuit *Euſebius*. Malè nimirum ille annum *Alexandri* X. cum ſui calculi X. confudit. Incidit enim X. *Alexandri* anni pars multò maxima in annum ſuperiorem Ær. *vulg.* CCXXXI. Malè rursùs *Demetrii* finem in ſui calculi X. retulerat qui erat potiùs in ſuperiorem CCXXXI. reverâ conferendus, ut in Succeſſione *Alexandrinâ* infrà probabimus. Malè prætereà *Pontiani* initium eidem anno tribuit quo Expeditionem illam ſuſceperit *Origenes*, quo & mortuus fuerit *Demetrius*. Vivo certè *Demetrio* profectus eſt in *Græciam Origenes*. Et cum profectione illâ conjunctam legerat mentionem *Pontiani* Romani & *Zebini* Antiocheni. Inde rectè collegit *Euſebius* illis Pontificatum gerentibus iter illud ab *Origene* fuiſſe ſuſceptum. Sed *nuper* illos Pontificatus iniiſſe, vel eodem ſaltem *anno*, recténe collegerit, illud ſane non conſtat. Utcunque tamen cum *Euſebio* ipſi hos errores imputandos eſſe conſtet, proinde non eſt dubitandum quin numeros ſaltem *Euſebianos*, hoc in loco, rectè repræſentaverimus. Fieri quidem poteſt ut ante X. *Alexandri* annum *Demetrio* ſucceſſerit *Heraclas*. Recentiorem ejuſdem Succeſſionem excludunt tempora Succeſſoribus aſſignanda. Rectè itaque *Chronicon* Euſebianum excripſit *Contractus* qui X. anno ſucceſſionem illam tribuit *Pontiani*. XII. tribuunt Codices *Pontaciani* plerique cum noſtris etiam *Oxonienſibus*. XIII. Codices & numero & Autoritate inferiores. Peſſimè verò omnium *Zonaras* qui diſtulit ad I. etiam *Maximini*.

§. 12. In *Pontiano* diſcrepant rurſus invicem Codices *Euſebiani*. VI. annos tribuit *Hiſtoria*, IX. Codex recentior *Oxonienſis*. Rectiùs V. alii plerique *Chronici* Codices, quibus ſuffragatur *Proſper*, tam in numero quàm etiam in intervallo ſibi conſentientiſſimus, & noſter quoque *Mertonenſis*. Sic in

in II. deſierit *Maximini*. XIII. enim ſolidos annos *Alexandro* in univerſum aſſignat Canon. Malè Codices *Chronici* alii qui III. potiùs *Maximini* anno, aut qui I. *Gordiani* terminant, quanquam in hunc poſteriorem cenſum veniant, non noſter modò *Mertonenſis*, cum Codice *Scaligerano*, ſed & *Proſper* Chronici ejuſdem Excriptor antiquiſſimus.

Anteroti menſem unicum utrobique concedit *Euſebius*, §. 12.
qui certè *Euſebio* per *annos* ſolidos numeranti annum mutare non poteſt. Malè rursùs illum cum III. *Maximini* conjungunt nonnulli, cum I. *Gordiani Proſper* & plerique Chronici Codices cum noſtris *Oxonienſibus*.

Fabiano annos XIII. aſcribit *Chronicon* inſigni exemplarium conſenſu. Sic enim reperit in ſui ævi Codicibus §. 13.
Proſper tam in numero ſibi, quàm etiam in intervallo conſentaneus. Sic & in ſuis *Scaliger* atque *Pontacus*, quibus & noſtri quoque ſuffragantur *Oxonienſes*. Quot annis tenuerit nullibi meminit *Hiſtoria*. Quo autem *anno* deceſſerit errant plerique *Codices* hodierni. I. *Galli* & *Voluſiani* tribuunt ejus *Martyrium* non modò Codices *Pontaci*, ſed & *Oxonienſes*, ſed & illi antiquiſſimi unde ſua hauſit *Proſper*. Atqui certum eſt non modò paſſum eſſe ſub *Decio Fabianum*, verumetiam ita ſenſiſſe pariter *Euſebium*. Tradit ille *Euſeb.* H.E. VI.
verbis diſertiſſimis *Decium* τῷ περὶ Φίλιππον ἔχθρας ἔπεσε 19.
διωγμὸν κατ' τῆς ἐκκλησίας intuliſſe, ὃν ᾧ (inquit) Φασιανὸς
ἐπὶ Ῥώμης μαρτυρίῳ πλανᾶται Κορνήλιος τὸν ὀπισκοπικὸν
ἀγῶνα ἀγωνίζεται. Satis inde manifeſtum eſt (quod eſt etiam ſane veriſſimum) & ſublatum eſſe à *Decio Fabianum*, & ſuffectum, eodem Imperante, in *Fabiani* locum fuiſſe *Cornelium*. Idem etiam Eccleſiæ *Romanæ* Succeſſionem ſub *Euſeb.* H.E. VII. 2.
Gallo talem recenſet ut ſub illo ſucceſſerit *Cornelio Lucius*, *Lucio* deinde *Stephanus*. *Cornelio* autem *tres* aſſignat *annos*, ſpatium nimirum Interpontificii, quod erat poſt *Fabiani* mortem ſane diutiſſimum, *Cornelio* accenſens; *Lucio* etiam VIII. fere *menſes*, fere *quadrienni* ſpatium à

Fabiani

Fabiani Martyrio ad Succeſſionem *Cornelii*. Inde duo colligimus, & primo *Decii* anno attributum eſſe ab *Euſebio* Martyrium *Fabiani*; & binos eundem tam *Decio* annos, quàm *Gallo*, aſſignâſſe.

§. 14. Atqui non attingent (inquies) *Fabiani* anni XIII. à II. *Maximini* cœpti ad I. *Decii*. Reſtat enim præterea annus *Maximini* unus, cui ſi adjicias *Gordiani* VI. non I. *Decii*, ſed *Philippi* VI. numerabitur XIII. *Fabiani*. VII. autem *Philippo* annos tribuunt utriuſque Operis, quotquot habemus, Codices, etiam antiquiſſimi. Illum certè numerum reperit in *Hiſtoriâ* Rufinus, illum in *Chronico* Proſper, ne recentiores nominem utriuſque Operis Codices atque Excriptores, hâc ſaltem in causâ, invicem conſentientiſſimos. Eundem *Syncellus*, eundem *Nicephorus* Patriarcha & *Eutychius*. Id unum eſt in uno *Proſpero* ſuſpectum quòd Coſſ. paria ſub *Philippo* VI. duntaxat agnoſcat. His tamen omnibus minimè obſtantibus omnino ſentio errorem hunc non ipſi tamen eſſe tribuendum *Euſebio*, ſed proximis potiùs antiquiſſimiſque ejus Amanuenſibus. Id certè ex *Hiſtoriâ* certiſſimum eſt, & *legibus* in *Codice* exploratiſſimum, ut V. annum paulò ille fortaſſe ſuperârit, adeo tamen exiguo ſuperâſſe ſpatio ut non ſint illi plures quàm V. ſolidi proinde aſſignandi. Nec verò plures ipſum tribuiſſe *Euſebium* ex hoc ipſo colligimus Argumento. Sic enim incidet XIII. *Fabiani* in I. *Decii* accuratiſſimè. Initium enim *Fabiani* rectè nos, & pro *Euſebii* mente, conſtituiſſe, jam ſuprà ſatis manifeſtò, ni fallor, oſtendimus. Idem *Dionyſium Alexandrinum* III. *Philippi* conſecratum, annos XVII. tenuiſſe docet, ad XI. *Gallieni*, ſi *Chronicon*; ad annum ejuſdem XII. ſi potiùs *Hiſtoriam* audiendam exiſtimemus. Quòd ſi *Philippo* annos VII. cum receptâ lectione aſſignemus, jam IX. potiùs *Gallieni* neceſſe erit obiiſſe *Dionyſium*. Viderunt hoc fortaſſe Librarii qui V. potiùs *Philippi* initium in Chronico *Dionyſii* apponendum cenſuerunt. Sic enim factum ut ad XI. *Gallieni* pervenire potuerit. Sed verò hoc quò minùs eſſe potuerit ab *Euſebio*

ſebio per annos, uti dixi, duntaxat ſolidos numerante, reclamat Succeſſionis illius à primo uſque *Aniano* univerſa ſeries, tam ipſâ ſibi, quàm anno *Philippi* in *Hiſteriâ* deſignato conſentientiſſima. Neſcio etiam an viderit *Eutychius* Scriptor alioqui negligentiſſimus. Dempſit enim ille *Gordiano* biennium illud quod in *Philippo* ſuperadditum invenerat. Nec aliter conſtabunt anni ab *Eutychio Fabiano* aſſignati, ne potiùs Librario tribuendum ſuſpicemur. Sed verò quicquid ſit ſentiendum de *Eutychio*, *Euſebio* tamen ipſi non eſſe imputandum ſupervacuum illud *Philippi* biennium è duplici illo *Fabiani* atque *Dionyſii* calculo, ſatis invicem alioqui conſentaneo, manifeſtum eſt. Sunt & aliæ tamen præterea rationes quæ ſuſpectum reddant. Jam vidimus in *Proſpero* Cycli ſui leges ab inſititio illo biennio eſſe violatas. Unum tamen annum compenſavit detractum *Gallieno* quem illi aſſignaverat *Euſebius*. Numerat præterea *Euſebius* à *Chriſti* Natalibus anno *Auguſti* XLII. ad Perſecutionem *Diocletiani* annos CCCV. Et quidem *Perſecutionem* cum XIX. *Diocletiani* conjunxit in *Hiſteriâ*, conjunxit & in *Chronici* Editione vetuſtiſſimâ *Mediolanenſi*, conjunxit Autor Anonymus apud *Photium* qui SS. *Metrophanis* atque *Alexandri* geſta conſcripſit, & quidem ex eodem, ut videtur, *Euſebio*. Conjunxit etiam & alius quem habemus in MS. *Barocian.* 241. Redundabit autem biennium iſtud ſi quidem reliquorum Imperatorum annos ſolidos, pro *Euſebii* mente, ſupputemus, *Philippo* utique omnino detrahendum. Annos illos à II. *Claudii*, *Ær. vulg.* XLII. repræſentant Tabulæ noſtræ ad *Euſebii* mentem concinnatæ, in univerſum 262. Sic itaque habent:

Euſeb. H. E. VII. 32. fin.

Vid. Valeſ.

A ſecundo *Claudii* ad 19. *Diocletiani*	262
Adde poſt *Auguſti* 4. alios ejuſdem *Auguſti* annos	15
Tiberii	23
Caii	4
Claudii	1
	305

Rectè itaque, & pro mente *Euſebii*, biennium iſtud *Philippi* additicium è noſtrâ ſupputatione rejecimus.

§. 15. Sic itaque Succeſſionem *Romanorum* Pontificum *Euſebianam* ad fixum aliquem certumque terminum deduximus. Fixum nimirum in *Hiſtoriâ* quòd ſit prorsùs exploratiſſimum I. *Decii* anno paſſum eſſe *Fabianum*; Fixum etiam in calculis *Euſebii*, quòd eo ipſo anno paſſum ipſe exiſtimârit *Euſebius*, concurrantque adeo hoc in loco cum veris *Hiſtoriæ* rationibus rationes *Euſebii*. Inde etiam Succeſſionis univerſæ temporibus à nobis aſſignatis magna accedit confirmatio quòd talia illa voluerit *Euſebius* quæ hunc terminum nec egrederentur, nec ab eodem etiam deficerent. Recentioribus inde temporibus adeo nihil explorati habuit *Euſebius*, ut ne quidem operæ pretium fuerit, quid ipſe ſenſerit, indagare. Quod ſi tamen indagari poſſet, Nobis conſilium eſſe monuimus hanc Succeſſionem ad *Cypriani* duntaxat tempora deducere.

§. 16. Ex hâc ergo Pontificum diſpoſitione conſtat, non temere hæc ab *Euſebio* eſſe conficta, cum & illis, magnâ ex parte, conſentiat quæ ex *Eutychio* noſter hauſit Doctiſſimus *Ceſtrienſis*. Numeros itaque *Pontificum*, annorumque quibus ſedem tenuerint, hauſit *Euſebius* plerunque ex *Auctoribus*, non item annos *Imperatorum* quibus exitus eorum introituſque conſignavit. Mitto alia impræſentiarum Argumenta quæ infrà ſumus opportuniori loco commemoraturi. Ipſa illa tam immanis *Euſebii* ipſius à ſeipſo in *Hiſtoriâ* & *Chronico* diſcrepantia, major certè quàm quæ in rebus certo quodam conſilio Teſtimonioque digeſtis, eſſe tamen ſoleat

à

à *Librariis*; Ipſe ille tandem *anni*, quo *ſucceſſerint* Pontifices, *Euſebii* neglectus, vel rarior, in progreſſu Operis, Obſervatio, quaſi quò progrederetur longiùs eò magis ſe innexum implicatumque ſenſiſſet; Ipſi denique enormiores frequentioreſque in *Imperatorum* annis connectendis, quàm deſignandis *Pontificum*, errores: Faciunt (inquam) hæc omnia ut non immeritò ſuſpicemur, ut annos quibus ſederint *Romani* Pontifices ex Autorum Teſtimoniis didicerit *Euſebius*, omnem tamen illam eorundem in Canone diſpoſitionem, omnem illam eorum cum Imperatorum annis connexionem, ſeu ab *Euſebii* ipſius fuiſſe conjecturis, ſeu antiquioris alterius, à quo acceperit *Euſebius*, Autoris. Sic itaque illos invicem conferendos cenſui ut potiùs ex *Epiſcoporum* annis colligerem quotis *Imperatorum* annis deceſſerit quiſq; aut ſucceſſerit *Epiſcopus*, quàm ut ex *Imperatorum* annis viceverſà colligerem quot anni ſingulis *Epiſcopis* eſſent tribuendi. Non tamen erant propterea inutiles anni Imperatorum. Quanquam enim inde non intelligamus ſub quibus *Imperatoribus* illi floruerint *Epiſcopi*; ex intervallis tamen *Imperatorum* diſcimus quot ſint anni ſingulis *Epiſcopis*, pro *Euſebii* ſaltem mente, aſſignandi. §. 17.

Quod verò ad temporum *minutias* ſpectat, nullas exploratas habuiſſe videtur *Euſebius*. Imperatorum non modò *annos*, ſed & *menſes* etiam & *dies* quibus Imperàrint, ſæpe deſignavit. Sic enim ſolebant illorum quoque temporum Scriptores Imperatorum tempora deſignare. Epiſcoporum *menſes dieſve* ſupernumerarios, quibus ſedem tenuerint, nuſpiam memorat *Euſebius*. Ait ille quidem *Xyſtum Romæ* anno & *menſibus* aliquot antea defunctum eſſe quàm ſuccederet *Eumenes Alexandriæ*. Quot illi *menſes* fuerint, non item indicavit, nedum *dies*, indicaturus, ut videtur, hâc ſaltem occaſione, ſi quidem ipſe compertum habuiſſet. Id ergo duntaxat voluit, non integrum fluxiſſe *biennium* à morte *Xyſti* ad initium *Eumenis*. Annos nimirum Imperatorum *Romanos*, cum *ſolidos* numerat in *Canone*, à communi deducit *Romani anni*, ut videtur, initio *Januario*.

Sic non diſtabat annus ille *Hadriani* XII. qui incidit in *Januarii* initium, ab initio XIV. quo cœpit *Eumenes*, pluſquam uno *anno* & aliquot *menſibus* quos tamen accuratè deſignare non potuit *Euſebius*. Solidi itaque ſunt anni illi *Pontificum* qui numerantur in *Canone*, nec defectu laborent, an potiùs exceſſu, ex ipſo colligi poterit *Euſebio*. Sed nec ex illâ ejus eorum cum *Imperatorum* annis commiſſione. Nec enim aliâ ratione videtur illos cum *Imperatorum* annis compoſuiſſe quàm è ſuis duntaxat conjecturis, ſupponendo utrobique annos *ſolidos*, nec exceſſu defectuve variantes, tam in *Pontificum* Succeſſionibus quàm etiam *Imperatorum*. Et ſic quidem in annis *Imperatorum*, ut non illi à deceſſorum *mortibus*, ſed à perpetuo *Romani* anni *principio* Januario, repetantur. Inde factum ut anni Imperatorum *veri* anno illi Canonis *Euſebiani* cui toti affiguntur, dimidiâ duntaxat ex parte reſpondeant, aliquando ne quidem vel ex parte dimidiâ. Ita redditur incertum, ſi quidem anni illi *Pontificum* non ſolidi fuerint, quos tamen pro *ſolidis* numerat *Euſebius*, num ad annum illum *Romanum* pertigerint, quem illis *Canon* aſſignavit; incertum rurſus, ſi eouſque verè pertigiſſent, num tamen verè illum Imperatoris annum aliquâ ex *parte* attigerint quem *totum* illi *Canonis* loco aſſignavit *Euſebius*. Sic erunt primi ultimique *Pontificum* anni admodum incerti. Nec quicquam nos hâc in causâ juvabunt anni *Imperatorum*, niſi quòd *veros*, uti dixi, numeros indicabunt quos *Pontificibus* attribuerit *Euſebius*. Emendabunt etiam atque definient, ſiqua fortè *Lectionis* varietas Textûs numeros reddiderit incertos.

CAP.

CAP. VI.

Succeſſio Sedis Alexandrinæ.

§. 1. *In Succeſſione* Alexandrinâ *Veterum neminem habemus qui poſſit cum* Euſebio, *cui ſit potiùs* fides *adhibenda, contendere.* §. 2. *Ad explorandos* Romanorum *Pontificum in* Canone *Euſebiano* locos, *etiam* errores Euſebii, *in Pontificum* Alexandrinorum *diſpoſitione, ſunt tamen ipſi non inutiles.* §. 3. *Diſtinguendi itaque à numeris Euſebii* Hiſtoricis *numeri ejuſdem* conjecturales. §. 4. *Tempus* Aniani. §. 5. Abilii. §. 6. Cerdonis. §. 7. Primi. §. 8. Juſti. §. 9. Eumenis. §. 10. Marci. §. 11. Celadionis. §. 12. Agrippini. §. 13. Juliani. §. 14. Demetrii. §. 15. Heraclæ. §. 16, 17. Dionyſii. *Notæ* Hiſtoricæ *è quibus colligitur vixiſſe* Dionyſium *ad An.* CCLXIV. §. 18. Tres *erant in* Paulum Samoſatenum *Synodi, quarum* I. *initio defunctus eſt* Dionyſius. §. 19. *Tempus* Maximi. §. 20. Theonæ. §. 21. Petri. §. 22. *Annos* Epiſcoporum, *ex Autoribus*; Imperatorum *è Conjecturis, hauſit* Euſebius.

PRogredimur jam ad Succeſſionem *Alexandrinam* quam ſæpe cum *Romanâ* contuliſſe vidimus *Euſebium*. Eâ enim, pro *Euſebii* mente, conſtitutâ, unà inde conſtabit §. 1.

num & *Romanam*, pro illius mente, conſtituerimus, ſi nimirum *concurrant* in utràque ſede *Pontifices* illi, & quidem in eundem *circiter* Imperatoris *annum*, quos quidem ipſe in ſuâ *Canonis* diſpoſitione concurriſſe obſervaverat *Euſebius*. Jam enim ſuprà monuimus concurſum *accuratiſſimum*, ne quidem pro *Euſebii* mente, hoc in loco expectandum eſſe. Et quidem meretur *hæc* Succeſſio propterea magis illuſtrari quòd ſit omnium *accuratiſſima*, quæque adeo tutiſſimè adhiberi poſſet ut *norma* reliquarum. Minùs enim pugnant hoc in loco *Codices* Euſebiani, ſeu in annis *Pontificum*, ſeu etiam *Imperatorum*. Quin & præcipuam quandam hoc in loco diligentiam ipſe etiam meretur *Euſebius*, quòd non alium habeamus hujus Succeſſionis teſtem primarium. Non alium certè ſecutus eſt *Proſper*, nec alium Patriarcha *Nicephorus* atque *Syncellus*, nec alium denique, ut videtur, *Eutychius*. Recentiores enim omitto *rematiores* ab *Origine*, qui alium neminem illorum temporum teſtem, quem ſequerentur, habuiſſe putandi ſunt. Inde ſequitur aliorum *Veterum* Teſtimoniis ita locum eſſe, non quidem ut *aliam* quandam hujus Succeſſionis *æmulam* Chronologiam eliciamus quæ poſſit cum *Euſebianâ* de *fide* contendere, ſed ut ſi quem numerum dubium fecerit Lectionis hodiernæ varietas, de verâ antiquiſſimâque *Euſebianorum* Codicum lectione poſſit ex illis pronunciari. Fuit certè *Euſebius* ipſe *Alexandriæ*; habuit amicos *Alexandrinos*, imprimis Profeſſorem celeberrimum *Anatolium*, & *Fauſtum* Martyrem coævum *Dionyſio*; multa didicit de *Origenis* geſtis etiam *Alexandrinis* è *ſermone* coævorum *Origenis* diſcipulorum; nec aliunde *Succeſſionem*, de quâ agimus, accepiſſe credendus eſt quàm ex illius *Eccleſiæ*, ſiqua fuerint, *Archivis*, peritiſſimorumque hominum ſermonibus. Ut proinde ne quidem *Eutychio*, ipſi licèt *Alexandrino*, exploratior tamen ſuæ quoque *Patriæ* Succeſſio eſſe potuerit quàm fuerit *Euſebio*. Sinceriora enim, & à recentiorum commentis interpolationibuſque *puriora* Eccleſiæ illius *Archiva* habuit *Euſebius* quàm tot Sæculis deinde

deinde *junior* habere potuit *Eutychius*. Nec tamen *aliam* venditat diverſamque ab *Euſebianâ* Succeſſionis hujus *Chronologiam*, nec *alia* etiam, unde ſua hauſerit, aut fide digniora, *monumenta*. Siquid itaque diverſum ab *Euſebio* proferat *Eutychius*, id *calculorum*, aut *Codicis* quo uſus eſt *Eutychius Euſebiani*, potius *erroribus*, quàm ipſi tribuendum videtur *Eutychio*.

Eſt autem duplex *Alexandrinæ* Succeſſionis *uſus*. Alius §. 2.
ille, quem dixi, ut intelligamus inde quo pacto etiam *Romanam* Succeſſionem diſpoſuerit *Euſebius*. Huc etiam inſervient *errores* Euſebii, ubi etiam ab Autorum, quos ſecutus eſt, ſententiâ diſceſſerit, & à certis veræ Chronologiæ rationibus; ſi tamen verè *Euſebio* tribuendos eſſe conſtabit. Nec enim (in *primis* præſertim Sedis utriuſque *Synchroniſmis*) commercium aliquod harum Sedium memorat *Hiſtoricum*, unde poſsit colligi verè coævos fuiſſe quos ille pro coævis habuit. Quin potiùs certum eſt, cum primos Pontifices *Romanos* aliter quàm oportuit, diſpoſuerit *Euſebius*, ne quidem *coætaneos* eſſe *potuiſſe* Sedis *Alexandrinæ* Pontifices illos, ſi quidem minùs in *eorum* diſtributione peccârit, propiuſque ad *Hiſtoriæ* veritatem acceſſerit. Ut ergo *coætanei* non erant *Alexandrinis* Pontificibus Pontifices illi *Romani* quos tamen *veluti* coætaneos recenſuit *Euſebius*, ſi *nullum* prorſus in *Canonis* conſtitutione errorem admiſiſſet *Euſebius*; Sic etiam *Canonis* conſtructioni tribuendum eſt quòd *locum* illum in *Canone* obtineant Pontifices *Alexandrini* quem illis aſsignavit *Euſebius*. Quoties igitur in annorum, quos tribuit Imperatoribus, *ſolidorum* ſupputatione *peccat*, ut ſane peccat aliquoties *Euſebius*; errorem tamen illum ſequi neceſſario oportebat locum *Alexandrinis* ab *Euſebio* in *Canone* conſtitutum. Quare ut è Canonis *loco* pendent omnes illi *Synchroniſmi* quos finxit *Euſebius*; ſic etiam *locum* illum quem tenuerint in *Canone* explorare non poſſumus, ni etiam *errores* Euſebii habeamus exploratos. Alius uſus hujus Succeſsionis *Hiſtoricus* eſt, ut quibus *verè* temporibus Pontifices *Alexandrini* floruerint

erint intelligamus, quibuſque adeo limitibus res geſtæ Eccleſiaſticæ, quas quidem aliunde conſtat illis ſedem moderantibus contigiſſe, fuerint proinde concludendæ. Et quidem hunc *poſteriorem* uſum præcipuè impræſentiarùm promovere decrevimus. Sic tamen ut ne *priorem* quidem alium prorſus negligendum eſſe cenſeamus.

§. 3. Illum verò non ex *Euſebianis* in diſponendo conjecturis, ſed ex *Autorum* fide, colligendum eſſe conſtat. Cum verò alios nullos habeamus Autores quàm quos ipſe ſecutus eſt *Euſebius*; nec porro aliunde quàm ex ejuſdem *Euſebii fide* intelligamus quid *ipſi* quoque ſenſerint: proinde neceſſariò diſtinguendum eſt quid ipſe ex Autorum *fide*, quid item ſuis ductus ſcripſerit incertis fallacibuſque *conjecturis*. Quem enim locum tenuerint Epiſcopi *Alexandrini* in *verâ* Chronologiâ ex Autorum *fide* diſcendum eſt, ex *Euſebii* autem *conjecturis*, quantumcunque fallacibus, quem tenuerint in *Canone Euſebiano*. Itaque videamus ut illos diſpoſuerit *Euſebius*.

§. 4. Initium *Aniani* ex VIII. *Neronis* arceſſit *Euſebius*, Νέρωνος ὄγδοον ἄρχοντος τῆς βασιλείας ἔτος. Sic enim ſcribit in Hiſtoriâ. *Primo* tamen *Neronis Imperii anno* Rufinus. *Hiſtoriæ* tamen numerum confirmant pleraque *Chronici* exemplaria, confirmat *Chronici* Interpres *Hieronymus*. Non eſt itaque audiendus *Proſper* qui VII. tribuit *Neronis* Coſſ. ſuffragante *Mariano*. Nedum alii illi *Codices* audiendi qui IX. anno *Neronis* aſſignant. *Ruſini* fortaſſe verſionem aliquam ſecutus eſt *Eutychius*, qui *primo* etiam ipſe *Neronis* anno ſtatuit. Fuiſſe enim apud *Orientales* Hiſtoriam *Ruſini* facilè è *Socrate* colligimus. Annos illi XXII. concedunt omnes, ipſe in utroque Opere *Euſebius*, Interpres etiam Hiſtoriæ *Ruſinus*, Chronici exemplaria omnia, *Proſper*, *Nicephorus* Patriarcha editus, ſuffragantibus ejuſdem MSS. duobus, Oxonienſi altero, altero Londinenſi Collegii Sionenſis. Aſtipulantur etiam *Eutychius* & *Syncellus*, ne reliquos nominem minorum gentium innumeros.

Hieronym. Script. Eccl. Mart.

Deſinunt

Deſinunt hi, pro rationibus *Euſebii* ſupputati, in annum IV. *Domitiani*. Illo autem ipſo *Domitiani* anno *Abilii* Succeſſionem conſtituit *Euſebius* ipſe in *Hiſtoriâ*, ſuffragante etiam Interprete *Rufino* ad ſaniorem jam reverſo mentem. Conſentiunt *Chronici* exemplaria pleraque tam Edita quàm etiam MSS. in quibus Codex alter *Oxonienſis*. III. *Domitiani* pauci cum noſtro *Mertonenſi*, & *Proſpero*. V. *Marianus*. *Eutychius* IX. *Veſpaſiani*, pro calculi prioris errore.

Abilii annos XIII. utrobique numerat *Euſebius*, lectionem confirmante Interprete *Rufino*, confirmante etiam *Eutychio*. Malè itaque XII. duntaxat concedunt *Syncellus* & *Nicephorus* Patriarcha tam excuſus ille quàm in noſtris quoque MSS. Deſinunt in I. *Nervæ*, pro calculis *Euſebii*, cui tribuunt ejuſdem finem *Chronici* Codices omnes, cum antiquiſſimo Chronici Excriptore *Proſpero*. Hiſtoria I. *Trajani*, illam quoque lectionem confirmante *Rufino*, & *Contracto*. Nullâ fortaſſe *ſententiæ* diſcrepantiâ, ſi quidem annos *Trajani* à primo ejus ſub *Nervâ* initio numeremus. Sed *oblitum* eſſe *Nervæ* in Hiſtoriâ *Euſebium*, ex ipſo loco & ſequenti Succeſſione conſtat, vel XV. duntaxat annos *Domitiano* ſolidos in Hiſtoriâ aſſignavit. Inde factum ut quem numeravit in *Chronico* annum *Domitiani* XVI. eundem *Nervæ* in *Hiſtoriâ* tribuerit, ut *Galbæ*, *Othonis* & *Vitellii* annum *Neroni* attributum eſſe monuimus. §. 5.

Cerdonis anni nulli memorantur in *Hiſtoriâ*, XI. in *Chronico*, & quidem rectè pro ſententiâ *Euſebii*. Malè itaque X. duntaxat agnoſcunt *Eutychius*, *Syncellus* & *Nicephorus* Patriarcha cum duobus ejuſdem MSS. Confirmant illum, quem dixi, calculum *Euſebii* ambæ tam in *Hiſtoriâ* quàm in *Chronico* rationes, ſi tamen invicem accommodentur. *Primi* Succeſſionem IX. quidem *Trajani* conſtituunt Libri *Pontaci* cum noſtris etiam *Oxonienſibus*. Rectiùs *Editi* anno *Trajani* XI. repetito nimirum ab anno *Nervæ Cerdonis* initio. Suffragatur *Hiſtoria* quæ ejuſdem *Trajani* XII. Jam enim à *Trajani* I. illam numerare diximus. Suffragantur §. 6.

gantur etiam & numeri ſequentes qui ita invicem rectè reſpondebunt. Malè itaque *Proſper* qui IX. *Trajani* Coſſ. ſucceſſorem apponit *Primum*, ſecutus nimirum vulgarium Codicum errorem longè facillimum, notas numerales IX. pro XI. tranſponentium. *Eutychius Domitiani* XV. Unum enim *Cerdonis* annum ab illo prætermiſſum eſſe diximus.

§. 7. *Primo* annos XII. utroque Opere largitur *Euſebius*, & quidem conſentientiſſimis utrobique *Codicum* lectionibus. Sic enim *Ruſinus*, *Eutychius*, *Syncellus*, *Nicephorus* Patriarcha cum duobus ejus, quos dixi, Codicibus MSS. Unus VII. duntaxat concedit *Mertonenſis*, Librarii vitio ut videtur, quinarii ut videtur numeri notam pro denarii notâ reponentis. Sic anno *Hadriani* IV. *Juſtum* ſucceſſiſſe oportebit, cui anno illum apponit *Proſper*, proinde XI. annis *Cerdonis*, *Primi* XII. agnitis. Tot enim anni intercedunt à *Nervæ* Imperio ad IV. *Hadriani*. *Euſebius* III. utrobique tribuit, & quidem hoc in loco conſentientiſſimis etiam Codicibus atque MSS. ad unum omnibus. Sic *Hiſteræ* errorem *Chronico* interpolandum cenſuere Librarii, prætermiſſi anni ultimi Domitiani. Nec viderunt ſic X. duntaxat Primi annos conſtare poſſe ſi à *Trajani* XII. numerentur. Nec plures Ego *Euſebium* in *Autore* quem ſecutus eſt reperiſſe crediderim, refragantibus licèt hodiernis *Euſebii* exemplaribus. Nec enim aliter fieri potuit ut *Alexandrum Romæ* & *Primum Alexandriæ* pro *cœvis* haberet *Euſebius*, & Succeſſores utriuſque *Juſtum Alexandriæ*, *Xyſtumque Romæ cœvos* itidem numeraret. Nemo eſt quin videat ita *Alexandri* annos & *Primi* concurrere invicem atque reſpondere oportere, ut uno pariter ejuſdemque Imperatoris anno cœperint, & uno etiam & communi ejuſdem Imperatoris anno Succeſſores acceperint, & proinde non plures *Primo* annos concedi poſſe quàm fuerant conceſſi *Alexandro*. X. autem annos *Alexandro* illum conceſſiſſe jam ſuprà manifeſtum eſt. Ita fiet ut II. *Hadriani* anno ſucceſſerit uterque tam *Xyſtus Romæ* quàm *Juſtus Alexandriæ*.

Et

Et quidem ſi quis annos Pontificum *Alexandrinorum* ab initio *Aniani Ær. vulg.* LXII. ad initium *Petri Ær. vulg.* CCC. recenſeat, *biennium* redundare ſentiet, hoc utique in loco detrahendum. Id quod etiam è ſequentium Pontificum numeris conſtabit adhuc manifeſtiùs. Errat autem immaniùs *Eutychius* qui quo anno cœpit *Primus* eundem deſiiſſe, Succeſſoremque *Juſtum* accepiſſe credidit, *Trajani* XI. Erat tamen erroris *occaſio* quòd non deeſſent Autores qui *Alexandro Romano*, pariter ac *Primo Alexandrino*, XII. annos concederent, ut infrà videbimus. Hos habuit ob oculos fortaſſis *Euſebius*. Et cum obſervâſſet, in *Canonis* diſpoſitione, ſic demum reſpondere numeros ſuos univerſos, ſic etiam concurrere initia utriuſque & fines, ſi X. utrique aſſignarentur; aliunde etiam obſervaret fuiſſe qui *Romano* etiam Epiſcopo XII. annos attribuerent, inde forte XII. annos *Alexandrino* Epiſcopo attribuerit, propter illum nempe Synchroniſmum. Oblitus nimirum in alio duntaxat X. annorum numero contigiſſe illum *Canonis* Chronici concurſum. Oblitus etiam, propter depreſſum pluſquam oportuit initium *Euareſti*, factum ut contractiores potiùs inde numeri ſibi viderentur eligendi. Id ſane certum eſt biennio illi, in *verâ*, ut dixi, *Chronologiâ* nullum prorſus eſſe locum.

Juſto annos XI. utrobique tribuit *Euſebius*, & quidem §. 8.
ſuffragantibus utriuſque Operis Excriptoribus, *Rufino*, *Proſpero*, & Codicibus omnibus cum noſtris etiam *Oxonienſibus*. Et tamen X. duntaxat agnoſcunt *Eutychius*, *Syncellus* & *Nicephorus* tam editus quàm in noſtris quoque MSS. hic utique minimè audiendi ubi de *Euſebianâ* lectione conſtat. Deſinent illi anno *Hadriani* XIII. *Euſebius* anno ejuſdem *Hadriani* XIV. Succeſſionem aſſignavit *Eumenis*, anni unici duntaxat errore. Et tamen *biennium* poſtulabat biennium *Primi* addititium è duobus illis, ut videtur, *Claudii* atque *Domitiani* prætermiſſis annis, pro *Hiſtoriæ* calculis, in anteriora protruſum. Ita factum ut quos uno eidemque anno *Hadriani* attribuerit *Chronicon Xyſtum*

Romæ, Juſtumque Alexandriæ, illi, ex novis hiſce *Hiſtoriæ* erroribus, duobus eſſent annis ab invicem ſejungendi. Sed vel inde conſtat II. *Hadriani Xyſti* initium aſſignâſſe *Chronicon*. Nec enim aliter fieri potuit ut XIIII. *Hadriani* ſuccedens *Alexandriæ Eumenes*, anno uno menſibuſque aliquot ſeriùs ſucceſſerit *Alexandriæ* quàm ſucceſſerit *Romæ Teleſphorus*, quod tamen de ſuâ in *Hiſtoriâ* diſpoſitione idem ipſe affirmat *Euſebius*. Hoc tamen ut *biennium* explerent, XV. potiùs *Hadriani Eumenem* apponunt nonnulli, ſed pauciores illi, *Pontaci* MSS. cum noſtris etiam *Oxonienſibus*. XV. etiam ejuſdem *Hadriani* Coſſ. *Proſper*. Sed errorem ſatis manifeſtò produnt numeri ſequentes.

§. 9. *Eumenis* annos XIII, magno rurſùs utriuſque Operis conſenſu, agnoſcit *Euſebius*, etiam ſuffragante *Syncello*. XII. duntaxat *Eutychius*, X. *Nicephorus* excuſus, VIII. Codex ejuſdem *Nicephori* Patriarchæ *Londinenſis*. Sic illi invicem diſſident Excriptores cum ſemel à veritate diſceſſerint. XIV. tribuit intervallum *Proſperi*, à XV. nimirum *Hadriani* ad VIII. *Pii* Coſſ. Errore tamen manifeſto. Detraxit enim *Marco* annum illum quem *Eumeni* aſſignavit. Sic itaque V. *Pii* deceſſerit *Eumenes*. Nec aliter illam Succeſſionem repræſentant Codices impreſſi. VI. quidem ejuſdem Imperatoris anno tribuunt Codices quamplurimi *Pontaci*, VII. alii cum Codice noſtro *Mertonenſi*, ſuffragante etiam *Proſpero*. Jam enim monuimus VIII. illos *Pii* Coſſ. Succeſſori *Eumenis Marco* potiùs eſſe annumerandos. IX. denique *Contractus*. Tantam nobis confuſionem peperere Librarii. Firmant tamen receptam impreſſorum Codicum lectionem numeri ſequentes, ita certè conſtringunt ne poſſit ad ulteriora promoveri. Firmat & illud quod *Pium* Romæ *Marcumque* Alexandriæ Pontifices pro *coævis* habuerit *Euſebius*, non aliâ procùldubio de causâ ille quàm quòd in unum eundemque *Pii Imperatoris* annum, pro *Chronici* ſui diſpoſitione concurriſſent. Rectè itaque, & pro mente *Euſebii*, *Teleſphori* annum unum, &

Hiſt. Ecc. l. IV. 11.

Primi

Primi duos è noſtris Tabulis excluſimus. Sic enim fiet ut intervalla reſpondeant.

Nec minor eſt in *Marci* etiam annis utriuſque Operis *Euſebiani* conſenſus. X. enim illi annos tribuit, & quidem etiam conſentiente *Syncello*, conſentiente etiam *Proſpero*, ſi tamen Coſſ. ejus, eo quo dixi modo, pro ejus mente, reſtituantur. *Celadionis* enim Succeſſionem XVII. Imperatoris *Pii* Coſſ. apponit. XV. largitur *Eutychius*, à X. nimirum *Hadriani* anno ad *Pii* IV. XIII. *Nicephorus* Patriarcha, ſuffragantibus ejuſdem Codicibus MSS. Sed verò *Euſebianæ* lectionis antiquitatem confirmat *Ruſinus*. Quo *Pii* Imperatoris anno ſucceſſerit deceſſeritve *Marcus*, nihil in *Hiſtoriâ* tradit *Euſebius*. Tradit equidem in *Chronico*, ſed, ut fieri ſolet in locis ſuſpectis, pro exemplarium diverſitate diverſiſſimé. XII. ejus anno *Celadionis* ſucceſſionem ſtatuunt impreſſi, & plerique *Pontaci* Codices MSS. cum noſtro etiam recentiore *Oxonienſi*. XIV. alii, & bono numero, Codices in quibus & noſter quoque *Mertonenſis*. Sunt etiam qui XVI. XVII. *Pii* Coſſ. *Proſper*. IV. *Pii Eutychius*. Nemo rectè. XV. ſtatuendam ſuadent quæ ſuprà diximus. Nec adeo procul aberrant qui XIV. reponebant aut XVI. §. 10.

Celadioni anni XIV. utrobique aſſignantur, hic etiam *Hiſtoriæ* lectionem confirmante *Ruſino*, Chronici item lectionem confirmantibus quotquot habemus *Chronici* exemplaribus, etiam confirmante *Syncello*. X. duntaxat *Nicephorus* Patriarcha tam *Editus*, quàm in MS. etiam *Londinenſi*. XI. *Eutychius*. XII. *Proſper*, à *Pii* nimirum XVII. ad VI. *Marci* Coſſ. Jam enim ſuprà probatum dedimus, pro mente *Proſperi*, XXIII. Coſſ. paria eſſe *Pio* aſſignanda. Et quidem rectè ille annum deſignavit quo ſaltem obierit *Celadion*. VI. enim *Marci* Succeſſorem accepiſſe teſtantur plerique Codices *Pontaci* cum noſtro etiam recentiore *Oxonienſi*. V. *Marci* alii cum noſtro *Mertonenſi*, non longe illi à veritate recedentes. Longius certè *Contractus* qui *Marci* X. Nec enim *Eutychius* fortaſſe §. 11.

nomi-

nominandus qui *Pii* XV. Sed verò inquies, VIII. *Marci*
H.E. IV. 19. *Celadionis* obitum conſtitutum ab *Euſebio* in *Hiſtoriâ*, ὡς ὄγδοον ἐλαυνούσης τῆς Δηλιάδος ἡγεμονίας, & quidem eodem anno quo etiam deceſſerit *Anicetus*, quod *Marci* VIII. pro rationibus *Euſebianis* contigiſſe ſupra in *Romanâ* Succeſsione probavimus. Atque obitum *Aniceti* primo loco memoratum è *Chronici* ſitu deſumpſit *Euſebius*. *Celadionis* obitum quo anno eſſet ſtatuendus, è vitioſis collegit *Hiſtoriæ* ratiociniis. Omiſſum antea in Succeſsionis *Alexandrinæ* ſupputatione unum *Domitiani* annum jam antea monuimus. Inde factum ut Succeſsiones in *Hiſtoriâ* memoratas, *uno*, quàm per *Chronici* ſeriem oportuit, ſeriùs anno repoſuerit. Accedit jam in *Antonini Pii* temporibus error alius. Cum enim XXIII. annos *ſolidos* illi tribuiſſet in *Chronico*, non plures tamen quàm XXII. eidem aſsignavit in *Hiſtoriâ*. Inde colligimus annum illum *Marci* VIII. in Hiſtoriâ eundem eſſe reverâ qui VI. recenſetur in *Canone*, rectèque adeo, & pro Principiis *Euſebii* conſtitutum à nobis obitum *Celadionis* utcunque videamur à *verbis* ejus in *Hiſtoriâ* diſceſsiſſe. Colligimus præterea non è notis *Hiſtoricis*, ſed *ſupputatione*, collegiſſe *Euſebium* coævos fuiſſe quos ille tanquam *coævos* uni eidemque alligavit ejuſdem Imperatoris anno. Videmus enim qui, pro *veris* calculis coævi *non* erant, cum tamen *ſupputationis* vitio in eundem *Imperatoris* annum viderentur incidere, ab illo tanquam verè *coævi* fuiſſent, eidem anno fuiſſe aſsignatos. Et cum annus ille *Marci* pro *Hiſtoriæ* calculis VIII. ſit tamen VI. pro accuratioribus *Chronici* rationibus; colligimus denique duos illos *Primi* annos, rectè nos, & pro verioribus ipſius *Euſebii* rationibus, à Tabulis noſtris excluſiſſe.

§. 12. Par etiam eſt *Euſebii* in annis *Agrippini* utrobique conſenſus, cujus annos numerat XII. Eidem XIV. tribuit *Eutychius* & *Nicephorus* editus, & *Codex* ejuſdem Nicephori *Oxonienſis*. Errorem inde natum exiſtimo quòd, in annis Imperatorum *Chronici* rationes cum rationibus *Hiſtoriæ* confu-

confuderint. Nempe à VI. *Marci* quo ejus initium à *Chronico* conſtitutum modò oſtendimus anni intercedunt XIV. ad I. *Commodi* quo obitum ſtatuunt falſæ *Hiſtoriæ* rationes. Convenit tamen in intervallo *Eutychius*, à XV. *Pii* ad V. *Marci*. Annos enim *Pio* cum *Hiſtoriâ* XXII. duntaxat tribuit *Eutychius*. Confirmat præterea lectionem *Hiſtoriæ Ruſinus*, *Chronici Syncellus* & *Codex* Nicephori ſincerior *Londinenſis*. Finem *Agrippini* XVII. *Marci* apponebant multi *Pontaci* Codices, XIX. alii cum noſtris *Oxonienſibus* atque Editione *Pontaci*. I. *Commodi* ſtatuit *Hiſtoria*, pro recepto jam *biennii* errore cujus modò meminimus, qui etiam error in nonnullos etiam *Chronici* Codices irrepſit. Nobis à VI. *Marci* numerantibus in XVIII. ejuſdem finis erit ſtatuendus *Agrippini*. Suffragante nimirum *Mariano*, ſuffragantibus etiam *Hiſtoriæ* rationibus, ſi quidem detrahatur *biennium* illud quod malè additum probavimus.

Juliano rursùs idem numerus utrobique tribuitur, tam in *Hiſtoriâ* quàm in *Chronico*, X. nimirum annorum. XV. tamen *Nicephorus* Patriarcha *Editus* & *Codex* ejuſdem *Oxonienſis*. Lectioni *Euſebianæ* receptæ aſtipulantur *Ruſinus*, *Eutychius*, *Syncellus*. Sic IX. *Commodi* ſucceſſerit *Demetrius*. Ita impreſſi *Chronici Euſebiani* Codices. Ita plerique *Pontaci* MSS. Ita Codex alter recentior *Oxonienſis*. Ita denique *Proſper*, ſi tamen rectè intelligatur. *Demetrii* enim Succeſsionem VIII. apponit *Commodi* Coſſ. Noni illi ſunt *Commodi* Coſſ. ſi quidem *Marci* Coſſ. vigeſimos *Commodo* accenſeas, quod ſuprà faciendum oſtendimus. VIII. tamen tribuunt Codices alii *Pontaci*, cum noſtro quoque *Mertonenſi*. Plures X. cum *Contracto*, cui etiam ſuffragatur *Hiſtoria*. Eodem enim anno *Demetrium* ait ſucceſsiſſe *Alexandriæ* quo *Romæ Victor*, poſt annum *Eleutheri* (ut in *Hiſtoriâ* voluit *Euſebius*) XIII. quem X. *Commodi* fuiſſe conſtat è noſtris *Tabulis* ad illius mentem concinnatis. Eodem etiam anno unde anni *Demetrii* XLIII. inchoati in X. *Alexandri* annum deſinent, pro calculis *Euſebii*, quem etiam *Commodi* §. 13. *Euſeb.* H.E. V. 22.

X.

X. fuiſſe ex iiſdem conſtat Tabulis. Inde ſatis manifeſtò conſtat *Euſebio* ipſi, non *Librariis*, errores hoſce tribuendos eſſe, tam quòd *Eleutheri* finem prædicto anno *Commodi* X. aſsignârit, quàm quòd etiam *Demetrii Alexandrini* initium. Sic ille nimirum ſupinâ admodùm negligentiâ, diverſitate calculorum Poſteros implicuit. Nec vidit tamen ita utique conſtare non poſſe numerum à ſe *Juliano* paulo antea aſsignatum. X. enim ejus anni à I. *Commodi* accerſiti in alium ejuſdem annum deſinere non poterunt quàm XI. Atqui annum, pro falſis *Hiſtoriæ* calculis XI. eundem eſſe monuimus qui IX. erat in *Chronico*, duobus nimirum annis in anteriora protruſis. Ita vel ex hoc *Euſebii* errore colligimus rectè habere *Tabulas* noſtras, pro Principiis *Euſebii*. Perit tamen iſte *Synchroniſmus* è vitioſâ duntaxat ſupputatione ejuſdem natus *Euſebii*.

§. 14. *Demetrio* annos XLIII. utrobique tribuit *Euſebius*, lectionis veritatem confirmante *Ruſino*, confirmante *Proſpero*, omnibuſque utriuſque Operis Codicibus, quinetiam *Eutychio*, *Syncello* & *Nicephori* quoque Patriarchæ Codice *Londinenſi*. X. tamen duntaxat annos eidem concedit *Nicephorus* editus à *Goare* & Codex *Nicephori Oxonienſis*; XI. editus à *Scaligero Nicephorus*. Ita Librariorum mendis conſpurcatum illum habemus *Nicephorum*. Hoc autem Pontificatu nulla eſt in annis *Imperatorum* Hiſtoriæ à Chronico diſcordia. Sic itaque *Demetrio* ſucceſſerit *Heraclas* anno IX. *Alexandri*. Et quidem illo ipſo anno Succeſſionem illam conſignant Codices plerique *Pontaci*, noſtris etiam ſuffragantibus Codicibus *Oxonienſibus*. VII. *Alexandri* Coſſ. apponit *Proſper*, I. ejuſdem anno *Eutychius* prorſus hoc in loco qui audiatur indignus. Erant tamen *Pontaci* Codices duo qui X. potiùs reponendum cenſerent. Numerum illum hauſit forte ex *Hiſtoriâ* Librarius. X. ait *Euſebius* annum fuiſſe *Alexandri* cùm ab *Alexandriâ Cæſaream* migraret *Origenes*. Hoc illum è *Scripto* aliquo *Origenis* adversùs *Demetrium* didiciſſe veriſimile eſt, ut proinde notam inde *Hiſtoricam* habeamus, ad quam hæc

Hiſt. Eccl. VI. 26.

Alex-

Alexandrinorum Pontificum Succeſſio omnino exigenda ſit. Ait enim non multò poſtea, οὔτε εἰς μαχὴν, defunctum *Demetrium*, ſuffectumque eſſe *Heraclam*. *Origenis* illam expeditionem XI. *Alexandri* nonnulli, alii XII. tribuebant *Pontaci* Codices. *Marianus* rectè X. Nec eſt quòd dubitemus ex *Hiſtoriâ* corrigendos eſſe *Chronici* Codices, in his præſertim numeris qui non è *Canonis* diſpoſitione, ſed ex *Autorum* fide, colliguntur. Et verò è noſtrarum Tabularum ſitu conſtat annum *Alexandri*, pro *Euſebiani Chronici* diſpoſitione IX. X. tamen ejuſdem Principis anno, pro parte ejus maximâ, reverâ reſpondere. Ipſo enim illo anno *Martii* VI. X. annum *Alexander* inchoavit. Ita fieri potuit, ut poſt illum *Martii* diem Expeditionem in *Græciam* cœperit *Origenes*. Et cum obiter in *Palæſtinâ* ordinatus eſſet, inde nata eſt occaſio *Demetrio* primæ adversùs *Origenem* ſententiæ quæ Eccleſiâ *Alexandrinâ* & Catechiſtico munere illum exuebat. Ea ſatis commodè ferri potuit in Synodo *Paſchali*, & in Epiſtolâ ἑορταστικῇ, quæ erant ut plurimùm *Encyclicæ*, & de rebus agebant ad Eccleſiæ *diſciplinam* ſpectantibus. Ita certè Epiſtolis *Paſchalibus Origenis* memoriam doctrinamque damnavit recentior *Theophilus*. Hâc occaſione cum *Origenis* etiam Ordinatores perſtringeret *Demetrius Theoctiſtum* Cæſareenſis *Alexandrumque* Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopos; illi autem factum ſuum, ipſumque adeo *Origenem*, defenderent: inde ſecunda nata ejuſdem *Demetrii* in *Origenem* ſententia, quâ etiam *Presbyterio* pulſus eſt. Et quidem reverſus ex *Hellade* per *Epheſum* atque *Antiochiam Origenes* jam concitatas illas reperit à *Demetrio* de ſuo nomine lites *Alexandrinas*, ſcripſitque ipſe ad Amicos in *Ægypto* Epiſtolam illam cujus partem nobis conſervavit in ſuâ, pro *Origene*, Apologiâ *Ruffinus*. Secundam autem hanc ſententiam in ſecundâ Synodo decretam eſſe conſtat, *Autumnali* nimirum, ut videtur illâ, pro receptâ temporum illorum conſuetudine. Ita partem hujus Anni maximam conſtabit

Phot. Biblioth. Cod. 118.

ſuperâſſe *Demetrium*, nec ad finem anni tamen pertigiſſe, qui à Synodo *Autumnali*, non multò poſtea ſit mortuus. Rectè itaque, & pro mente *Euſebii*, & pro *Hiſtoriæ* veritate, *Primi* duos annos ſuperfluos excluſimus. Rectè etiam alios omnes hujus Succeſſionis annos *rotundos* numeravimus. Nec longe ab *Hiſtoriæ* veritate hucuſque diſceſſiſſe veriſimile eſt veras genuinaſque *Euſebii* rationes.

§. 15. *Heraclæ* annos XVI. tribuit utrobique ſibi ſatis conſentaneus *Euſebius*. Receptæ etiam Lectioni ſuffragantur *Syncellus*, & Codex *Nicephori* Patriarchæ *Londinenſis*. *Proſper* à VII. *Alexandri* Coſſ. ad Coſſ. *Philippi* VI. Annos nimirum *Alexandri* V. duntaxat numerat præterea vitioſus *Proſper*, quibus ſi VI. *Gordiani*, & VI. alios *Philippi* adjeceris, XVII. conficient in univerſum. *Ruſinus* neſcio quo *denarii* omiſſi errore, VI. tantummodò. *Eutychius* XIII. *Nicephorus* editus, & Codex ejuſdem *Oxonienſis* XLIII. *Hiſtoria Miſcella* & *Contius* ex eodem *Nicephoro* XLVI. Qui certè Codices *Nicephori*, errore aliquo Librarii *Demetrii* annos *Heraclæ* tribuebant. Sed non faciunt ut de receptâ Lectione dubitandum ſit Excriptores iſti negligentiſſimi, ipſi præſertim adeo etiam invicem diverſi. Et quidem annos illos *Heraclæ* III. *Philippi* Imperatoris anno terminat in Hiſtoriâ *Euſebius*, præter morem in nectendis Imperatorum annis accuratus. Firmat etiam lectionem *Ruſinus*. Fieri potuit ut notâ aliquâ *Hiſtoricâ*, Magni, cujus toties cum laude meminit, *Dionyſii* initium inſignitum repererit *Euſebius*. Præſertim cum idem fuerit, etiam in Hiſtoriâ *Origenis*, quam omnium diligentiſſimè tractavit *Euſebius* celebratiſſimus. Quid ſi *Origenis* geſtum aliquod memorabile ita conſignatum fuerit quòd eodem tempore ſit geſtum quo Pontificatum ſuſceperit ille *Dionyſius*? Quid ſi illo ipſo tempore ad *Philippum* Imperatorem & *Severam* ejuſdem conjugem ſcripſerit *Origenes*? Facit certè cur ſuſpicemur ex *Hiſtoriâ* potiùs quàm è calculis is annus emanârit, quòd nec cum vitioſâ *biennii* ſupputatione, (quam ſecutum

Hiſt. Eccl. VI. 36.

ſecutum diximus in *Hiſtoriâ*) nec cum *Chronici* numeris conveniat. V. potiùs *Philippi* tribuebant Codices quamplurimi *Pontaci* tam editi quàm MSS. quibus & noſter ſuffragatur *Mertonenſis*. VI. alii, in quibus & *Proſper*. VII. demum alii quibus locum omnem in ſuperioribus excluſimus. Quòd ſi hoc non è *calculis*, ſed ex *Hiſtoriâ* didicerit *Euſebius*: Sequetur ſic anno *Philippi* III. *Euſebianus* tribuendum eſſe finem *Heraclæ*, ut fuerit etiam anno ejuſdem Imperatoris verè III. includendus. Atqui initio III. anni *Euſebiani* III. *Philippi* annum verum è noſtris Tabulis concludendum eſſe conſtat. Inde colligimus XVI. *Heraclæ* annum inchoatum eſſe duntaxat; ſic illum nimirum à ſuperioris anni *Autumno* eſſe repetendum, ut ab hujus anni *Martio* menſe aut *Aprili* cœperit *Dionyſius*. Quæ certè Obſervatio erit in *ſequentium* Pontificum temporibus definiendis omnino utiliſſima.

Dionyſio annos XVII. largiuntur omnes qui quidem *numerum* memorant, *Euſebius*, tam in Hiſtoriâ quàm in Chronico, *Rufinus*, *Eutychius*, *Syncellus*, *Nicephorus* Patriarcha tum editus tum in utroque ejuſdem MS. *Proſper* numerum nullum habet, ſed contrahit in majores quàm par erat anguſtias, è vitioſâ duntaxat, ut videtur, Chronici diſpoſitione. Cœptum enim illius Pontificatum VI. *Philippi* Coſſ. IX. terminat *Gallieni*. Peſſimè *Eutychius*, in hâc omni *Alexandrinâ* Succeſſione prorſus ille qui memoretur indignus. II. enim *Maximini Dionyſii* tribuit initium, finem verò I. *Gallieni*. Atqui certum ex *Athanaſio* per aliquot annos *coævos* fuiſſe cognomines *Dionyſios*, *Romæ* nimirum Pontificem cum noſtro *Alexandriæ*; Certum idem eſt è Scriptis *Dionyſii* noſtri *Alexandrini* tam *Euſebio* quàm etiam *Hieronymo* memoratis, quæ quidem *Dionyſio Romano* jam Pontifici noſter inſcripſerit: cum tamen I. *Gallieni* nondum ſedem adeptus fuerit alius ille *Dionyſius Romanus*. Quinetiam IX. *Gallieni* anno ſcripſit noſter ad *Hermammonem* fratreſque in *Ægypto* degentes. Sic enim ait, *Religioſiſſimus verò Deique amantiſſimus Imperator ſeptennalem* Apud *Euſeb.* H.E. VII. 22, 23.

§. 16.

circulum emenſus nonum Imperii annum degit, ὃ τῷ ἡμᾶς ἑορτάσαι. E verbis poſtremis diſcimus illam quoque Epiſtolam fuiſſe ἑορτασικὴν, & paulo ante Feſtum *Paſchale* anni *Gallieni* IX. ſcriptam. Cœpit autem ſub finem anni CCLIII. cum Patre *Gallienus*. Sic *Paſcha* anni ejus IX. in annum inciderit CCLXII. qui etiam *Euſebio* IX. numeratur *Gallieni*. Sed & aliam habemus temporis *Dionyſii* notam adhuc recentiorem. Scripſit enim non quidem ad *Paulum Samoſatenum*, ſed illius tamen occaſione Epiſtolam ad *Antiochenos*, teſte *Synodo* ipsâ *Antiochenâ* quæ *Paulum* depoſuit. Quinetiam ad *Synodum* invitatus eſt, cui tamen quo minùs intereſſe poſſet *ſenio* ſeſe excuſavit. Ergo ante obitum *Dionyſii* jam Hæreſim ſuam palam profeſſus fuerat docueratque *Paulus*. Sed verò Hæreſim ſuam in gratiam *Zenobiæ*, quæ *Judæa* erat, *Paulum* ait excogitâſſe *Nicephorus*. Id ſi verum eſt, non antea illam excogitatam oportuit quàm profligatis *Perſis* atque omni ditione *Romanâ* pulſis, *Syriâ* omni, ipſâque adeo potiretur *Antiochiâ Zenobiæ* maritus *Odenatus*. *Gallieno* & *Voluſiano* Coſſ. anno nimirum Ær. *vulg.* CCLXI. factus eſt Auguſtus in Oriente *Macrianus*. Hujus L.B. in numo *Græco* legimus, unde illum II. ſaltem anni partem aliquam attigiſſe ſequitur. Et tamen *Paſchate* anni *Gallieni* IX. jam extinctum eſſe teſtatur *Dionyſius* non ipſum modò *Marcianum*, ſed & *ſtirpem* ejus utramque, tam *Macrianum* juniorem filium unà ab *Aureolo* cum Patre cæſum, quàm & *Quietum* filium alterum in Oriente relictum *Odenato* proditum à *Baliſtâ*. Sunt enim verba illa *Dionyſii*, παγγενῆ ἔλεγε καὶ ἀρίδηλος ἐξοφανίζω. Et alibi, ex eâdem tamen ejuſdem ad *Hermammonem* Epiſtolâ, τοὺς δύο παῖδας τοὺς πατρώους ἀναδεξαμένους ἀμαρσίας ἀφηρέθησαν. Occiſus eſt *Valens* (qui ipſe *Piſonem* occiderat adversùs ſe miſſum à *Macriano*) *Jul.* 1. Unde diſcimus anno Ær. *vulg.* CCLXI. nondum affecto expeditionem adversùs *Gallienum* à *Macriano* eſſe ſuſceptam. Tranſiit ipſe poſtea

Vid. *Athanaſ.* Ep. ad Solitar. *Theodoret.* l. II. Hæret. Fab.

Trebel. Poll. in *Gallien. duob.* c. 1.

Apud *Euſeb.* H.E. VII. c. 3.

Apud *Euſeb.* ibid. c. 10.

poſtea per *Orientem Illyricum* versùs cum exercitu *Macrianus*, ut proinde initio anni CCLXII. occiſum oporteat, ſi quidem II. annum ipſe inchoârit. Porro *Macriani Conſecrationem* repræſentant apud *Occonem* numi. Ea certè ab aliis eſſe non potuit quàm à filio *Quieto* & amico *Baliſta*, nec à *Baliſta* poſt mortem filii à ſeipſo proditi. Et quidem auditâ *Macriani* cæde *Quietum Odenatus* aggreſſus eſt, ſic tamen, ut videtur, repente, ut & illum confecerit, & confecti nuncius *Ægyptum*, ante *Paſcha* pervenerit. Cæſo *Quieto* ſic demum *Antiochiâ* potitus eſt *Odenatus*, ſic *Paulum Antiochiæ* Epiſcopum obnoxium potuit habere *Zenobia*.

Sunt & alia à *Dionyſio* noſtro memorata quæ eundem *annum* dénotent, imprimis Bellum *Alexandriæ*, quod tamen non fuerit utique diutinum, *Paſchali* nimirum tempore ortum pariter atque profligatum. Sumpſit nimirum hoc ipſo *anno*, poſt cædem *Macriani*, purpuram *Æmilianus Alexandriæ*, debellatus tamen captuſque hoc Bello à *Theodoto*. Poſt Bellum γῆς ἀτμὼς & λοιμὼς idem memorat *Dionyſius*. Et quidem *Gallieno Fauſtino*que Coſſ. *terræmotus*, *peſtilentia*mque fuiſſe teſtatur *Trebellius Pollio*. Hucuſque itaque illum perveniſſe certum eſt. Ego illum annum CCLXIV. etiam attigiſſe mihi perſuadeo. Vocatus eſt ad primam de causâ *Samoſateni* Synodum *Dionyſius*, tempore utique *pacato* & *Synodis* adeo colligendis idoneo. *Par* illa ægrè tandem ſupremo *Odenati* anno illo conſtituta eſt, profligatis *Perſis*, acceptoque demum à *Gallieno* in Imperii participationem *Odenato*. Pacem illam cum *Romanis* poſt *decennalia* Gallieni factam teſtis eſt *Trebellius Pollio*. Decimos nimirum intelligit *Gallieni Natales* qui quidem annum ejuſdem nonum exeuntem proximè exceperint, ſub finem anni CCLXIII. Proinde *Gallieno* & *Saturnino* Coſſ. hoc ipſo nimirum, de quo agimus, anno totius Orientis Imperium * adeptum *Odenatum* obſervavit idem *Pollio*. Volente nimirum *Gallieno*, à quo etiam *Auguſtus* † appellatus

§. 17.

Apud *Euſeb.* H.E. VII. 21.

Poll. duob. Gallien. c. 5.

In Saturnin. Gallien. fin.

* Duob. *Gallien.* c. 10.

† Ib. c. 12.

latus eſt. Tradit præterea *Joannes Malela* Autor ineditus anno *Antiocheno* ϡτι (ſic enim habet Codex MS. pro τιΔ ann. nimirum CCCXIV.) capto jam *Valeriano* direptam eſſe à *Sapore Antiochiam*. Errore nimirum, quod quidem attinet ad *tempus* capti *Valeriani*, Scriptoris indiligentiſſimi craſſiſſimo. Id potiùs, ut opinor, voluit Autor ejus, quicunque fuerit, *Antiochenus*, tempus nimirum conſignare quo *Antiochiam* tanquam *Orientis* Metropolim ceſſerit *Odenato Gallienus*. In eo tamen erravit quòd anni *finem* ſignârit quo cœperit ab *Octobri* ſive *Hyperberetæo Macedonico* annus *Antiochenus* CCCXIV. cùm initio anni ceſſerit *Gallienus*, qui cum anno *Antiocheno* concurrebat duntaxat CCCXIII. Hoc nimirum anno abſolutis *Odenati* Bellis, jam poterant etiam è Regionibus longinquis accerſiri ad Synodos rem Catholicam univerſàm ſpectantes Epiſcopi, qui tamen ex *Oriente* præſertim conveniebant, cujus univerſi jus legitimum, hoc primùm anno, adeptus erat *Gallienus*. Poterant etiam è *Romanâ* ditione vocari quæ adhuc *Gallienum* Dominum agnoſcebat, cum jam *Odenatum* amicum ſociumque *Imperii* agnoſceret ipſe *Gallienus*. Aliter foret, ſuſpecta fuiſſet *Dionyſii* in Regionem alienam migratio dum fuerat *Odenatus* etiam ipſe ſuſpectus.

§. 18. Hucuſque igitur *Dionyſium* vixiſſe conſentaneum eſt, nec verò quicquam eſt quod ſuadeat *ſeriùs* illum fuiſſe ſuperſtitem. Vetat imprimis, quòd hujus anni menſe *Martio* aut *Aprili* XVII. annum noſtrum oporteat compleviſſe *Dionyſium*. Nec verò plures ejus annos patiuntur *Succeſſorum*, ut videbimus, rationes, quæ *contrahendæ* potiùs quàm ampliandæ ſunt. Vetat præterea quòd hoc ipſo anno cæſus ipſe fuerit *Odenatus*. Annum certè ejus IV. duntaxat memorant numi, nec geſtum ejus aliquod memoriâ dignum legimus, quod non prioribus ejus annis præſtiterit à *Valeriani* Captivitate inchoandis. Proinde partem hujus anni non magnam illum emenſum eſſe veriſimile eſt. Illo ſublato unà periit concordia ditionis *Palmyrenæ*

myrenæ cum Imperio *Romano*, ut ne quidem potuerit ad Synodum *Antiochenam* noſter vocari *Dionyſius*. Poſt mortem enim *Odenati* miſit *Gallienus* adversùs *Perſas Heraclianum*, qui tamen in expeditione victus eſt à *Zenobiâ*, ſpoliatuſque militibus. Vetat denique quòd ad primam duntaxat Synodum *Antiochenam* in causâ *Pauli* noſter fuerit accerſitus. Tantùm enim abſum à Viri Maximi ſententiâ qui unicam agnoſcit in causâ *Samoſateni* Synodum, ut *tres* etiam agnoſcendas exiſtimem. Prima illa erat cui interfuit non *Firmilianus* modò ſed *Gregorius* etiam *Thaumaturgus* cum fratre *Athenodoro*, quorum nulla tamen mentio in ſupremâ illâ quam agnoſcit Cl. Pater *Ceſtrienſis*. Secunda alia cui adfuit *Firmilianus*, quem *bis* Antiochiam veniſſe teſtantur tertiæ Synodi *Antiochenæ* Patres qui unà ipſi aderant in *tertiæ* Synodi Epiſtolâ Encyclicâ. Tertiæ Synodi quo minùs adfuerit *Firmilianus* obſtabat ejus mors. *Tarſi* enim in itinere defunctus eſt. Tribus hiſce Synodis aderant etiam è *Ponto* & *Cappadociâ* & *Ciliciâ* Epiſcopi, & universâ adeo quâ patebat *Orientali* Diœceſi, non *Syriæ* duntaxat *Antiochenæ* Provinciales qui bis ſolebant quotannis, pro illius ævi Diſciplinâ, convenire. Ad *primam* vocatus duntaxat noſter *Dionyſius*, tempus tamen ipſum quo Synodus ipſâ convenerit, non videtur attigiſſe. *Sententiam* enim ſuam duntaxat Scriptis indicavit, nec illis tamen ad *Paulum* miſſis, ſed ad Orthodoxos *Antiochenos*, ad *Synodum* ipſam procul dubiò ſcripturus ſi quidem Synodi *tempus* attigiſſet. Malè itaque anno *Gallieni* IX. ſucceſſionem *Maximi* aſſignant nonnulli Codices *Chronici*, ſuffragante *Proſpero*, & noſtro quoque *Mertonenſi*. X. alii cum Codice ſecundo *Oxonienſi*. Et illi quoque perperam. Rectiùs alii plerique qui XI. potiùs attribuunt. Qui XII. attribuerit, Codicem nullum, ſeu editum, ſeu MS. invenimus. Cum itaque Anno *Gallieni* XII. *Dionyſii* obitum reponere videtur *Hiſtoria*, id ego ita intelligendum arbitror quòd illo præſertim Anno fuerit de *Pauli* causâ diſceptatum. Ait enim *Euſebius*,

Hiſt. Eccl. VII. 28. πάντων καὶ κατὰ διαφόρους ἐν πολλάκις καὶ πολλοῖς συνιόντων, λόγοι ἐν ζητήσεις καθ' ἑκάστους ἀνεκινοῦντο συνόδους. Interprete Valeſio, *Omnibus vario tempore diverſimodè ac ſæpenumerò in unum coeuntibus, multæ Diſputationes & Quæſtiones in unoquoque conſeſſu agitatæ ſunt.* Hæc ille ita intellexit quaſi nimirum hæc diverſis ejuſdem Synodi duntaxat *conſeſſibus* fuiſſent diſputata, cum *Græca* tamen de *Synodis* diverſis καὶ κατὰ, *tribus* nimirum, quas dixi, illis loquantur manifeſtiſſimè. Atque ita omnia facilè conciliantur. *Primam* enim Synodum quò accerſitus, non adfuit tamen, *Dionyſius*, hoc ipſo anno *Gallieni* XI. *Odenati* ultimo, *Chriſti* CCLXIV. celebratam exiſtimo. *Secundam* anno ſequenti *Gallieni* XII. *Zenobiæ* filiorum tutelam adminiſtrantis I. quò etiam venerit ſecundâ vice *Firmilianus*. Nec enim *bis* eodem anno è partibus adeo longinquis Epiſcopos conveniſſe veriſimile eſt. His itaque primis Synodis, præſertim poſteriore, cum *Samoſateno* diſputatum eſt. Diſputantibus autem illis, necdum ſententiam decretoriam proferentibus, noſtrum eſſe defunctum *Dionyſium*, non quidem quòd ad Diſputationes ipſas pervenerit, *ſecundâ* nimirum Synodo præſertim agitatas, ſed quòd ante *ſententiam* deceſſerit. Sic quidem Autor *Euſebii* ut exiſtimo, quæ tamen ita ipſe intellexerit *Euſebius* quaſi nimirum ipſo Diſputationis anno *Gallieni* XII. deceſſiſſet *Dionyſius*, nec vidit Scriptor indiligentiſſimus cum ſuis hoc pugnare rationibus. *Tertia* demum Synodus quæ *Samoſatenum* depoſuit, *Demumque* in ejus locum ſuffecit, XIII. *Gallieni* anno coacta eſt, pro rationibus, in *Chronico*, etiam *Euſebianis*, Chriſti nimirum CCLXVI. jam rerum potiente *Zenobiâ*, quæ proinde paſſa non eſt ut motum officio ſuâ causâ *Samoſatenum* Orthodoxi etiam ædibus Eccleſiaſticis expellerent. Quæ etiam cauſa infenſiorem *Samoſateno* fecit *Aurelianum*, quòd *Zenobiam* expertus fuerat propitiam.

Maximo

Maximo annos XVIII. in utroque Opere concedit *Euſebius*, ſuffragante etiam *Ruffino*, ſuffragante *Proſpero* pro hodierni Codicis vitioſis rationibus, ſuffragantibus denique *Eutychio* & *Syncello*, & *Nicephori* Codice emendatiore *Londinenſi*. Neſcio tamen quo errore exciderit denarius numerus *Nicephoro* edito & Codice *Oxonienſi* & mendoſo alibi *Syncello*. Ita VI. *Probi* anno ſucceſſerit *Theonas*, & quidem rectè pro *Chronici* Codicum plurimorum lectione, in quibus & noſtri *Oxonienſes*. Suffragatur *Proſper* & *Contractus*. Habuit *Pontacus* Codicem qui IV. *Probi* anno, habuit & alium qui V. attribuerent, ſed nec *numero* illos, nec *Antiquitate* cum noſtris, nec ipſo etiam *conſenſu*, conferendos. Convenit porro VI. tam veris *Hiſtoriæ* rationibus, quàm etiam *Euſebianis*. Cum enim VI. ille Probi annus Euſebianus VII. ejuſdem Probi, quam attigit, partem, & primi etiam *Cari* partem complectatur; *Maximus* tamen XVIII. ſuum annum *priori* ejus parte abſolvit quæ ad *Probi* VI. referenda erat. Et quidem *poſtremis* hiſce & coævis *Euſebio* Pontificibus cum & accuratiores habeamus *Euſebii* rationes, poterunt etiam ab eodem anni verè *Hiſtorici* deſignari. §. 19.

Theonæ annos XIX. utrobique numerat *Euſebius*, numerant *Ruffinus*, *Nicephorus*, tam editus ille quàm etiam in utroq; MS. numerant præterea *Eutychius* atque ipſe *Syncellus*, quanquam alibi XVIII. duntaxat largiatur, non minùs ipſe à ſeipſo quàm à *veritate* diverſus. Finem ejus ex initio *Petri* diſcimus. *Petri* autem initium XVII. *Diocletiani* appoſuit *Chronicon*, nullâ, hoc in loco, *Codicum* diſcrepantiâ. Sic ille nimirum conſignatum repererat pro rationibus verè *Hiſtoricis*. Ineipit autem annus Diocletiani *Hiſtoricus* XVII. à *Sept.* XXVII. illius anni *fine* qui annus ejuſdem *ſolidus* XVI. numeratur in *Canone*. Sic videmus anni XIX. *menſes* aliquos duntaxat attigiſſe *Theonam*. Et quidem hoc ipſo anno terminandum eſſe Pontificatum *Theonæ* è notis *Petri* manifeſtis conſtabit. §. 20.

§. 21. *Petri* enim finem adeo exploratum habemus in Hiſtoriâ, ut ſit proinde pro univerſæ hujus Succeſſionis normâ ſtatuendus. X. ejus annos duntaxat *Eutychius*, XI. *Syncellus* & *Nicephorus*, tam editus ille quàm etiam in Codicibus, quos dixi, MSS. *Euſebius* XII. quos etiam ſic diſtribuit ut *tribus* ante Perſecutionem exactis, IX. ipſe Perſecutionis anno ſit paſſus. Et quidem de *tribus* illis, quæ Perſecutionem præceſſerint annis ita loquitur, quaſi nondum illos *Petrus* abſolviſſet. Περὶ τοῦ (inquit) Δωσιθέου πρώτου ἐν ὅλοις τρισὶν ἡγησαμένου τῆς ἐκκλησίας, &c. Rectè nimirum pro illis, quas modò dedimus, rationibus. A *Sept.* enim XXVII. anni ſolidi *Diocletiani* XVI. quo tamen cœpit annus ejuſdem *Hiſtoricus* XVII. ad *Terminalia* Feb. XXIII. quo die cœpit Perſecutio ſecundum *Lactantium* (idem erat menſis *Dyſtri*, pro novatâ *Syro-Macedonum* ratione III. VII. verò Kal. *Martii Romani*, quos quidem calculos ſequitur *Euſebius*) annus numeratur III. duntaxat inchoatus. Paſſus idem eſt *Nov.* XXV. ut ex Excerptis *Scaligeri* Barbaro-Latinis diſcimus, & quidem anno Perſecutionis IX. ut ipſe etiam fatetur *Euſebius*, eodem nimirum anno quo deceſſit *Galerius*, ageretque jam *Nicomediæ* in *Galerii* ditione *Maximinus*. Hæ notæ alteri anno non conveniunt quàm qui numeratur in Æræ *vulgari* CCCXI. Proximus enim *November* anni CCCXII. in X. Perſecutionis annum incurrit ab ejuſdem anni *Terminalibus* inchoatum. Sic annos *ſolidos* XI. duntaxat abſolverit *Petrus*, partem anni XII. admodùm modicam attigerit, quæ fuerit nimirum inter *Sept.* XXVII. & *Nov.* XXV. contenta. Ad eundem plane modum quo & in anno *Theonæ* XIX. factum oſtendimus. Atque ex hoc fine Succeſſionis *Alexandrinæ* certiſſimo illud etiam conſtat rectè nos ſupradictum *Primi* biennium à rationibus *Euſebianis* excluſiſſe, utcunque refragantibus hodiernis *Euſebii* antiquiſſimiſque, quotquot habemus, Exemplaribus.

Hiſt. Eccl. VII. 31.

Euſeb. H. E. VIII.

Credi-

Credideram equidem aliquando annos *Imperatorum* quibus *Pontifices Alexandrinos* conjunxit *Euſebius*, ex *Autoribus* illum didiciſſe; atque ita annos illos redundantes in universâ ab *Aniano* ad *Petrum* Succeſſione conciliari poſſe, quòd cum annos *ſolidos* duntaxat numeret *Euſebius*, minutias annorum nullas ex Autoribus ipſe didiciſſet, ita factum ſit ut annos nonnunquam *mutilos* pro *ſolidis* numerârit, redundentque adeo in ſummâ universâ duo treſve anni, quos ille mutilos pro ſolidis accepiſſet. Fecit ut ita crederem quòd ſic fere ſolerent Scriptores *Orientales* res in *Oriente* geſtas Succeſſioneſque certis *Imperatorum* annis alligare, quas quidem in *Romani* Imperii uſum conſcriberent. Nec enim aliam habebant Epocham, quæque adeo poſſet per univerſum, quà patebat, Imperium intelligi. Deſiit fere in uſu eſſe Epocha ab *Urbe Condita* poſt *Imperatores*. Seriùs autem innoteſcebant in *Oriente* ſingulorum annorum *Conſules* quàm ut per illos poſſent res in *Oriente* Hiſtoricæ commodè accurateque deſignari. Sic itaque reliquis *Paleſtinæ* Principibus annum *Tiberii* tanquam omnium notiſſimum adjunxit S. *Lucas* quo cœperit Evangelium prædicare Dominus. Sic multis in locis *Joſephus*. *Agrippæ* majoris Principatum *Caii* annis & *Claudii* deſignat: *Philippi* obitum anno, quo deceſſerit, *Tiberii*. *Herodis Chalcidenſis* Regnum annis ſimiliter concluſit quibus fuerit ingreſſus mortuuſque *Claudii*. Sic & initium Belli *Judaici* XII. *Neronis* anno, & captam Urbem *Hieroſolymitanam* II. anno *Veſpaſiani*, & clauſum, in *Ægypto* quoque, Templum Judæorum *Heliopolitanum* IV. etiam ejuſdem *Veſpaſiani*. Unde intelligimus ſic etiam tempora ſua conſignare ſolitos *Ægyptios*. Mitto alia, quæ ex uno *Joſepho* colligi plura poſſent quàm quæ hîc commemorare vacet, exempla. Sic anno *Hadriani* Belli ſub *Barcochebâ* Judaici tempus notavit *Ariſton Pellæus*. Ejuſdem *Hadriani* anno mortem etiam *Baſilidis* Hæretici, ſeu *Agrippa Caſtor*, ſeu alius quiſpiam antiquus Autor qui rem geſtam proximè attigerit. Sic & Præfecturas *Alexandrinas Caii* annis *Philo*. §. 22.

Hæc equidem habemus exempla è paucis illis quæ extant veterum Scriptorum *Orientalium* monumentis, è paucis rurſùs rerum geſtarum notis *Chronologicis*. Refragatur tamen quo minùs id credamus hâc, de quâ agimus, causâ fuiſſe verum, quòd tantam viderimus in annis *Imperatorum* cum *Pontificum Alexandrinorum* annis committendis, *Hiſtoriæ* Euſebianæ atque *Chronici* diſcordiam, quæ certè tanta non eſt in annis *Pontificum* ex *Autorum* fide depromptis. Refragatur præterea quòd ſiquando annos Imperatorum *ſolidos* aliter numeret *Euſebius* in *Hiſtoriâ* quàm numerâſſet in *Chronico*, diſcrepantia illa in annis *Imperatorum* ſimilem prorsùs pariat in *Pontificum* annis conſignandis diſcrepantiam, quæ tamen nulla utique futura erat ſi annos ipſos *Imperatorum* quibus ſucceſſerint *Epiſcopi*, *Euſebius* ex *Autoribus* hauſiſſet. *Annos* itaque *Pontificum* è *Libris* habuit *Euſebius* plerunque in utroque Opere invicem conſentientiſſimos, *ſolidos* tamen illos & rotundos, non utique cum minutiis accuratos. Annos etiam *Imperatorum* quibus ſucceſſerint *Pontifices* recentiſſimi proximique ſuæ memoriæ, hos etiam è *Traditione* colligere potuit & *Archivis*, ſiqui tamen fuiſſent in *Archivis* annotati. Reliquos ad initium *Anioni* è retrorſum actâ ſupputatione collegit, non notis *Hiſtoricis*. Nec enim geſta *Alexandrinorum Pontificum* ante *Demetrium* ulla legimus, ne quidem in *Paſchali* illâ controverſiâ celeberrimâ quæ Eccleſiam Catholicam fere univerſam exercuit, unde notam aliquam *Hiſtoricam*, quæ poſtea perierit, ſaltem ipſe colligere potuerit *Euſebius*. Ita duplici errori obnoxia erit omnis illa per annos fere CLXX. retrorſum acta ſupputatio, ſeu *ſolidi* non fuerint anni *Pontificum*, ſeu etiam *Imperatorum*, qui ſolidi omnes ſupponuntur.

Romano-

Romanorum Pontificum *Alexandrinorum*que Chronologia *Euſebiana*, ad annos *Imperatorum* tam *Euſebianos* quàm *veros*, annoſque *Chriſti* veros, comparata.

Roman. Pontificum.		*Imperatorum* pro rationibus *Euſebii.*	*Imperatorum* pro rationibus *veris.*	*Chriſti* pro Ær. vulg.
		Claudii.	*Claudii.*	
S. *Petrus* annis XXV. ♈		2	1/2	42
1/2		3	2/3	43
2/3		4	3/4	44
3/4		5	4/5	45
4/5		6	5/6	46
5/6		7	6/7	47
6/7		8	7/8	48
7/8		9	8/9	49
8/9		10	9/10	50
9/10		11	10/11	51
10/11		12	11/12	52
11/12		13	12/13	53
12/13		14	13/14 *Neron.* ♈	54
		Neronis.		
13/14		1	1/2	55
14/15		2	2/3	56
15/16		3	3/4	57
16/17		4	4/5	58
17/18		5	5/6	59
18/19		6	6/7	60
19/20	Pontif. *Alexan.*	7	7/8	61
20/21	*Anian.* an. XXII. ♈	8	8/9	62
21/22	1/2	9	9/10	63
22/23	2/3	10	10/11	64
23/24	3/4	11	11/12	65
24/25	4/5	12	12/13	66
25/26	5/6	13	13/14	67
Linus an. XII. ♈				

Chriſti

Christi pro Ær. vulg.	*Imperatorum* pro rationibus vestris.	*Imperatorum* pro rationibus *Eusebii*.	Pontificum *Romanor.*	Pontificum *Alexandrinor.*
68	*Neron.* 13	*Neronis*	*Lini* 1	*Aniani* 8
	Galb. 7	14	2	9
69	*Galbæ* 1	*Vespasiani*	3	10
	Othon. & *Vitel.* 1	1		
	Vespas. 7			
70	8	2	4	11
71	9	3	5	12
72	10	4	6	13
73	11	5	7	14
74	12	6	8	15
75	13	7	9	16
76	14	8	10	17
77	15	9	11	18
78	16	*Titi* I	12	19
79	17	2	*Anencl.* 12	20
	Tit. 7		an. XII. 7	
80	8	3	1	21
81	9	*Domitian.*	2	22
	Domit. 7	1		
82	8	2	3	23
83	9	3	4	24
84	10	4	5	*Avol.* an. XIII. 12
85	11	5	6	1
86	12	6	7	2
87	13	7	8	3
88	14	8	9	4
89	15	9	10	5
90	16	10	11	6
91	17	11	*Clemens* 12	7
			an. IX. 7	
92	18	12	1	8
93	19	13	2	9
94	20	14	3	10

Ponti-

Pontificum *Romanor.*	Pontificum *Alexandr.*	*Imperatorum pro rationibus Euſebii.*	*Imperatorum pro rationibus veris.*	*Chriſti p⁹ Æra vulg.*
Clementis	*Avilii*	15		95
		16	*Nervæ*	96
		Nervæ		97
	Cerdo an. XI.	1	*Trajani*	
		Trajani	cum *Nero.* | poſt *Nero.*	98
		2		99
		3		100
Euareſtus an. VIII.		4		101
		5		102
		6		103
		7		104
		8		105
		9		106
		10		107
Alexander an. X.	*Primus* an. X.	11		108
		12		109
		13		110
		14		111
		15		112
		16		113
		17		114
		18		115
		19		116
		Hadrian	*Hadrian*	117
Xyſtus an. X.	*Juſtus* an. XI.	2		118
		3		119
		4		120
		5		121

Chriſti

Christi pro Æra vulg.	*Imperatorum* pro rationibus veris.	*Imperatorum* pro rationibus *Eusebii*.	Pontificum *Romanor.*	Pontificum *Alexandr.*
122	1/2	6	*Xysti* 8/1	*Justi* 8/1
123	8/7	7	1/2	1/2
124	2/8	8	8/7	8/7
125	8/9	9	2/8	2/8
126	9/10	10	8/9	8/9
127	10/11	11	9/10	9/10
128	11/12	12	*Telesphorus* an. XI. 12/1 in Tabulis X. 1	10/11
129	12/13	13	1/2	*Eumenes* an. XIII. 12/1
130	13/14	14	8/1	1/2
131	14/15	15	1/4	8/1
132	15/16	16	8/1	1/4
133	16/17	17	1/2	8/1
134	17/18	18	8/1	1/6
135	18/19	19	2/8	8/1
136	19/20	20	8/1	2/8
137	20/21	21	2/10	8/1
138	21/1 *Pii* 1	*Pii* 1	12/1 *Hyginus* an. IV. 1	2/10
139	1/2	2	1/2	10/11
140	2/1	3	8/1	11/12
141	1/4	4	1/4	12/1
142	8/1	5	8/1 *Pius* an. XV. 1	1/1 *Marcus* an. X. 1
143	1/2	6	1/2	1/2
144	8/1	7	8/1	8/1
145	1/4	8	1/4	1/4
146	8/1	9	8/1	8/1
147	1/10	10	1/6	1/6
148	10/11	11	8/1	8/1

Ponti-

Pontificum *Romanor.*	Pontificum *Alexandr.*	*Imperatorum pro rationibus Euſebii.*	*Imperatorum pro rationibus veris.*	*Chriſti pro Ær. vulg.*
Pii	*Marci*	12		149
		13		150
		14		151
	Celadion an. XIV.	15		152
		16		153
		17		154
		18		155
		19		156
		20		157
Anicetus an. XI.		21		158
		22		159
		23		160
		Marci 1	*Marci*	161
		2		162
		3		163
		4		164
		5		165
	Agrippinus an. XII.	6		166
		7		167
		8		168
Soter an. VIII.		9		169
		10		170
		11		171
		12		172
		13		173
		14		174

Christi pro Ær. vulg.	*Imperatorum* pro rationibus veris.	*Imperatorum* pro rationibus Eusebii.	Pontificum *Romanor.*	Pontificum *Alexandr.*
175		15	*Soteris*	*Agrippini*
176		16	*Eleutherus* an. XV.	
177		17		
178		18		*Julianus* an. X.
179		19		
180	*Commodi*	*Commodi* 1		
181		2		
182		3		
183		4		
184		5		
185		6		
186		7		
187		8		
188		9		*Demetrius* an. XLIII.
189		10		
190		11		
191		12	*Victor* an. X.	
192		13		
193	*Severi*	*Severi* 1		
194		2		
195		3		
196		4		
197		5		
198		6		
199		7		
200		8		

Ponti-

Pontificum *Romanor.*	Pontificum *Alexandr.*	*Imperatorum pro rationibus Eusebii.*	*Imperatorum pro rationibus veris.*	*Christi pro Ær. vulg.*
Victoris 12				
Zephyrinus an. XVIII.	*Demetrii* 13/14	9	8/9	201
7				
1/8	14/15	10	9/10	202
2/9	15/16	11	10/11	203
3/10	16/17	12	11/12	204
4/11	17/18	13	12/13	205
5/12	18/19	14	13/14	206
6/13	19/20	15	14/15	207
7/14	20/21	16	15/16	208
8/15	21/22	17	16/17	209
9/16	22/23	18	17/18	210
10/17	23/24	*Caracallæ* 1	*Caracal.* 7	211
11/18	24/25	2	1/8	212
12/19	25/26	3	2/9	213
13/20	26/27	4	3/10	214
14/21	27/28	5	4/11	215
15/22	28/29	6	5/12	216
16/23	29/30	7	6/13	217
17/24	30/31	*Macrin.* 1	*Macrin.* 7	218
18/25	31/32	*Elagabali* 1	*Elagab.* 4	219
19			5	
Callistus an. V. 7		2		220
1/8	32/33	3	1/8	221
2/9	33/34	4	2/9	222
3/10	34/35	*Alexandri* 1	*Alexandr.* 7	223
4/11	35/36	2	1/8	224
5/12	36/37	3	2/9	225
Urbanus an. VIII. 1/7	37/38	4	3/10	226
2/8	38/39		4/11	
3/9			5/12	

Christi pro Ær. vulg.	*Imperatorum* pro rationibus veris.	*Imperatorum* pro rationibus *Eusebii*.	Pontificum *Romanor.*	Pontificum *Alexandr.*
227	1/6	5	*Urbani* 1/8	*Demetrii* 32/40
228	6/7	6	8/1	38/41
229	1/6	7	1/6	41/43
230	8/9	8	8/7	44/43
231	2/10	9	7/6	*Heraclas* an. XVI. 44/9
232	10/11	10	*Pontianus* an. V. 8/9	1/3
233	11/12	11	2/3	4/7
234	12/13	12	3/3	1/4
235	12	13	4/4	8/7
	Maxim. 1			
236	1/3	*Maximini* 1	8/3	1/4
237	2/1	2	*Anteros* mens. 1. 1/8	5/7
	Max & Balb.		*Fabianus* an. XIII. 1	
238	*Gordian* 1	3	1/3	7/8
239	1/2	*Gordiani* 1	4/1	8/9
240	2/3	2	1/4	9/10
241	3/4	3	8/7	10/11
242	4/1	4	1/6	11/12
243	1/6	5	8/7	12/13
244	8	6	7/8	13/14
	Philip. 1			
245	1/3	*Philippi* 1	8/9	14/15
246	2/1	2	9/10	15/16
247	3/4	3	10/11	*Dionysius* an. XVII. 16/9
248	4/1	4	11/12	1/2
249	1/6	5	12/13	2/3
	Decius 1			
250	1/3	*Decii* 1	13	3/4
251	2/1	2		4/7
	Gal. & Vol. 1			
252	1/3	*Galli & Volusiani* 1.		5/8

Ponti.

Pontificum *Alexandr.*	*Imperatorum* pro rationibus *Euſebii.*	*Imperatorum* pro rationibus *veris.*	*Chriſti* pro Ær. *vulg.*
Dionyſii 9 7	2	1 *Gallienus* 7	253
2 8	*Gallieni* 1	1 2	254
8 9	2	1 3	255
9 10	3	1 4	256
10 11	4	1 5	257
11 12	5	1 6	258
12 13	6	1 7 *Gallien. ſolus*	259
13 14	7	1 8	260
14 15	8	1 9	261
15 16	9	1 10	262
16 17	10	1 11	263
12 *Maximus* an. XVIII. 7	11	1 12	264
1 2	12	1 13	265
1 3	13	1 14	266
1 4	14	1 15	267
1 5	15	11 *Claudius* 7	268
1 6	*Claudii* 1	1 2	269
1 7	2	1 3 *Aurelian.* 7	270
1 8	*Aurelian. &c.* 1	1 2	271
1 9	2	1 3	272
1 10	3	1 4	273
1 11	4	1 5	274
1 12	5	1 *Tacitus* 7	275

Chriſti

Christi pro Ær. vulg.	Imperatorum pro rationibus veris.	Imperatorum pro rationibus Eusebii.	Pontificum Alexandr.
276	Florianus 1/2 Probus 1/2	6	Maximi 11/13
277	1/2	Probi 1	12/14
278	2/3	2	13/15
279	3/4	3	14/16
280	4/5	4	15/17
281	5/6	5	16/18
282	6/7 Carus, &c. 1/2	6	Theonas an. XIX. 1/2
283	1/2	Carus cum filiis 1	1/2
284	1/2 Dioclet. 1/2	2	1/2
285	1/2	Diocletianus 1	1/4
286	2/3	2	2/5
287	3/4	3	3/6
288	4/5	4	4/7
289	5/6	5	5/8
290	6/7	6	6/9
291	7/8	7	7/10
292	8/9	8	8/11
293	9/10	9	9/12
294	10/11	10	10/13
295	11/12	11	11/14
296	12/13	12	12/15
297	13/14	13	13/16
298	14/15	14	14/17
299	15/16	15	15/18

Ponti-

	Pontificum *Alexandrinor.*	*Imperatorum* pro rationibus *Eusebii.*	*Imperatorum* pro rationibus *veris.*	*Christi* pro Æz. *vulg.*
	Theonæ 19/19	16	16/17	300
	Petrus an. xii. 1/2	17	17/18	301
	2/3	18	18/19	302
	3/4	19	19/20	303
	4/5	20	20/21	304
	5/6	*Galerius* solus 1	21 *Constantius Chlorus.* 1/7	305
	6/7	2	1 *Constantinus M.* 1/7	306
	7/8	*Constantinus* 1	1/2	307
	8/9	2	1/1	308
	9/10	3	1/6	309
	10/11	4	2/7	310
	11/12	5	1/6	311

CAP.

CAP. VII.
Occidentalium Catalogorum *fontes.*

§. 1. *Primus Catalogus, ſi verè fuiſſet ævi* Liberiani, *recentiorum* interpolationes *meritò* ſuſpecti *habendi eſſent.* §. 2. *Sed multa in eo* ſuſpecta *ne fuerint ævi* Liberiani. §. 3. Menſes & dies *in primo etiam Catalogo probabile eſt fuiſſe* fictitios. §. 4. *Primus Catalogus admodum diverſus ab eo qui fuit (ſi tamen* ullus *fuerit) ævo* Liberii. §. 5. Latinorum *Catalogorum* hodiernorum *omnium fons Autor Anonymus, qui ſcripſit ſub* Alexandro Severo. §. 6. *E* Cyclis *recentiorum* Paſchalibus *ad uſus* Chronologicos *accommodatis, acceſſerunt poſtea* Imperatores & Coſſ. *Cyclum* Hippolyti, *adhibuiſſe videtur Anonymus ſub* Alexandro Severo. §. 7. *Anonymum ſecutus eſt Autor* Computi *S.* Cypriano *attributi.* §. 8, 9. Africani Chronicon *per Faſtos* Conſulares *ad ſua tempora deductum, novis deinde Faſtis* Conſularibus *continuârunt recentiores. Probatur è Fragmento Codicis MS.* Mertonenſis. §. 10. *Inde* recentiorum *Faſtos emanâſſe veriſimile eſt. Cum Faſtis* Idatianis *maximè conveniunt Catalogi* Latini.

§. 1. SIC itaque *Euſebianam* Romanorum *Pontificum* Chronologiam exploravimus. Age, jam alterius quoque Catalogi

Catalogi *Latini* numeros ſimiliter exploremus. Mira autem erat hoc in loco recentiorum audacia, ne quidem monumenta quæ habebant fideliter exſcribentium, ſed pro ſuo, ut videtur, arbitrio nunc hoc nunc illo ordine tranſponentium, additis ſubinde novis, quæ in *antiquiſſimis* Catalogis nulla prorſus extabant, commentis. Tres enim habemus hujus Catalogi omnino *fontes* unde reliquæ exſcribentium omnes quaſi *ſcaturigines* oriuntur, alium alio commentis auctiorem atque locupletiorem. Recentiſſimus ille eſt qui vulgò *Damaſo* & *Anaſtaſio* tribuitur, ſub Sæculi *Octavi* finem, aut *Noni*, ut videtur, initium, à neſcio quo Anonymo Autore concinnatus. Hunc vulgo, *Martyrologia*, *Breviaria*, aliique id genus Libri *Eccleſiaſtici* fontem agnoſcunt, ipſi nimirum plerique poſtea concinnati, quique adeo nobis alio nomine utiles eſſe non poſſint quàm ad indicandas *recentiorum*, quibus vixerint eorum Autores, *temporum* Lectiones. Prodidit hic *Pontificum* non modò *nomina* & *tempora*, ſed & *Parentes* etiam atque *Patrias* & *loca* ipſa quibus fuerint *ſepulti*; quin & *Ordinationes* & *Decreta*, ipſa quoque è Pſeudo-*Iſidori* mercibus utplurimùm deſumpta, eorundem nempe temporum impoſturis; denique & *dies* quibus ſedes *vacaverit*. Secundum Catalogum primus edidit *Heinſchenius*, *Juſtiniano* Imperante ſcriptum, in quo dies *vacationis* nullos, Decreta *pauciora*, legimus, addita nimirum illa à tertii Catalogi Impoſtore. Primus omnium ſimpliciſſimus habetur quem primus Faſtis ſuis inſeruit *Cuſpinianus*, ſeorſim deinde edidit *Bucherius*, ſcriptum nempe ſub *Liberio*, paulo poſt *Euſebium*. Nullos hîc habemus ſeu *Parentes* ſeu *Patrias*, nec loca *ſepulturæ*, nec *dies vacationis*; ſed nec *Ordinationes* nec *Decreta* poſtea pleraque conficta. Unde intelligimus hæc omnia, nullo prorſus *Hiſtorico* Teſtimonio, cum in ſui *temporis* Pontificibus fuiſſent notiſſima, etiam in vetuſtioribus confinxiſſe recentiores. Hîc ſola legimus Pontificum *nomina* atque *tempora* cum *Imperatoribus* & *Coſſ.* quibus Pontificatum acceperint aut in Pontificatu ipſo Succeſſores.

Et cum nulla extent Veterum monumenta unde Additamenta ſua haurire poſſent recentiores illi hujus vetuſtiſſimi, qui habetur, Catalogi interpolatores, ſed nec memoria quidem extet ulla monumentorum deperditorum eâ Interpolatorum ætate extantium quæ non viderint *Bucherianî* Catalogi collectores; nec verò prorsùs veriſimile ſit, ſiqua olim extitiſſent id genus monumenta, ſeu ignorari ea potuiſſe ab antiquiſſimo *Bucherianî* Catalogi Autore, ſeu datâ etiam operâ præteriri: Proinde fateor mihi, in antiquiſſimorum, de quibus agimus, Pontificum temporibus ea omnia eſſe ſuſpecta quæcunque ſua addiderint *ſecundi tertiive* Catalogi Interpolatores. Si tamen illi potiùs *Interpolatores*, quàm primi Catalogi Autor *Contractor*, fuerit appellandus.

§. 2. Quare ſi ſincerum haberemus Catalogum illum *primum*, & qualis potuit è *Liberiani* ævi monumentis hauriri, non aliunde meliùs Eccleſiæ *Romanæ* Traditiones de ſuorum Pontificum ſucceſſione diſceremus. Nunc in eo multa alter concepta legimus quàm fuerint pro illorum temporum monumentis concipienda, multa invicem pugnantia, & de manifeſtâ ordinis perturbatione ſuſpecta, partim illa oſcitantiſſimis Librariis, partim etiam imperito Autori fortaſſe tribuenda, dum ſuas Veterum Teſtimoniis *conjecturas* immiſceret, & quidem illas futiliſſimas. Longe certè illum à *Liberianis Latinorum* Pontificum Faſtis diſceſſiſſe facilè colligimus è coævis aliis illorum temporum Teſtimoniis. Faciunt id manifeſtum *Auguſtinus* & *Optatus*. Optatus (inquam) *Latinâ* Euſebiani *Chronici* verſione ſenior, ne aliunde illum ſua quàm è *Latinorum* Catalogis deprompſiſſe ſuſpicemur. *Cletum* illi alium neminem agnoſcunt ab *Anacleto*, quod tamen facit hic Anonymus *Bucherianus*. In quo etiam ſuffragatores habent duos quoque alios Catalogos editos à *Mabillonio*, quorum alius ad *Vigilium* uſque pertingit, ſub *Juſtiniano*, ut videtur, proinde conſcriptus, reſpondetque fere Catalogo ſecundo *Heinſcheniano* ſub eodem *Juſtiniano* ſimiliter confecto;

Anaſect. Tom. III.

confecto; alius vetus ille quidem, ſed illo tamen aliquanto recentior. Hi proinde è *ſinceriorib*us emanâſſe videntur *Latinorum* Catalogorum Exemplaribus quàm ſit illud *Bucherianum*. *Græcam* tamen, fateor, in priore illo Catalogo *Mabillonii* prodit originem nomen ipſum *Pii* quem *Oſius* Autor appellavit. Idem enim valet *Græcis* Ὅσιος quod *Latinis Pius*. Sed fieri poteſt ut è *Græcis* fontibus prodierint *primi* quoque illi *Latinorum* Catalogi. Fieri etiam ut *Græcè* Catalogos conceperint *Latini* quoque illorum temporum Autores. *Græcè* enim ſcripſerunt vetuſtiſſimi *Romanæ* Eccleſiæ Scriptores quos habemus primi Sæculi omnes, *Clemens* atque *Hermas*. *Græcâ* enim linguâ uſi videntur *Libertini* illi *Judæi* qui maximam Eccleſiæ *Romanæ* partem, primis illis præſertim naſcentis Eccleſiæ temporibus, conſtituebant. Qui enim *Libertini* appellantur *Act.* VI. 9. iidem *Helleniſtis* accenſeri videntur, v. 1. Et fieri poteſt ut ad *Hadrianum* uſque, ſub quo primos *Hæreticos* ortos diximus, atque eâ occaſione primos ſuccedentium Epiſcoporum Catalogos confectos, unà lingua quoque *Græca*, antea vernacula, deſcenderit. Nomina certè *Romanorum* Pontificum ad initium Sæculi tertii, vix alia fere quàm *Græca* legimus. Et quidem ſi ab *Hegeſippo* aut *Hippolyto* primi *Latinorum* Catalogi deſcenderint; cum *Græcè* illos ſcripſiſſe manifeſtum ſit, proinde non eſt quòd miremur *Helleniſmi* reliquias in primis quoque *Latinorum* Catalogorum Excriptoribus apparere. Sed nec *Cletum* illum inſititium agnoſcit *Hieronymus*, dum *Clementem*, pro ſententiâ *Græcorum* IV. numerat à *Petro*, II. duntaxat, pro ſententiâ *Latinorum*. *Linum* nimirum atque *Anacletum*, unicum nimirum illum, non à *Cleto* alium inſerebant medios inter *Petrum Clementem*que Græci, poſtpoſitos in Catalogis *Latinorum*. *Cletum* itaque ut primus inſeruerit Autor iſte *Bucherianus*, non tamen ille pro fide receptiſſimorum apud *Latinos* Catalogorum inſeruit, nec fuit ipſe apud *Latinos* illius Sæculi Scriptores receptiſſimus. Tantum abeſt ut pro Archivorum *Romanorum* Teſtimonio publico reciperetur.

§. 2. Neque verò hoc unum novavit Autor Catalogi *Bucherіani*, quòd ſuppoſititium illum *Cletum* primus inſeruerit, omnemque adeo Catalogi univerſi Chronologiam ita perverterit; Sed & illud quoque, quòd præter annos, *menſes* etiam & *dies* addiderit. Hos certè illum confinxiſſe vel illud argumento eſt, quòd ſuppoſititio ſuo *Cleto menſes* etiam *dieſque* aſſignaverit, & quidem alios illos à *menſibus dieburque Anacleti*, quos utique ab antiquioribus Catalogis habere non potuit qui ne *Cletum* quidem agnoſcebant alium ab *Anacleto*. Dies primorum Pontificum, ſeu *Conſecrationis*, ſeu *emortuales*, nullos habuiſſe compertos vel inde intelligimus, quòd, cum recentiorum *dies*, quorum memoriam Faſti & Catalogi conſervârant, notet ille diligentiſſimè, idem tamen non faciat in *primis* antiquiſſimiſque Pontificibus. Nullos illorum *dies* notat, ſeu quibus *mortui* fuerint, ſeu etiam quibus *Conſecrati*. Nec in *Catalogo* illos memorat, nec in Epiſcoporum Martyrumve *depoſitionibus*, cum tamen ex quo exploratos habebat, deinde in Epiſcopis pleriſque memorârit. Mortem *Domini* notavit, pro *Cycli* nimirum quem ſecutus eſt, *Paſchalis* initio. Mortem etiam S. *Petri*, pro recepto itidem ſuâ ætate Apoſtoli *Anniverſario*, quo tamen die, non *Martyrii* ſub *Nerone*, ſed *Tranſlationis* ſub *Valeriano*, memoriam, è *Martyrum Depoſitionis* menſe *Junio*, celebratam eſſe conſtat. Reliquorum *dies* in *Catalogo* nullos legimus, ſeu *Conſecrationis* illos, ſeu *emortuales*, ante *Pontianum*. In *Depoſitione* item Epiſcoporum *Lucius* memoratur omnium antiquiſſimus, *Calliſtus* autem in *Depoſitione Martyrum*. Qui autem *dies* quibus cœperint Epiſcopi, obierintve, penitùs neſcivit, quo, quæſo, modo ille *menſium dierumve* minutias ſcire potuit? Neſcitos itaque cum tradiderit tamen, oportet confinxiſſe. Repererat nimirum in ſui ævi Catalogis *menſes* etiam & *dies* quibus ſederint *Pontifices*, pro exemplo *Imperatorum* quorum tempora ita etiam tradiderant vetuſtiores, cum tamen *dierum* nullam conſervaverant, memoriam in *Kalendariis Chriſtiani*, ut conſervaverant in

Ka-

Kalendariis Gentiles Imperatorum. Hoc ille tamen exemplo & reliqua ſupplere commentis ſuis auſus eſt, ad primam uſque Succeſſionis illius originem. Nuſpiam certè ſibi *conſtare* deceſſorum ſucceſſorumque nexus jampridem experti ſunt hujus Catalogi veneratores addictiſſimi, etiam ubi ſatis inter ſe Codices Excriptoreſque conſentiunt. Nedum ut cum *diebus vacantis* ſedis conſentiant, quos primus excogitavit, ut vidimus, Catalogi recentioris interpolator. Novis enim indies, uti dixi, commentis auctior in Librum illum, quem habemus, *Pontificalem* Catalogus iſte *Bucherianus* excrevit. Sed cum *dies* adderet *menſeſque* Impoſtor, memorias plerorumque in *Depoſitione Epiſcoporum Martyrologioque* addito nullas fuiſſe conſtat. Viſum poſteris & illis quoque *dies* in *Kalendariis* ſuis aſſignare, non quidem *ewortuales*, quos nullos conſervaverant monumenta; ſed Reliquiarum ſeu *inventarum*, ſeu *depoſitarum*, ſeu *tranſlatarum*, qui non erant utique ad Succeſſionem illam accommodandi.

Quare Catalogum illum *Bucherianum*, quanquam *Latinorum* hodiernorum fortè antiquiſſimum, ut tamen illum qualem reliquit Autor, haberemus; non tamen cenſeo pro *normâ* ſtatuendum eſſe Chronologiæ *Pontificiæ* quæ quidem illo Sæculo obtineret apud *Latinos*. Liberandus eſt ab Autoris *conjecturis* ante quàm conſtare poſſit quid ipſe apud ſuos repererit *Autores*, Liberandus etiam à *mendis* Librarii quas hic fœdiſſimas habemus. Poſſent hoc in loco utiles eſſe alii ejuſdem Operis Codices MSS. quos cum nactus eſſet *Labbæus*, miror ille cur in MSS. Codicum *Bibliothecâ* prætermiſerit. Nobis adeo felicibus nondum eſſe contigit. Unicum habemus Nos editum ab *Heinſchenio*, à *Bucheriano* Codice diverſiſſimum, quanquam ipſe id non obſervaverit *Heinſchenius*. Poſſent etiam utrobique utiles eſſe *recentiores* alii Catalogi, ſi & ipſi ſinceri eſſent atque incorrupti, rectèque ſaltem illorum Autorum ſententiam repræſentarent quos ipſi ſequerentur. *Menſes* certè & *dies* nullos Pontificum memorant *Græci*, nec *Euſebius*.

§. 4.

Labb. Catalog. MSS.

Euſebius ipſe, nec alii illi quos ſecutus eſt *Eutychius*. Proinde ab iiſdem fontibus veriſimile eſt manâſſe *menſium* etiam ac *dierum* Catalogos *Mabillonianos*, unde ſua etiam hauſit Autor *Bucherianus*, *Latinis* nimirum illis atque *Occidentalium*. Et tamen *Cletum* illi ab *Anacleto* alium neminem, ut vidimus, agnoſcunt. Proinde tales illorum Autoribus ob oculos Catalogos fuiſſe conſentaneum eſt, quales fuerunt *Auguſtino*, quales etiam (ante *Euſebiani Chronici* verſionem) *Optato*. Non ergo à Catalogo *Bucheriano* ſua immediatè hauſerunt, ſed à communi potiùs & ſinceriori monumento. Quanquam etiam eódem redeat ſi *Bucheriani* Catalogi Excriptores, errores tamen Autoris ſui ex antiquioribus *Bucheriano* Autore monumentis judicio ipſi proprio correxerint. Sic enim *Latinorum* Traditiones, quas quærimus, antiquiſſimas repræſentabunt. Nec illi modò, etiam recentiores Catalogi *Bucheriani* interpolatores alium tamen nonnunquam *ordinem* exhibent quàm Autor *Bucherianus*. Id illi Librariorum erratis, propriiſne freti conjecturis, an fide etiam antiquiorum fecerint, ſuo loco diſquirendum eſt.

§. 5. Præcipuam verò huic omni, quo verſamur, Argumento lucem fœnerabitur ſi & *Bucheriani* Catalogi fontem & coævorum *Liberianis* temporibus *Latinorum* altiùs indagemus. Inde enim intelligemus quid illi ex *Autorum* fide, & quàm firmâ illâ didicerint, quid verò propriis debuerint *conjecturis*. Fontem *Latinorum* ego Anonymum illum qui ſcripſit ſub *Alexandro Severo*, primùm à *Caniſio*, tum & à *Labbæo* editum. Caput ipſum quo egit de *Romanis Epiſcopis* periit in utriuſque MSS. ingenti Chronologiæ Eccleſiaſticæ detrimento. Extat tamen Capitis Lemma Lemmati *Bucheriano* adeo ſimile, ut vix locum dubitandi relinquat quin inde ſua mutuatus fuerit Autor iſte *Bucherianus*. Sic enim habet Lemma Anonymi ſub Alexandro Severo: *Nomina Epiſcoporum Romæ, & quis quot annis præfuit.* Sic autem Lemma Autoris Bucheriani: *Ex quo tempore per Succeſſionem diſpoſitum, QUIS Epiſcopus, & QUOT ANNIS PRÆ-*

PRÆFUIT, vel quo Imperante. De *menſibus* itaq; & *diebus*, de *Imperatoribus* & *Coſſ.* ſub quibus ſedem inierint Epiſcopi Romani, aut Succeſſores acceperint, nihil illum, quicunque fuerit, Autorem prodidiſſe, ex ipſo Capitis illius Lemmate colligimus, ſed recentiorum novis aliis inventis hæc eſſe aſſignanda. Hæc itaque etiam unde acceſſerint jam porro diſquirendum eſt.

Ego novis recentiorum *Cyclis Paſchalibus* acceſſiones illas deberi ſuſpicor. Poſtquam enim eſſet de *Paſchate* ſub *Victore* diſputatum, & in eo conveniſſent Occidentales *Dominico* duntaxat die Paſcha ἀναστάσιμον fuiſſe celebrandum; proxima cura erat ne in *Dominico* illo die ipſi à ſe invicem diſſentirent *Occidentales*, propter varias quas ſequerentur ſupputandi rationes. Quæ certè diſcrepantia *Occidentalium* eò magis erat pro illorum temporum ſenſu receptiſſimo cavenda quòd ægrè *Orientalium* Eccleſiarum diverſos mores tolerandos cenſuiſſent, tam locorum intervallo, quàm commercio magis diſſitarum. Inde factum ut peritiſſimi quique motuum cœleſtium deligerentur, qui non modò *Solarem Lunaremque* motum certo quodam annorum circuitu conciliarent, ſed etiam *feriarum*. In antiquiſſimis equidem *Victorique* ipſi coævis Synodis *Cycli* Canoniſve nullam legimus mentionem, ne quidem in illâ *Theophili*, ſi quidem verè Synodum illam *Theophili* conſervârit *Beda*, quam mihi fateor eſſe ſuſpectam. *Canonem* conſtituit paulo poſtea *Clemens Alexandrinus*. Quis verò Canon ille fuerit, & quibus tandem in Regionibus obtinuerit, penitùs neſcimus, nedum an in *Occidentalibus* receptus fuerit. Primus eorum quos quidem ſcimus *Latinis* Canonem confeciſſe fuit *Hippolytus*, *Græcus* ille quidem, ut videtur, origine, Epiſcopus tamen ſedis *Occidentalis Portuenſis*. Hic vetuſtiſſimam anni *Græci* formam imitatus eſt, qui ſingulis annorum *octonariis* Solis Lunæque motus æquari invicem arbitrati ſunt. Sed *ferias* invicem reſpondere XIV. tandem *Octonario*, ſeu *ſedecennitate* VII. credidit *Hippolytus*. Sic annis §. 6.

annis conſtabat in univerſum CXII. Cyclus *Hippolyti*. Et quidem Myſticis illorum temporum Ratiociniis mirum in modum gratificabatur Cyclus ex *Octonariis* compoſitus. Tam enim apud *Judæos Helleniſtas*, quàm apud *Chriſtianos* ex *Helleniſtis* oriundos, numerus *Octonarius* habitus eſt omnino ſacerrimus, & Oeconomiæ *Evangelicæ* accommodatiſſimus. Et quidem Cyclos ſuos ita retrorſum numerabant Cyclorum conditores ut à primo uſque *Orbis* initio illos arceſſerent, atque illud calculi bene poſiti validum credebant Argumentum, ſi quidem *Orbis* initium in *Cycli* ſui initium incurriſſet, quo etiam concurriſſet locus *Solis* in *Verno Æquinoctio* poſiti cum *Plenilunio*. Illis enim locis poſita duo illa magna Luminaria lucem tenebraſque *ex æquo* diſpertiri credebant, quod quidem in *Creatione* contigiſſe videbantur ſibi è *Græcâ* veteri Scripturarum Interpretatione colligere. Illud rurſus pro alio habebant ἐκβολαῖα Argumento ſi & *nova Creatio* veteri illi *Creationi* reſpondiſſet, ipcurriſſetque adeo *Chriſti* Paſcha in Solis *Æquinoctium* Lunæque *Plenilunium*. Sic itaque retrò numeravit *Hippolytus* ut unà etiam notârit in quem Cycli ſui annum incurriſſent Paſchata omnia in Veteri Inſtrumento memorata, non illud modò *Exodi*, ſed & alia illa *Ezechiæ*, *Joſiæ*, *Eſdræ*, ſed præcipuè illud quo *paſſus* eſt Dominus, Paſcha nimirum πανδόκιον. Perperam enim voces illas Tabulæ *Hippolyteæ* inſertas de neſcio quibus *Judæorum Lectionibus* intellexit Magnus *Scaliger*. Nec aliam *Hippolyto* qui à primo *Alexandri* anno *Canonem* exorſus eſt, ob oculos *Chronologiam* fuiſſe veriſimile eſt quàm recentiſſimam illam *Africani*, quæ fuerat ad annum ſuperiorem *Gratum* nimirum & *Seleucum* Coſſ. perducta, Æræ ſcilicet *vulgaris* annum CCXXI. Nec aliam illi, de quo agimus, Anonymo qui XIII. ſcripſit ejuſdem *Alexandri* anno, Ær. autem *vulg.* CCXXXV. & veſtigia preſſiſſe videtur *Hippolyti*.

Anony-

Anonymum illum, poſt paucos annos, ſecutus eſt Anonymus alius *Afer*, ut videtur, de *Paſchate*, quem edidit Cl. Pater *Oxonienſis* in *Cyprianicis*. Indignum certè qui periret, quicquid ſentiat *Oudinus*. Inde enim intelligimus quo tempore contigerint Feſta *Paſchalia* ætate *Cypriani*, & *Synodi* proinde *Paſchales* quas, pro more illorum temporum, ſtatim à *Paſchate* celebratas eſſe nos docet ipſe *Cyprianus*, quæ certè ſunt ad rem Chronologicam Eccleſiaſticam locupletandam utiliſſima. Eſt enim uſus ille Veterum Scriptorum longe præcipuus, non quòd *facundiam* doceant, aliunde facilè hauriendam; ſed quòd res ætate ſuâ *geſtas*, quæ aliunde diſci non poterant. Sequitur ille, quicunque fuerit, Cyclum *Hippolyti*, paulo tamen, ut ſibi videbatur, excultiorem. A *primo* enim Creationis die calculos ſuos deduxit *Hippolytus*; Noſter potiùs à IV. quo *Solem* ipſum *Lunamque* creatos legerat. Inde factum ut ſinguli anni Canonis illius ſingulis *Hippolytei* Canonis annis non reſpondeant. Idem etiam *Chronologiam* ab *Orbe Condito* ad ſuum uſque, quo ſcribebat, annum deducit Coſſ. *Ariano* & *Pappo* inſignitum, Ær. autem *vulg.* CCXLIII. & celebres in V.T. Feſtos *Paſchales*, pro *Cycli* ſui Hypotheſibus, oſtendit, non aliâ, ut opinor, uſus *Chronologiâ* quàm quâ fuerat uſus *Hippolytus*. Erant & alii apud *Latinos* Cycli ante *Victorium*, primus ille *Judæorum*, quem annorum LXXXIV. fuiſſe diximus, *Alexandrinorum* alius à *Cyrillo Alexandrino*, ut videtur, excogitatus annorum XCV. Sed verò *Occidentalium* omnium antiquiſſimus ille eſt quem dixi annorum CXII. & quo tempore ſcripſit ille ſub *Alexandro Severo* Anonymus, in *Occidente* etiam receptiſſimus. Alius itaque quærendus non eſt ad quem vetuſtiſſimas illorum temporum Traditiones oporteat exigere. §. 7.

Cur verò poſtea *Imperatores* & *Conſules* adjungerent, ea erat, ni fallor, occaſio. Dixi à *Paſchate* quo *paſſus* eſt Chriſtus Cyclorum illorum Eccleſiaſticorum nova repetita eſſe exordia. Annum illum deſignâſſe illis viſus eſt Evan- §. 8.

geliſta *Tiberii* XV. quem quidem illi duobus *Geminis* Coſſ. in Faſtis conſignatum repererant. Proinde Poſteri inde Cyclos ſuos deducebant, alii ab anno *Tiberii* XV. per annos *Imperatorum*, alii à duorum *Geminorum* Conſulatu per Faſtos *Conſulares*, alii utriſque invicem commiſſis & in unum eundemque Canonem aptatis. Sic enim factum eſt ut res geſtas *Canonis Euſebiani*, quas fere ſolas habebant Scriptores Eccleſiaſtici, reciperent ita conſtituti *Canones*. Nec enim illas *Pontificum* annis, nec etiam *Coſſ.* ſed annis duntaxat *Imperatorum*, deſignaverat *Euſebius*. Inde Coſſ. Faſtos Cyclo ſuo DXXXII. annorum accommodatos deducit *Victorius*. Inde etiam *Proſper* Cyclum ſuum alium per Faſtos deducit ſimiliter *Conſulares*, quos tamen altiùs ille non arceſſit quàm à duobus *Geminis*. Ut proinde intelligamus illam *Chronici* illius partem non aliunde natam eſſe quàm è Cyclis *Paſchalibus*. Erant enim apud *Latinos*, antequam *Euſebianum Chronicum* verteret *Hieronymus*, qui *Africani* Chronicon Latinè verterant, Faſtiſque *Conſularibus* aptârant, & diverſis deinde temporibus ad ſuam cujuſque, quâ vixit, ætatem continuârant. Hoc è prædicto bonæ notæ *Chronici Euſebiani* Codice *Mertonenſi* diſcimus, ad cujus finem iſta ſubjuncta legimus:

" *Item ſecundùm Africanum*

Ex Cod. MS. Collegii Mertonenſis.

" *Qui de Temporibus & Hiſtoriis Hebræorum & Græco-*
" *rum & Perſarum & Macedonum cum Alexandrinorum*
" *itemque Romanorum* V. *libris omnia complexus eſt, ab*
" *Adam uſque ad Cataclyſmum Noe anni* IICCXLII. *Item*
" *à Cataclyſmo uſque ad Abraham & tranſmigrationem in*
" *terram Chanaan anni* MXV. *Habitatio omnis generis*
" *Iſrabel in terra Chanaan & in terrâ Ægypti, anni*
" CCCCXXX. *Moyſes in heremo anni* XL. *Hieſus Nave*
" *& qui poſt ipſum Presbyteri an.* LV. *Judicum & ſine*
" *principibus & pacis tempore anni* CCCCXC. *Sacerdotum*

" *&*

" *& Judicûm anni* XC. *Regum Hebræorum anni* CCCCXC.
" *Captivitatis & deſtructionis Hieruſalem anni* LXX. *Per-*
" *ſarum Regnum anni* CCXXX. *Macedonum Principatus*
" *cum Alexandrinis & Ptolemæis anni* CCC. *Et Imperium*
" *Romanorum uſque ad Salvatorem & Reſurrectionem ejus*
" *anni* LXXIV. *In ſe omnes anni in tempus ſupra ſcriptum*
" *anni* V̄DCCXXVI. *Exinde ad Imperium Alexandri, hoc*
ſic
" *eſt, Moricaviti qui Antoninus cognominatus eſt anni*
" CLXXXIV. *Et in Gallum* V. *& in Voluſianum anni*
" XXXI.

ſic
" *Fit ſumma omnis in Conſ. SSS. anni* V̄DCCLXLIII.
" *ſecundùm curſum Solis &* XII. *menſes. Secundum autem*
" *Lunares menſes & computationem Hebræorum qui faciunt*
ſic
" *in ſe menſes* XII.D.XI. *& quadrantem ad electione facta,*
" *qui fiunt anni Lunares* CLXXXV. M. IIII. *Secundum*
" *quam computationem efficiuntur anni in ſe* V̄DCCCCXX.
" M. X. D. IIII. *Item ex Conſule Gallieno ſecundum & Vo-*
" *luſiano uſque in Conſulatum Limenii & Catulini anni*
" CXVIII. *Fit ſumma omnis anni* V̄DCCCXXXVIII. *ſe-*
" *cundum curſum Solis. Item à Liminio & Catulino uſque in*
" *Conſulatum Maximini & Nevittæ CONSS. anni* XIII.

" *Fit in ſumma omnis anni* V̄DCCCLI.

Errores ipſos repræſentavimus ſane fœdiſſimos imperi- §. 9.
tiſſimi Librarii. Nec enim vacat impræſentiarùm alia annotare quàm quæ faciant ad illam, de quâ agimus, cauſam. Illud itaque imprimis conſtat è *Syncello*, annum ipſum quo *Chronicon* ſuum terminavit *Africanus*, fuiſſe primum *Olymp.*250. quo fuerit *Archon Philetus*, *Elagabali* III. Coſſ. *Grato & Seleuco*, à primis nimirum Coſſ. pro *Africani* rationibus, vitioſis tamen illis, DCCXXV. Hæ notæ annum *Chriſti* deſignant CCXXI. pro Ær. *vulg.* Hucuſque igitur *Chronicon* ſuum tam *Archontibus* quàm *Coſſ.* à primis *Syncell.* p.212;

uſque Archontum & Conſulum *initiis* inſignitum deduxiſſe ipſe videtur *Africanus*. Et quidem ſi pro hâc formâ & reliqua deduxerit, cum annis etiam *Imperatorum Coſſ.* alios illum conjunxiſſe conſentaneum eſt, cum hos ipſos *Coſſ.* cum III. *Antonini Elagabali* anno conjunxerit. Nimirum annum illum intelligit, non quo Monarchiam *Alexander* adeptus eſt, ſed quo primùm adoptatus eſt ab *Elagabalo*, & *Cæſar* factus, & *ſocius* in Imperio. Huic Coſſ. paria XXXI. addidit proximus *Africani* continuator ad Conſulatum *Galli* II. & *Voluſiani*, annumque Ær. *vulg.* CCLII. Inde numerat Excerptor ad Conſulatum *Limenii* & *Catulini* annos CXVIII. numeris nimirum tranſpoſitis pro XCVIII. Sic etiam unitate detractâ (qui quidem error erat in Librario adeo mendoſo facillimus) reſpondebit intervallum. Coſſ. enim erant *Limenius* & *Catulinus* anno Ær. *vulg.* CCCXLIX. quouſque Chronologiam illam eandem Faſtoſque deduxit ſecundus ille Continuator. Tertius inde ad decimos tertios Coſſ. progreſſus eſt, ſcripſitque adeo anno CCCLXII. ſub *Juliano*, ut videtur, Apoſtata. Hinc itaque Coſſ. accepit fortaſſe *Scaligeri* barbarus Excerptor, qui ut *Africani* Chronographiam habuit, ſic etiam habuiſſe videtur ejuſdem continuatores. Sed vero *Imperatorum* annos ille per Coſſ. diſtinxit. Sic ergo videmus fuiſſe *Occidentalibus* Faſtos *Latinos* diverſis Autorum temporibus continuatos poſt Anonymum illum quem ſub *Alexandro Severo* ſcripſiſſe diximus, quibus Faſtos *Pontificales* ab illo eouſque deductos ad ſui deinde temporis Coſſ. recentiorum Catalogorum *Pontificalium* concinnatores poſſent etiam ipſi deducere. Nec alios crederem Autori *Bucheriano* Faſtos fuiſſe, ſi quidem verè ſcripſiſſet ſub *Liberio*. Jam enim vidimus paucis admodum ante illum annis ſcripſiſſe ſecundum *Africani* continuatorem.

§. 10. Et quidem Faſtos hoſce *Africani* perpetuâ *Succeſſorum* ſerie continuatos recentiorum Faſtorum omnium fontes fuiſſe crediderim. *Latinos* illorum temporum Faſtos habemus à *Proſpero*, habemus à *Victorio*, habemus à *Caſſiodoro*,

doro, habemus ab *Idatio*, nec enim Fragmenta illa memoranda cenſeo quæ conſervavit Barbarus excerptor, nec notæ melioris illa *Bucherianæ*. Horum Faſtorum duo cum annis etiam conjunguntur Imperatorum, *Proſperi* nimirum illi atque *Caſſiodori*. In *Victorio* res geſtas nullas legimus unde poſſit colligi an illos quoque cum annis *Imperatorum* conjunctos repererit *Victorius*. Sunt tamen in *Idatio* paucæ quæ ex *Euſebio* fuerint aut *Proſpero* deſumptæ, unde ſuſpicio eſt ſatis veriſimilis cum *Euſebiano* Canone illos, ante *Idatium* fuiſſe commiſſos. Ad Coſſ. anni LVIII. hanc apponit notam, *Petrus & Paulus paſſi III. Kal. Jul.* Quæ ille nimirum è *Proſperi* potiùs quàm è ſuâ diſpoſitione collegit. Eoſdem enim Coſſ. *Neronem III. & Meſſalam* primos numerat *Neronis Proſper*. Et primo *Neronis* anno terminare S. *Petri* Pontificatum debuit *Idatius* quem à *Tiberii* XV. inchoârat. Sic *Trajan.* VI. & *Africano* Coſſ. ita obſervavit Idatius: *his Coſſ. Perſecutio Chriſtianorum.* Atqui X. *Trajani* anno, & quidem veris X. anni Coſſ. illam Perſecutionem tribuunt Acta *Ignatii*, tribuit *Euſebius* eorundem Actorum, ut videtur, Teſtimonio. Et quidem X. *Trajani* Coſſ. *Trajanum* VII. & *Africanum* numerat *Proſper*, additque eodem anno fuiſſe *Perſecutionem*. Inde rurſus colligimus res geſtas Eccleſiaſticas ſeu ex *Euſebiano* Chronico, ſeu è *Proſpero*, ſeu ex aliquo Chronographo accepiſſe *Idatium*, qui Faſtos *Conſulares* cum annis *Imperatorum* ita conjunxiſſet, ut tamen non ad *Coſſ.* ſed ad annos potiùs *Imperatorum*, quibus Coſſ. fuiſſent per errorem appoſiti, res geſtæ fuerint, pro Autoris mente, referendæ. Porro *Coſſ.* cum annis *Imperatorum* licentiſſimè nectunt, *Proſper*, Excerptor barbarus & *Caſſiodorus*, nec res geſtas ab *Euſebio* deſumptas cum *Coſſ.* ſed cum Coſſ. potius *loco* committunt. Ita omnia incerta reddiderunt, nec fidem illam merentur, hâc in causâ, *Coſſ.* appoſiti quam mereri cenſuit *Baronius*, *Heinſchenius* atque *Papebrochius*, duplici nimirum nomine fallaces. Imprimis quòd *Faſtos* ipſos *Conſulares* perverterint recentiores Faſtorum deſcriptores,

ſcriptores, omiſſis nimirum, inſertiſque atque tranſpoſitis, pro arbitrio, Conſulibus, ſic illi nimirum ut recentior nemo eundem Coſſ. repræſentet *ordinem* quem in ſuperioribus invenerat. Alium enim habet *Proſper*, alium *Victorius*, alium *Caſſiodorus* & *Idatius*, ne recentiores nominem alios tantò corruptiores quò fuiſſent à primis horum Faſtorum originibus remotiores. Fallunt iterum quòd, ut eodem ordine Coſſ. invicem ubique reſpondiſſent, *Imperatorum* tamen annis, pro arbitrio, rursùs illos adjunxerint Chronicorum Autores, ſic illi videlicet invicem varii ut non *eundem* Imperatoris *ejuſdem* annum deſignent, in diverſis Chronicis, *iidem Coſſ.* Ita factum ut & *ordo* ipſe *Conſulum* incertus ſit, & annus etiam *Imperatoris* incertus à *Coſſ.* deſignandus. Melius tamen cum *Pontificum* Catalogis conveniunt Faſti *Idatiani* quàm Faſti alii, quos habemus, illorum temporum, *hodierni*. Meliùs item illi, ſi pro ordine *Chronici Euſebiani*, ad annos *Imperatorum* accommodentur, quàm pro ordine illo quo illos accommodârint vetuſtiores, quot habemus, Chronographi. Quod eâ fortaſſe de causâ factum eſt quòd illos præſertim ſuo Sæculo notiſſimos cum *Chronico Euſebiano* contulerit *ſecundi Catalogi* primus ſub *Juſtiniano* concinnator. Nec enim primum illum *Bucherianum* ego antiquiſſimum, ut vulgò creditur, exiſtimo, ſed è *ſecundo* illo natum. Quod quidem infrà obſervanda facient manifeſtius.

CAP.

CAP. VIII.

Tempora S. *Petri, Lini, & Anencleti.*

§. 1. *Annos S.* Petri *ut variè ſupputârint, & quibus demum conjecturis ducti, Veteres.* §. 2. Variorum *Autorum numeros in* unum *imperitè confudit Autor Catalogi* Bucheriani, Liberio *proinde non coævus.* §. 3. *De* Lini *annis* variæ *Veterum ſententiæ, quibus tandem* ratiociniis *collectæ.* §. 4. *Etiam de annis* Anencleti. §. 5. *Eccleſiam* Romanam *non* fundabant, *nec* Linum *adeo illi præficiebant, ante annum quo* paſſi *ſunt, Apoſtoli,* Chriſti *nimirum* CLXIV. §. 6. *Ex Hiſtoriâ* Sacrâ *colligitur,* Eccleſiam Romanam, *ante annum prædictum, nondum fuiſſe* fundatam. §. 7. Vivis *Apoſtolis ſedem* Romanam *non adepti ſunt, ſeu* Anencletus, *ſeu etiam* Clemens. §. 8. Græcis *paulò* antiquioribus *paucis admodùm impoſuit ſuppoſititia Epiſtola* Clementis *ad* Jacobum *Latinè verſa à* Rufino.

§. 1.

SAncti *Petri* initium à morte *Domini* repetebant *Latini.* Hanc mortem veteres ante *Euſebium* XV. *Tiberii* anno duobus *Geminis* Coſſ. inſignito reponebant. Quæ quidem ſententia quàm fuerit apud *Latinos* etiam poſt *Euſebium* longe receptiſſima rectè docuit *Heinſchenius*, & quidem è *Proſpero*, qui utriuſque ſententiæ meminit, tam

hujus

hujus quàm *Euſebianæ*, ſatis conſtat. Ipſo illo anno *Crucifixionem Domini* conſtituit Anonymus ille quem dixi, qui floruit ſub *Alexandro Severo*. Numerat enim à *Paſſione Domini* ad illum, quo ſcribebat, annum annos CCVI. Rectè nimirum ille qui XIII. ſcripſit *Alexandri*, Ær. autem *vulg.* CCXXXV. Ita convenit accuratè cum *Catalogo* quem Catalogi fontem eſſe dixi. Cum Anonymo convenit etiam *Hippolytus* à quo ſua mutuatus eſt, ni fallor, Anonymus. Annus Ær. *vulg.* XXIX. idem eſt *Periodi Julianæ* 4742. Rejectis (per perpetuam Regulam) 6, & reliquis per *Cyclos* integros diviſis annorum 112. reliqui erunt anni 32, quo ipſo *Cycli* anno, verſu ſecundæ Sedecennitatis ultimo πάθος Χριστοῦ Ἰησοῦ (ſic enim explicandæ notæ) repoſuit *Hippolytus*. Ab hoc anno Ær. vulg. XXIX. ad *Claudii* finem & initium *Neronis Octob.* XIII. anno ejuſdem Æræ LIV. anni numerantur, ut dixi, XXV. Primo enim *Neronis* anno, cum de *quoto* anno minimè conſtaret, Apoſtoli Martyrium aſſignabant *Latinorum* vetuſtiſſimi. *Lactantium* hujus rei teſtem ſuprà dedimus, & ſuperiori Capite *Idatium*, cum ad illos ipſos Coſſ. Apoſtoli Martyrium eum retuliſſe obſervaremus quos *primos* Proſper *Neronis* numeraverat. *Euſebius* crucifixionem Domini ad III. deinde annum, *Tiberii* XVIII. propter *Paſchata*, potiùs differendam cenſuit. Qui itaque ſuperiorum conjecturam pro Teſtimonio habebant, & duo inde tanquam inconcuſſa retinenda cenſerent; alterum, à *Domini morte* inchoandos eſſe annos quibus ſedem tenuerit Apoſtolus; alterum, *Neronis* primo eſſe finiendos: proinde colligebant XXII. duntaxat annos S. *Petro* eſſe concedendos. Nec enim plures poterant in *Chronico Euſebiano* numerari à *Crucifixione* Domini *Euſebianâ*. Hos ſequitur *Eutychius*, ut obſervavit *Ceſtrienſis*, nullus tamen ſecutus eſt fortaſſe Scriptor *Occidentalis*, cùm priori ſententiæ illi mordicùs adhærerent. Rectè quidem illi quoad calculos *verè* & *Hiſtoricè* ſupputandos. Cum verò *Coſſ.* numerarent, annoſque adeo *ſolidos*, ſic *primum* Neronis annum illum numerabant qui

Diſſ. II. Cap. V. §. 11.

primis

primis Neronis *Coſſ.* fuerat inſignitus. Ita factum ut S. *Petri* annos anno LV. terminarent, quo faſces acceperunt primi *Neronis* Coſſ. aliter fore metuentes ut ante *Neronis* initium paſſurus videretur. Inde factum ut ab *Ær. vulg.* XXX. Coſſ. *Vinicio* & *Longino* S. *Petri* initium repetendum crederet primus Catalogi Pontificalis Autor. Ita exierit anni LV. Coſſ. *Neronis* primis, *Nerone* & *Vetere*. Rectè quidem, pro ſententiâ eorum, quos ſecutus hoc in loco eſt Catalogi Autor, Autorum. Proximos enim *Coſſ.* anni LVI. *Saturninum* & *Scipionem* Lini primos numerat, pro more nimirum ſuo quo proximos à deceſſoris morte *Coſſ.* primos ſolet numerare Succeſſoris. Hos tamen anni LV. Coſſ. nullos memorat diſertis verbis Autor *Catalogi*.

Nec his anni LV. Coſſ. ſed aliis anni LXV. *Nervæ* & *Veſtino* finem Apoſtoli aſſignat Autor Catalogi *Bucheriani*. Ecquis eſt quin videat *Euſebianas* rationes cum veterum *Latinorum* rationibus permiſcere invicem hunc Autorem? Parum certè diſcedunt Coſſ. anni LXV. à calculo *Euſebii* ſedis *Romanæ* initium ab initio *Claudii* repetentis, XXV. nimirum annorum Apoſtolo tribuendorum. Hinc itaque conſtat è *diverſis* Faſtis hæc ſua collegiſſe Autorem *Bucherianum*, vel ſecundi potiùs Catalogi, quem ego *Bucheriani* fontem exiſtimo, quorum alteri *initium*, pro veterum *Latinorum* ſententiâ repræſentârint, alii *finem* pro ſententiâ *Euſebii*. Id ſi verum, *Liberio* certè par eſſe non potuit, cujus tempore nondum extabat apud *Latinos* verſio *Chronici Euſebiani*. Fuiſſe enim hos Coſſ. à primo Catalogi *Bucheriani* Autore exinde conſtat, quòd *Tiberii* Cæſaris temporibus, & *Caii*, & *Tiberii Claudii* & *Neronis* Apoſtolum fuiſſe teſtatur. Quod certè verum eſſe non potuit niſi prioris Hypotheſeos initium cum poſterioris fine conjunxiſſet. Nec enim de vitâ S. *Petri* hæc, ſed de *Romano* ejus, qui credebatur, *Epiſcopatu* intelligenda ſunt. Sic enim quoties de reliquorum Pontificum, ſub quibus floruerint, *Imperatoribus* agit, nunquam eſt de *vita* eorum, ſed de *Pontificatu*, intelligendus. Idem indicat in Proœmio ubi §. 2.

docet, *poſt aſcenſum* [Domini] *Beatiſſimum Petrum EPISCOPATUM ſuſcepiſſe*; Sic deinde ſubjungens, *EX QUO TEMPORE per ſucceſſionem diſpoſitum, quis Epiſcopus, & quot annis præfuit, vel quo Imperante.* Accedit etiam quòd nemo alium *Epiſcopatûs* quàm *vitæ* finem, Apoſtolo aſſignârit. Tam enim illi qui primo *Neronis* anno *Epiſcopatum* ejus terminabant, & vitam quoque eodem *anno* terminandam credebant, ut modò è *Lactantio* & *Idatio* oſtendimus, quàm & alii illi qui cum *Euſebio* vitæ pariter & Epiſcopatûs finem ad *ſuprema* potiùs *Neronis* tempora differendum exiſtimabant. Certè in *ſecundo* Catalogo ita eſſe deditâ Autoris operâ ſcriptum vel inde colligimus, quòd hinc X. alios S. *Petri* annos Autor elicuerit, præter ſedem *Romanam*, ſedi ejuſdem *Antiochenæ*, tribuendos.

§. 3. Atque è permiſtis harum diverſarum Hypotheſeon numeris, facile deinde colligimus quibus tandem *conjecturis* freti Succeſſorum S. *Petri* tempora conſtituerint Veteres quarto certè Sæculo non antiquiores. *Lino* proximo ejus Succeſſori *annos* duntaxat XI. *menſ.* III. *dies* XII. aſſignat Catalogus *ſecundus* & Liber *Pontificalis*, parum alioqui diſſentiente Catalogo III. atque *Mariano*; XII. *annos*, *menſ.* IV. *dies* X. Catalogus *Bucherianus* ex Editione *Heinſchenii*, refragante in *dierum* menſiumve numero Editione ipsâ *Bucherianâ*, *Adone*, *Bedâ*, & *ſecundo* Catalogo *Mabillonii*, quas quidem *menſium dierumque* minutias jam ſuprà negligendas oſtendimus. Qui XI. *Lini* annos numerabant, Faſtorum *Conſularium* eorundem ordinem ſervabant. Cum enim S. *Petri* anni XXV. à *Coſſ.* duobus *Geminis* anni XXIX. cœpti in anno LIV. terminarentur, inde ad *Coſſ.* anni LXV. annorum duntaxat XI. ſpatium intercedere manifeſtum eſt, quo anno S. *Petri* finem repoſuit Autor *Bucherianus*. Atque illum quidem numerum Ego veriorem puto, pro eorum nempe Principiis qui id genus Catalogos Pontificales confecerunt. Sic enim Latinorum Catalogorum vetuſtiſſimi *Clementem* ita *Lino* proximum

proximum numerabant, ut nullum *Anacleto* inter illos ſpatium reliquerint. Tales certè Catalogos vidit *Optatus* atque *Auguſtinus*. Iidem *Clementem* ab Apoſtolo *proximum* numerabant, quin & ab Apoſtolo ipſo tradebant illum in throno conſtitutum. Sic illa nimirum ſuppoſititia *Clementis* Epiſtola ad *Jacobum* à *Græcis* equidem confiƈta, *Latinis* tamen à *Rufino* communicata. Sic etiam diu ante *Rufinum Tertullianus*, etiam & ipſe Latinus. Ita communem *Lino* & *Apoſtolo* exitum fuiſſe neceſſe erat, ut poſſet utrique *Clemens*, nullo mediante, ſuccedere. Quare cum *Apoſtoli* Martyrium anni LXV. *Coſſ.* attribuerint primi illi omnium, qui jamdiu exciderunt, *Latinorum* Catalogi; ſequebatur & *Lini* mortem iiſdem *Coſſ.* fuiſſe pariter attribuendum. Nec aliter credo habuiſſe Catalogos *Optati* atque *Auguſtini*, ſi quidem unà cum *Pontificum* nominibus & *annos* eorundem ſimiliter conſignârint. Qui verò *Lini* annos XI. non ab ultimis *Claudii*, ſed à *primis* potiùs *Neronis* Coſſ. anni nimirum LV. pro calculi prioris errore, potiùs numerandos eſſe cenſebant; anni LXVI. *Coſſ.* neceſſariò terminabant. Inde ortam credo alterius ſententiæ occaſionem quæ *Lino* annos ſolidos XII. concedebat. Repetatur enim à *Geminis* Coſſ. annoque Æt. *vulg.* XXIX. *Romanæ* ſedis exordium. Demptis S. *Petri* annis XXV. reliqui erunt anni XII. *Lino* utique proinde imputandi. Nec alium Ego *Hieronymi* aut *Bedæ* calculum fuiſſe puto, cum XXXVII. annos à Chriſti *Paſſione* hic numerat ad mortem S. *Petri*, ille ad Martyrium S. *Pauli*. In eo enim conſentiebant illius Sæculi Autores uno eodemque *anno* & *die* contigiſſe utriuſque Apoſtoli Paſſionem. Nec enim conſtat numerus iſte ſi ab anno *vero* Crucifixionis, ſeu etiam ab *Euſebiano*, repetatur. Ab utrovis initio deductus *Neroniani* Imperii limites egredietur. Quòd ſi Catalogi *ſecundi* errorem iſtum, qui videbatur, correxerit Autor Catalogi *Bucheriani*, ut Teſtimoniis correxerit antiquioribus, inde tamen ſuſpicio eſt Catalogo *ſecundo* fuiſſe *juniorem*. Cùm præſertim alioqui conſtet reliquos ejus

Hieronym. Script. Eccl. in Paulo.

numeros ita cum *ſecundi* Catalogi numeris convenire, ut errore ipſo à ſe correcto niti videantur. Convenit porro tempus *Imperatoris*. Sub *Nerone* enim *Linum* ponunt Catalogi, unde diſcimus rectè adhuc *Imperatoribus* reſpondere *Faſtos*, quibus uſi ſunt Catalogorum Autores.

§ 4. Atqui non *Linum* modò, ſed & *Anacletum Clementi* anteponendum didicerunt tandem ex *Irenæo* recentiores *Latinorum* Catalogorum Autores. Sic tamen interponendum, pro receptâ illâ quam dixi opinione, ut poſſet *Clemens* Apoſtolo proximus eſſe Succeſſor. Ita colligebant, qui *Lino* ſupererant ad Martyrium S. *Petri* anni, eos *Anacleto* eſſe imputandos. Et cum è *Canone Euſebiano*, non anno, ut crediderant LXV. ſed LXVII. *Neroniſque* XIII. paſſum didiciſſent Apoſtolum, duo exinde reſtabant anni *Anacleto* accenſendi. Nec enim aliò retulerim *hiatum* illum inter annum LXV. quo Apoſtolum, & LXVII. quo *Linum* tradit obiiſſe Catalogus. Hiatum illum impleverat in Faſtis *Anacletus*, quorum rationes confuderint Catalogorum Autores invicemque permiſcuerint. Præſertim cùm alio loco, pro aliorum Hypotheſibus, collocatum reperiſſet *Anacletum*. *Anacleto* duos certè annos tribuunt *Nicephorus* Patriarcha & *Syncellus* & *Eutychius*, non aliâ tamen omnes quàm quâ dixi causâ. Nempe annos *Neronis*, cujus primo ſtatim *initio* cæſum crediderant Apoſtolum qui *primo* ejuſdem *anno* S. *Petri* Epiſcopatum terminandum cenſuiſſent, inter *Linum* atque *Anacletum* partiti ſunt. Qui XI. annos *Lino* tribuebant, biennium *Anacleti Neronis* XIII. finiebant. Qui autem XII. illis Pontificatus *Lini Neronis* erat XIV. finiendus. Sed priorem potiùs ſententiam Catalogi Autori placuiſſe puto. Anni enim LXVIII. Coſſ. qui *Neronis* erat XIV. *Galbæ* imputat, non *Neroni*. *Planè* ille pro ſententiâ *Euſebii*, qui annos *Neronis* ſolidos XIII. duntaxat, uti vidimus, agnoſcit. Hìc itaque videmus in *Catalogo* veſtigia numeri *Eutychiani*. Sunt etiam *Euſebiani*. Quoties enim de *Anacleto* loquuntur, ſeu *proprio* illum,

illum, ſeu *Cleti* potiùs nomine, appellent; non duos duntaxat, ſed XII. annos attribuunt plerique *Latinorum* Catalogi. Hunc illi numerum ab *Euſebio*, qui ipſe ab antiquiori forſan Autore didicerit, qui *Anacletum*, ſuperſtite etiamnum *Apoſtolo*, deceſſiſſe crederet, ut poſſit *Clemens* ab ipſo Apoſtolo in throno collocari. Is nimirum cum è *Lini* exemplo didiciſſet, pro ſuperiorum conjecturis, vivo Apoſtolo ſedem poſſidentis, non ipſum utique per ſe *Apoſtolum* ſedem *Romanam* adminiſtrare ſolitum, ſed ſuffectis in ſuum locum aliis; nec videret tamen cur *poſtremis* potiùs temporibus id fecerit Apoſtolus, præſens ipſe proculdubiò cum pateretur, quàm tot aliis annis *prioribus* quos etiam ipſos negotiis frequentiſſimis Expeditionibuſque tranſegerit; proinde & illi tempus S. *Petri* ſic inter *Linum Anacletumque* diſtribuendum cenſuerunt, ut quod *Lino* ſupereſſet id attribuerint *Anacleto*. Sic autem (inquies) è XXV. S. *Petri* annis detractis *Lini* XII. ſupererunt XIII. alii *Anacleto* aſſignandi, quos tamen nullus aſſignavit unquam *Catalogus*. Sed fieri potuit ut *unum* ſaltem *annum* fundandæ Eccleſiæ *Romanæ* ipſe (pro eorum ſententiâ) Apoſtolus impenderit ut *ſe quiannum* Corinthi, *triennium* Epheſi, impendit S. *Paulus*. Vel naſci potuit numerus annorum duntaxat XXIV. inter illos dividendorum ex vitioſâ duntaxat annorum *ſolidorum* ſupputatione, quam etiam ipſam ſatis hactenùs frequentem oſtendimus. *Claudii* certè annos ſolidos XIII. duntaxat in *Hiſtoriâ* agnoſcit *Euſebius*, quo pacto ſi numeres, anni reſtabunt ad *Neronis* XIII. duntaxat XXIV. Quid quòd etiam *Lini* annos non ab ipſo annorum XXV. *Apoſtolo* conceſſorum *exordio* repeterent, ne ita *exitus* ejus ante *Neronis initium* poneretur. *Paſſum* enim ſub *Nerone Linum* jam aliorum conjecturis ducti crediderant, qui nimirum *Anacleto* ſuo *biennium* duntaxat aſſignaverant. Sic itaque ante *primum* ſaltem *Neronis* pati *Linus* non potuit pro eorum hypotheſibus. Inde ad *Neronis* XII. quem ſolidum *ultimum Neronis* numeraverat *Euſebius*, numeraverant etiam Catalogorum

Faſti

Faſti ad *Euſebiani Chronici* methodum accommodati; XII. ſupererant duntaxat anni qui *Anacleto* poſſent imputari. Quem quidem numerum licèt hujus, ante obitum *Neronis* loci, (pro ratiocinantium *conjecturis*) proprium, tranſpoſito etiam *Anacleto*, aſſignabant. Sic colligi potuit is quoque numerus non è *Teſtimoniis*, ſed è ratiocinantium duntaxat *conjecturis*.

§. 5. Atque ita intelligimus quibus tandem ratiociniis freti Veteres collegerint, vivo etiamnum S. *Petro* ſucceſſiſſe *Linum* & *Anencletum*. Intelligimus præterea qui ita ſenſerint malè tamen infirmiterque eſſe ratiocinatos, nec pro teſtibus *Hiſtoricis* eſſe proinde uſurpandos. Non ita certè *Irenæus* teſtis hac in causâ fide digniſſimus. Ait enim Apoſtolos ἡιμελιώσαντας καὶ ὀικοδομήσαντας τὴν ἐκκλησίαν *Lino* Epiſcopatûs λειτυργίαν tradidiſſe. Atqui ἡιμελίωσις illa tum demum contigit cum his Apoſtolis SS. *Petro* & *Paulo* prædicantibus ſanctéque verſantibus σωνηθροίδη πλὴ πλήθος ipſo nimirum teſte *Lini* ſucceſſore *Clemente*. Cœtum enim Corpuſque *Politicum* indicat vox ipſa ἄγρωσις, talem nimirum Sacrorum Officiorum causâ cœtum qualem ſolemus *Eccleſiam* appellare. Et verò nova illa hominum fidelium quæ Apoſtolis facta eſt σωνάγρωσις aliud eſſe non potuit quàm quod *Irenæus* ἡιμελίωσιν appellat atque ὀικοδομὴν. Nec enim *Eccleſiam* quamcunque ἐκλεκτῶν hominum multitudinem vocamus, ſed eam demum quæ jus habeat *propriorum* ſibi *conventuum* diſtinctorumque à cœtibus *Judæorum*. Opponitur enim vox Eccleſiæ *Synagogæ*, conventuſque indicat hæc *Judæorum*, illa *Chriſtianorum*. Dum igitur *Judæorum* conventus frequentarent primævi *Chriſtiani*, nec ſibi ullos *proprios* haberent, *Synagogæ* accenſendi erant, nec conſtituebant, quam propriè dicimus, *Eccleſiam*. Eccleſiam enim ita *propriis* Chriſtianorum cœtuum *præſidibus* circumſcribit *Ignatius*, ut quoſcunque demum credentium cœtus, ni tamen ad Chriſtianorum

Iren. L. III. c. 3. ex *Euſebio* Græc.

Clem. Ep. I. ad *Cor.* p. 7.

norum cœtuum *præſides* aggregarentur, *Eccleſiam* certè neget appellandos. Μηδὲὶς (inquit) χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου τί Ep. ad Smyrn. σφαλερὸν τοῦ ἁπτέσθω ὡς τοῦ ἐκκλησίας. Et rurſus, Ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω· ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. Et verò alibi verbis diſertiſſimis, de *Epiſcopis* locutus, *Presbyteris* & *Diaconis*, ſtatim iſta ſubjungit, χωρὶς τούτων ΕΚΚΛΗΣΙΑ ΟΥ ΚΛΕΙΤΑΙ. Habet etiam in eandem ſententiam & alia *Cyprianus*. Ut ergo nulla erat ante *cœtuum* diſtinctionem Chriſtianorum *Eccleſia*, ſed nec ulla poſtea præterquam eorum qui legitimis Chriſtianorum cœtuum *præſidibus* adhærerent, *Epiſcopis* nimirum legitimis Apoſtolorum poſtea Succeſſoribus; Ita nec primis illis *Apoſtolorum* temporibus *Eccleſiæ* nomen uſurpatum legimus niſi de *diſtinctis* à Judæorum conventibus *Chriſtianorum Conventibus*, & quidem de illis qui *diviſi* à *Judæis* Apoſtolis adhærerent. Quæ enim Hieroſolymis *Eccleſia* dicitur Act. II. 47. ii erant qui *in Apoſtolorum doctrinâ firmiter & Communione permanerent*. Sic & alibi pars ea quæ Judæis adhæreret à parte illâ diſtinguitur quæ adhæreret Apoſtolis. Act. XIV. 4. Quare verba *Clementis* ita intelligenda arbitror, ut ἀθροίσματα illa ſive cœtus *Chriſtianorum* tunc primùm ſegregârint à *Judæorum Romanorum* cœtibus *Apoſtoli*, *Eccleſiæ* deinde *Romanæ* jure proprio deinceps appellandæ fundamenta ponentes. Et quidem hoc eodem *anno* factum quo ipſi *paſſi* fuerint Apoſtoli. Nempe *Apoſtolis*, non *uni* duntaxat *Apoſtolo*, hæc ἀθροίσματα *Chriſtianorum* teſtatur aggregata *Clemens*. Unde colligimus de alio tempore intelligi non poſſe quàm de illo quo in urbe *ſimul* ambo fuerint Apoſtoli S. nimirum *Petrus* pariter ac S. *Paulus*, loquitur enim de *ambobus* hoc in loco *Clemens*. At ſimul *ambo* Romæ vix eſſe poterant niſi illo demum *anno* quo ſimul ambo *Romæ* pericrint. Et quidem ſi *Clementis* πολὺ πλῆθος idem fuerit cum *multitudine ingenti* Taciti quos memorat incendiariorum nomine

nomine ſublatos; fieri ſane vix poteſt quin eodem *anno* Apoſtolis *aggregati* fuerint quo & illud contigerit *incendium. Neronis* nimirum X. *Chriſti* autem LXIV. Et quidem ſatis conſentaneum erat ut *occaſionem* dederit *Judæis* tum demum facta Chriſtianorum ab eorum cœtibus ſegregatio *Perſecutionis* in Chriſtianos concitandæ. Sic enim legimus in *Actis* quotieſcunque contingerent iſtiuſmodi *Chriſtianorum* in proprios cœtus *ſeceſſiones*, infenſiores factos eâ occaſione *Judæos* novas proinde, cum licuit, *Perſecutiones* concitâſſe. Favebat autem *Judæorum* conſiliis, quòd *Nero* de Romanæ Urbis *incendio* ſuſpectus, factuſque eo nomine odioſiſſimus, invidiæ illius declinandæ occaſiones captaret avidiſſimé. Prædixerat autem S. *Paulus* ſæpiſſime pœnam impiorum per *ignem*, Mundi ſcilicet conflagraturi illum, tum in *Epiſtolis* ejuſdem genuinis, tum in Libro *Apocrypho* antiquiſſimo κηρύγμα Πέτρου, cujus meminit *Lactantius*. Idem fecerat & S. *Petrus* ſecundâ *Epiſtolâ* Cap. III. 10. paulo antea ſcriptâ. Quæ quidem eò trahebant *Judæi* ut *Chriſtianos*, & præcipuos inter Chriſtianos Coryphæos *Apoſtolos* de *Urbis* redderent *incendio* ſuſpectos, pronis nimirum *Neronis* auribus haurienda. Nec enim de *Religione*, ſed de *Urbis incendio* punitos à *Nerone* Chriſtianos teſtatur *Tacitus*, quò ſuſpicionem illam vulgi à ſe propulſâret & in Chriſtianorum capita ipſe converteret. Convenit porro quòd *vincula* ſua illi cauſæ imputare videatur Apoſtolus, quòd κακοῦργος haberetur 2 *Tim.* II. 9. cum tamen *Chriſtiani* cauſam aliam quàm κακούργου in patiendo diſtinguat S. *Petrus* 1 Ep. IV. 15, 16. Convenit præterea, quòd ante *hyemem* maturandum eſſe *Timotheo* iter in ſuprema illâ quam paulo ante obitum ſcripſit Epiſtolâ idem moneat Apoſtolus 2 *Tim.* IV. 21. *Maris* nimirum *clauſi* tempus quod in *Octobrem* incidere ſolebat, intelligit. Quod quidem illum admonere oportebat nempe poſt incendium, *Auguſto* menſe, in vincula conjectum. Hæc ſi vera fuerit rerum in *Apoſtolorum Martyrio* geſtarum Hiſtoria; conſtabit

ſtabit inde manifeſtò non magno ante obitum Apoſtolorum intervallo & *fundatam* ab Apoſtolis *Eccleſiam Romanam*, & *præfectum* adeo ab iiſdem fuiſſe *Linum*, pro teſtimonio illo, quod dixi, *Irenæi*. Eſtque illa Hiſtoria è rerum geſtarum circumſtantiis, ut oſtendi, veriſimillima.

Nihil certè occurrit in Sacrâ N. T. Hiſtoriâ unde colligere poſſemus Eccleſiam Romanam ante annum *Neronis* X. eo, quo dixi, *ſenſu* fuiſſe *fundatam*. Erant quidem antea *Romæ*, fateor, *Chriſtiani*, ſed quos nullos conſtat ſibi *proprios* habuiſſe *Conventus*, nullos proinde propriorum conventuum *Præſides*, ſeu *Epiſcopos* illos, ſeu etiam *Preſbyteros*, ſed nec aliquid in externo cultu *proprium* quo poſſent à *Judæis* internoſci. *Lini* nomen & *Anencleti* (ſic enim illum appellat *Irenæus* quem alii nomine longe alio *Anacletum* vocant) *Græcum* facit omnino ut ſuſpicemur non illos *Civitate* duntaxat, ſed & *ſtirpe* fuiſſe *Græcâ*, non *Judaicâ*. *Linum* Italum, *Anacletum* Græcum faciunt *ſecundi* Catalogi Fabulatores. Nec ſane aliâ origine quàm *Romanâ* veriſimile eſt fuiſſe *Clementem*. Atqui primis Chriſtianitatis initiis ne quidem *Proſelytos* ex aliâ aliquâ gente admittendos eſſe concederent, non tamen utique credebant ſolicitandos, niſi ſi qui forte ſeſe libentes ad *Proſelytiſmum* obtuliſſent. Sic illi nimirum ad annum uſque XLV. quo primam illam SS. *Pauli* & *Barnabæ* ad *gentes* convertendas Expeditionem contigiſſe arbitror. Et quidem aliquot deinde annis ita obtinuit, apud ipſos etiam *Apoſtolos*, præconcepta illa de *Judæorum* præ *Gentilibus* potiori ſaltem *dignitate* atque *ſanctimoniâ* opinio, ut præfecturi ſane vix fuerint Eccleſiis ſtirpe *Ethnicâ* oriundos; nedum *Eccleſiis* quæ *Judæis* origine maximâ ſaltem ex parte conſtarent, qualis illa fuit *Libertinorum Romanorum*; nedum denique ut id facturus fuerit S. *Petrus* Judæorum nimirum ipſe, atque *Circumciſionis*, Apoſtolus. Sic porro *Claudius Judæos impulſore* (inquit *Suetonius*) *Chreſto aſſiduè tumultuantes urbe expulit*, ut uno eodemque Edicto *Chriſtianos* incluſerit. Pulſum enim eâ occaſione cum *Priſcillâ Aqui-* §. 6.

lam ex *Actorum* Hiſtoriâ diſcimus. Non aliâ utique, ut videtur, causâ quàm quòd communes adhuc cum Judæis *conventus* celebrârint *Chriſtiani*, ut proinde fuerit in *Judæorum Synagogis* Chriſti de causâ *tumultuatum*. Contigit hoc anno *Claudii* IX. *Chriſti* XLIX. Scripſit præterea ad *Romanos* S. *Paulus* anno *Claudii* ultimo, *Chriſti* LIV. nullâ tamen *Eccleſiæ* adhuc *fundatæ* ſignificatione. Erant quidem rurſus *Romæ Chriſtiani* & tanto quidem *numero* illi ut fides eorum per *univerſum*, qui patebat, *orbem* eſſet *Romanum* longe celeberrima. Nullum tamen ſalutat *Epiſcopum*, ne quidem *Presbyteros* ullos aut *Diaconos* aut quemvis alium *cætuum* Eccleſiaſticorum Officiarium. Sed nec *Eccleſiæ* nomine dignatur uſpiam illos, ad quos ſcribit, *Chriſtianos*, ſed tantùm κλητοῖς ἁγίοις, cum tamen aliarum *Urbium* Chriſtianos *Eccleſias* idem ſoleat appellare, cum & *Epiſcopos* ſalutet & *Diaconos Philippenſium* quibus nimirum *Epiſcopos* fuiſſe noverat & *Diaconos*, cum & ſingulis Eccleſiarum *Præſidibus* Epiſtolas inſcribat, *Tito* nimirum ac *Timotheo*, quæ quidem fuiſſent ſingulis inſtructæ *Præſidibus*, pro eodem ſcilicet exemplo quo & in Apocalypſi Spiritus Epiſtolas non ipſis quidem *Eccleſiis*, ſed Eccleſiarum *Angelis* inſcribit. Et quidem ad *cætuum* communitatem ſuadendam faciunt omnia quæ in ipsâ Epiſtolâ diſputat Apoſtolus. Probat nimirum adversùs *Judæos* non eſſe pro *impuris* habendos *incircumciſos*. Quorſum illa niſi de incircumciſorum ad *Synagogas* admiſſione fuiſſet diſputatum? Idem viceversâ probat adversùs *Gentiles*, nondum *Judæos* omnes penitùs à Deo fuiſſe reprobatos, ſe enim, & prætereà ἐγκατάλειμμα seu *reliquias*, ſupereſſe ſalvandos. Id quoque minùs opportunè ſi *Judæi* etiam *Romani* fuiſſent, pro illius ſententiâ, à *Chriſto* rejecti. Supponit equidem, ut alibi oſtendimus, *Judæos*, maximâ ex parte, jam hactenùs à Deo fuiſſe reprobatos. Supponit item ab eorum quos reprobatos fuiſſe conſtitiſſet, *communione* diſcedendum. Id quod ipſe jam in quamplurimis

Reſp ad *Grot. de Sacerdot. Laic.* cap. 3.

Aſiæ

Aſiæ Eccleſiis feciſſet, faciendumque docuiſſet. Et quidem propriis illum Principiis conceſſionibuſque videntur oppugnaſſe *Gentiles Romani*. Sed cum *reliquias* ſalvandas docet, id eo nimirum docuit conſilio ut unà innueret à *ſalvandorum* communione *Judæorum* non eſſe ſecedendum. Et cum *Judæos Romanos* in illis *ſalvandorum* reliquiis cenſendos innuit, id rurſus indicat, ne quidem ab eorum *Synagogis* fuiſſe temperandum. Jam enim loco memorato probavimus, etiam cum inciperent illæ *diſceſſiones*, non primo ſtatim impetu *univerſales*, ſed, pro *Judæorum* cujuſque Civitatis pervicaciâ, *partiarias* duntaxat fuiſſe atque *locales*. Ita factum ut cum *Romam* Apoſtolus S. *Paulus* anno LVII. à *Palæſtinis Judæis* provocans veluti captivus appelleret, amicè tamen à *Judæis Romanis* acceptus fuerit *Act.* XXVIII. 21. Et cum illos de *Gentilium* vocatione monuiſſet v. 28. novitate quidem ipsâ illius dogmatis perculſos videmus, & ad novas invicem diſceptationes, eâ occaſione, converſos, quæ tamen ipſa *novitas* nulla utique fuiſſet, ſi alios *Gentiles* Chriſtiani à *Judæorum* conventibus *conventus* celebràſſent. Sed verò nullam novam *Judæorum* ſimultatem ortam, ad finem Captivitatis iſtius *biennalis* innuit ipſe S. *Lucas*. Quare liberatus illis vinculis Apoſtolus anno LIX. exeunte placido illo *Neronis* quinquennio nullam adhuc fecit Chriſtianorum *diſceſſionem* à communibus *Judæorum* Synagogis. Sed nec facere ullam potuit uſque ad illum, quo paſſum diximus, annum Martyrii. V. enim anno revertum teſtatur Fragmentum Autoris Anonymi apud *Patricium Junium* in ſuis ad *Clementem* Notis, & quidem teſtibus fide omni digniſſimis, *Juſtino* atque *Irenæo*. Si enim ab illo anno, quo primis vinculis ſolutus eſt, LIX. V. annos numeres, in annum LXIV. deſinent accuratiſſimè. Illo itaque anno nova facta eſt *Chriſtianorum Gentilium* à *Judæorum* conventibus ſeceſſio, illo nova eorundem ad *Apoſtolos* Συνάθροισις, ſive *aggregatio*. Inde novum jam conſtituebant per ſe ipſi *corpus*, & novos adeo habebant proprioſque ſibi *conventus*,

ſub propriis proinde *Rectoribus*. Jam tandem neceſſarii erant *Rectores* Chriſtianorum Romanorum *Ordinarii*, neceſſarii *Presbyteri* & *Diaconi*, & proinde neceſſarius qui Presbyterio præſideret *Epiſcopus*. Hoc certè tempore *fundatam* eſſe, quæ propriè vocari poſſet, *Eccleſiam* à *Clemente*, in quâ primâ Eccleſiæ Romanæ *fundatione* præfectum *Linum* ex *Irenæo* didicimus.

§. 7. Tantum certè abeſt ut, quod crediderunt his conjecturis freti recentiores, hoc dixerit unquam teſtatuſve fuerit *Irenæus*, ut contrarium prodat ſuadeatque validiſſimè. Monet imprimis *Irenæus* de hoc *Lino* intelligendum eſſe *S. Paulum* 2 *Tim.* IV. 21. in Epiſtolâ ad *Timotheum*. Secundam nimirum intelligit *Epiſtolam* paulo ante *Martyrium* exaratam. Inde igitur intelligimus jam adhuc in *vivis* fuiſſe *Linum* cujus nomine *Timotheum* ſalutaret Apoſtolus. Faceſſat igitur *biennium* iſtud quod *S. Petro* demptum *Anencleto* recentiores, ut vidimus, aſſignârunt. Faceſſat (inquam) alius quiſpiam à ſuperſtitibus Apoſtolis poſt *Lini* mortem ſuffectus, cujus mentionem adeo diſertam legimus in *poſtremis* Apoſtoli ſalutationibus. Addit deinde *Irenæus*, Διαδέχεται δὲ αὐτὸν Ἀνέγκλητος· μετὰ τοῦτον δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων τὸν Ἐπισκοπὴν κληροῦται Κλήμης. Ecquis eſt quin videat hæc verba τρίτῳ τόπῳ non ad vocem, κληροῦται, ſed ad illas potiùs, ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων, eſſe referenda? Ut nimirum ad tertiæ Succeſſionis *tempus* pertinuerit *Clemens* ex quo ipſi præfuiſſent *Apoſtoli*. Sic nimirum rectè intelligimus quò ſpectârint ſequentia *Irenæi* verba, ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους Ἀποστόλους, καὶ συμβεβληκὼς αὐτοῖς, καὶ ἔτι ἤχων τὸ κήρυγμα τῶν Ἀποστόλων καὶ τὴν παράδοσιν ἑωρακὼς ὀφθαλμοῖς ἴδιοις· οὐ μόνον, ἔτι γὰρ πολλοὶ ὑπελείποντο τότε ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων διδασκόμενοι. Interprete Valeſio, *qui quidem beatiſſimos Apoſtolos viderat, & cum iiſdem familiariter verſatus fuerat, & prædicationem Apoſtolorum adhuc*

hæc auribus ſuis inſonantem Traditionemque præ oculis habebat. Nec verò ipſe ſolus, ſed & alii plurimi etiam tum ſupererant ab Apoſtolis inſtituti. Verba illa ἐπιγνὼς & συμβιώσας *præteriti* ſunt omnino *temporis*, non utique illius qui, quo tempore *Epiſcopus* factus eſt, *Apoſtolos* viderit aut cum illis fuerit familiariter verſatus, nedum illius qui ab illis ipſam *Conſecrationem* acceperit. Cum verò addit πολλοὺς ἔτι ὑπολειπομένους, qui ab ipſis *Apoſtolis* fuiſſent inſtituti, verbis quibus potuit expreſſiſſimis diſtantiam illam indicavit quæ tertiæ eſſet Succeſſionis ab Apoſtolis. Ut enim *multos* Apoſtolorum Diſcipulos aſſerit etiamnum ἔτι fuiſſe *ſuperſtites*; Sic *multos* utique non *omnes*, multos nimirum innuens præ *temporis* ipsâ diuturnitate ſublatos. Adeò nimirum ille longe abeſt ut de *Clemente* aſſerat quod de *Lino* aſſeruerat, Apoſtolos ipſos illi τῶν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐγχειρίσαντας. Sed quid opus eſt ut hæc à mente *Irenæi* aliena probemus, cum ne quidem ullum primarium ſupputationis Autorem habeant Adverſarii qui ipſis ſuperſtitibus *Apoſtolis* crediderit ullos factos Apoſtolorum *Succeſſores*? Qui *primo Neronis* anno Apoſtolos ſublatos credebant, *Linum* deinde rectè &, pro Succeſſionis ad bona defunctorum lege, ſub *Nerone* ponebant. Qui verò ad *Neronis* annum *ultimum* Martyrium Apoſtolorum differebant, rectè etiam & illi, & pro Succeſſionis lege, *Lini Pontificatum* à *Neronis* ultimo inchoabant. Nec aliunde nata eſt aliter ſentientibus erroris occaſio quàm quòd *prioris* ſententiæ *initium* cum *poſterioris fine* componerent. Cum ergo *Conſtitutionum Apoſtolicarum* Autor à *vivo* etiamnum S. *Petro* ſuffectum in defuncti *Lini* locum credidit *Clementem*, ætatem prodidit Impoſtor notis manifeſtiſſimis. Suppoſititiâ enim *Clementis* ad *Jacobum* Epiſtolâ juniorem eſſe veriſimile eſt è quâ *proximum* ab *Apoſtolo* Succeſſorem in *Romanâ* Sede didicerat fuiſſe *Clementem*. Tum & tanto intervallo à *Chronici Euſebiani* editione vixiſſe, ut poſſent invicem confundi rationes Romanorum Pontificum *Occidentales* atque *Euſebianæ*. Et

§. 8. Et quidem commentitia illa *Clementis* Epiſtola ad *Jacobum* non diu apud *Græcos* extitiſſe videtur, cum *Latinè* illam verteret *Ruſinus*. *Græcos* enim, etiam *Ruſino* juniores, pauciſſimos reperies quibus impoſuerit, vix alios fortaſſe quàm *Epiphanium* & quem dixi *Conſtitutionum Apoſtolicarum* Impoſtorem. *Euſebium* alii fere ſequuntur omnes, *quartum*que ab Apoſtolo numerant *Clementem*. Sic certè vulgò receptiſſimam *Græcorum* ſui temporis ſententiam repræſentat *Hieronymus*. Sic etiam *Ignatianæ* ad *Trallianos* Epiſtolæ Interpolator dum ita *Stephanum* vult miniſtrâſſe *Jacobo*, ut miniſtrârit *Linus Paulo*, ut *Petro* etiam miniſtrârint *Anencletus* atque *Clemens*. Idem tamen, ſi fortè idem, ad *Mariam Caſſobelitin* ita ſcribit Pſeud-*Ignatius*, Ἐπίσχετέ μοι λέγειν ὅτι ἀληθινὸς ὁ λόγος ὃν ἤκουσε περὶ σοῦ ὅτι ὄντως σὺ ἐν τῇ Ῥώμῃ σὺν τῷ μακαρίῳ πάπᾳ Λίνῳ ἐν Ἀναβάσεσι τὰ τοῦ ἀξιομακάρτου Κλήμεντος ἐν Πέτρου καὶ Παύλου ἀκηκόει. Sed pro *Lino Cletum* reponit vetus Interpres, ſincerioribus uſus, ut videtur, Codicibus *Græcis*. *Euſebianam* enim *Chronologiam* ſecutos oportuit qui *Clementem* ad Martyrii *Ignatiani* tempora cum *Chronico Alexandrino* deprimebant. *Euſebio* autem non *Linus*, ſed *Anencletus* proximus *Clementis* eſt deceſſor. *Latinis* autem ſui Sæculi pleriſque *ſecundum* à *Petro Clementem* numerari ſolitum teſtatur *Hieronymus*, ſic nimirum à *Petro ſecundum* ut *quartus* numerari ſolebat à *Græcis*, ut proinde *Petrum* ipſum *primum* numerârit oportuerit. Quæ quidem ita intelligenda ſunt non quaſi *Linum* quiſpiam aut *excluſerit* à Succeſſione, aut *Clementi* poſtpoſuerit (agnoſcunt enim & *Clementi* anteponunt coævi *Hieronymo* Scriptores Latini *Optatus* atque *Auguſtinus*) ſed quòd à S. *Petri* morte ſecundum proximumque S. *Petro* Latini *Clementem* numerârint. Sic enim eundem *Clementem* à S. *Petro quartum* numeravit *Euſebius*, & poſt illum *Græci*.

CAP.

CAP. IX.

Succeſſio reliqua ad Fabianum *pro* Latinorum *Catalogis.*

§. 1. *Coævi videntur Catalogus* Bucherianus *& ſecundus* Heinſchenii. §. 2. Cletus, *pro Faſtorum* Conſularium *rationibus*, Clementi *poſtponendus.* §. 3. *In tempore* Clementis Euſebii *etiam errorem ſecuti ſunt* Faſti *Catalogorum* Conſulares. §. 4. Clementis *perſonam annoſque habet* Cletus *quem tamen* Clementi *poſtponunt Catalogi.* §. 5. Anacleti *finis idem quem* Clementi *attributum reperiſſe videtur primus Catalogi Autor.* §. 6. *Initium* Euareſti *ſuum cum fine ejuſdem* Euſebiano *conjunxit Autor Catalogi* Bucheriani. §. 7. *Tempus* Alexandri. §. 8. Xyſti. §. 9. Teleſphori. §. 10. *A fine* Teleſphori *ad initium* Zephyrini *Catalogi* Pontificales *vitioſiſſimi.* §. 11. *Tempus* Hygini. *Autor Catalogi* Bucheriani *ſequitur errores Catalogi* ſecundi, *proinde ſecundo Catalogo* recentior. §. 12. *Horum errorum occaſiones.* §. 13. *Tempus* Aniceti. §. 14. Pii. §. 15. Soteris. §. 16. Eleutheri. §. 17. Victoris. §. 18. Zephyrini. §. 19. *Pontificum eorundem ab* Hygino *ad* Zephyrinum *diſpoſitio*

ſitio alia pro Catalogorum numeris, *non* Coſſ. *& quidem illa ſine* hiatibus. §. 20. *Tempus* Calliſti. §. 21. Urbani. §. 22. Pontiani. §. 23. Anteri. §. 24. Fabiani. §. 25. *Catalogorum* Latinorum *rationes omnes unâ operâ reſtitutæ.*

§. 1. SEquitur in *ſecundo* Catalogo *Clement*, uti etiam in priori illo, qui vulgò creditur, Bucheriano. Et tamen paulò poſtea ordinem immutatum eſſe ſatis conſtat, præpoſitumque genuino *Clementi Cletum* ſuppoſititium. Anno enim DXXX. ſecundum Catalogum collegit Autor incertus ſub *Juſtiniano*, ad finem *Felicis* IV. Illum redegerunt in Epitomen locupletaveruntque ad ſua uſque tempora, finem nempe Vigilii, annum nimirum circiter DLVI. Autores *Membranarum Papebrochii* & Catalogi primi *Mabilloniani*, qui primi *Cletum* præpoſuerunt, quos alii deinde omnes imitati ſunt hujus Catalogi ſeu Excriptores, ſeu etiam Continuatores. Sic enim & ſecundus *Mabillonii* Catalogus ad finem circiter *Johannis* VI. annumque DCCV. ſcriptus. Sic & tertius iſte *Schelſtratii* ad finem *Paſchalis*, annumque circiter DCCCXXIV. ne recentiores nominem *Anaſtaſium*, receptique Libri *Pontificalis* ſectatores. Hinc itaque colligimus, ut è *ſecundo* illo Catalogo Sæculi *Juſtinianei Bucherianum* illum collectum concedamus, ad recentiora tamen tempora vix potuiſſe referri, cum mutationes paulò recentiores in *Bucheriano* Catalogo prorſus nullæ compareant. Colligimus præterea duos hoſce antiquiſſimos Catalogos præcipuè invicem eſſe conferendos, mutuâque operâ emendandos, recentiores autem quâ deditâ Collectorum operâ nonnunquam variant, ad horum fidem eſſe exigendos.

Docent

Docent ipſi certè *Coſſ.* è Faſtorum Conſularium, unde deſumptus eſſet *Cletus*, ordine mutatum eſſe ejuſdem locum. Coſſ. enim aſſignant *recentiores* illi eoſdem initio *Cleti* quos fini *Clementis* aſſignatos repererant. Et tamen agnoſco, hoc etiam in loco, Veritatis nonnulla *veſtigia*. Faſtos enim Coſſ. unde illi manarint Catalogi, ad *Chronici Euſebiani* numeros appoſitos legerant illorum Catalogorum concinnatores. Ita factum ut utrarumque rationum numeri invicem permiſcerentur, tam *Occidentalium* quas in Faſtis *Cyclorum* Conſularibus ab *Alexandri Severi* uſque temporibus conſervatas eſſe diximus; quàm etiam & *Orientalium* quæ numerorum fuerant *Euſebianorum* ſitu diſtincta. Sic enim *Proſperum* habemus hodieque qui numeros *Euſebianos Paſchalium* Faſtorum appoſitione diſtinxerit, aliorum tamen, atque alio ordine ſitorum, ab illis quos conſervavit *Idatius*. Atqui *Anacletum* Græci *Clementi* præpoſuerunt, quem etiam eundem *Cletum* non *Græcus* modò *Epiphanius*, ſed *Proſper* etiam Scriptor *Occidentalis*, appellat. Hinc itaque confirmatur hiatum illum *biennalem* à fine S. *Petri* in primis Catalogis Coſſ. anni LXV. *Nervâ* & *Veſtino* conſignato, ad finem *Lini* Conſuleſq; anni LXVII. *Capitonem* & *Rufum* Nos rectè hactenus ad *Anencletum* retuliſſe. Quod etiam facilè ex utroq; Catalogo *Mabilloniano* diſcimus. Sic enim illi referunt hoc in loco *Cletum* ut alium deinde poſt *Clementem* neminem agnoſcant ſeu *Cletum* ſeu etiam *Anacletum*. Nec aliter noſter Catalogus *Oxonienſis*. Habent præterea poſt *Clementem Cletum* porro nullum *Membranæ Papebrochii* priori Catalogo *Mabilloniano* coævæ, ſed duntaxat *Anacletum*. Sed nec *tertius* Catalogus *Schelſtratii*. Acceſſit tandem à recentioribus poſt *Clementem* ſecundus iſte *Cletus*. Priorem itaque, qui *Græcis* fuerat *Anencletus*, *Clementi* antepoſitum repererant Catalogorum *Latinorum* Autores antiquiſſimi. Qui tamen cum plerunque *Lini* Coſſ. ad annum uſque LXVII. producerent; Ita factum ut locum nullum *Anacleto* ante *Clementem* reliquerint, eodem nimirum quo deceſſit S. *Petrus*, pro eorum Principiis, anno §. 2.

ſucceſſurum, quem quidem annum ultra Coſſ. *Capitonem & Rufum* ne quidem ipſe produxiſſet *Euſebius*. Et quidem ex erroneo illo, quem dixi, numerandi calculo errorem illum profluxiſſe veriſimile eſt.

§. 3. Progredior itaque ad *Clementem*. Hujus primos Coſſ. anni LXVIII. *Trachalum* & *Italicum* recenſent Catalogi duo priores, poſtremos anni LXXVI. *Veſpaſianum* VII. & *Titum*. Sic enim veriorem Catalogi primi lectionem repræſentat Codex *Heinſchenii* quàm alius ille quo uſus eſt *Bucherius* ab *Heinſcheniano* ſæpenumero diverſiſſimus. VI. enim *Veſpaſiani* duntaxat Conſulatum cum *Tito* conjunxit Codex *Bucherianus*. Sic anno ſuperiori LXXV. deceſſerit *Clemens*. Sed verior illa eſt, ut dixi, lectio Codicis *Heinſcheniani*, aſtipulante præſertim *ſecundo* Catalogo & in Faſtis *Idatio*, ſuffragantibus etiam, ut videbimus, Succeſſoris *Coſſ.* Hinc itaque corrigendus non modò Codex *Bucherianus*, ſed & *recentiorum* quoque *Catalogorum* collectores. Sic tamen intelligendi ſunt primi illi Catalogi, non ut *Trachalo* demum & *Italico* Coſſ. *Clementem* ſucceſſiſſe crediderint, ſed quòd ſuperioris anni Coſſ. *Capitone* & *Rufo*, ut S. *Petri* mortem diſpoſuiſſent, pro rationibus nimirum *Euſebianis*, ſic & *Clementis* etiam Succeſſionem. IX. enim annos *Clementi* tribuunt ambo illi Catalogi, qui ab anni LXVII. Coſſ. inchoati ſic demum deſinent in Coſſ. anni LXXVI. rectè pro Faſtis *Idatianis*. Eſtque hoc, quod ſemel monuiſſe ſufficiat, in his Catalogis fere perpetuum, quòd Succeſſorum tempora ad Faſtos Conſulares diſtincta, non primo, quo verè cœperint, repetantur, anno, ſed à primis eorundem, qui in Julianum annum proximum incidunt, *Conſulibus*. Quod quidem ex annorum per Coſſ. diſtinguendorum ſerie contigiſſe veriſimile eſt. Lineam enim plerunque unicam admittebant unius anni Coſſ. Ita factum ut in alios Coſſ. incurrerit mors deceſſoris, in alios mentio Succeſſoris. Primi itaque cujuſque Pontificis Coſſ. non annos eorundem *inchoatos*, ſed *abſolutos* indicant, annos nimirum illos in quos primi cujus anni *finis* inciderit.

Ad-

Addunt præterea Catalogi; *Fuit temporibus Galbæ & Veſpaſiani.* Rectè itaque, pro rationibus *Euſebianis*, diſpoſitos fuiſſe Coſſ. inde colligimus in Faſtis illis quibus uſi ſunt primi horum Catalogorum Autores. Aliter fieri non potuit ut qui *Capitone & Rufo* ſucceſſiſſet, non fuerit tamen *Neronis*, ſed *Galbæ* duntaxat *Veſpaſianique*, temporibus imputandus. Certò enim conſtat ad ſequentis anni Coſſ. *Trachalum & Italicum* pertigiſſe *Neronem.* Jam tamen vidimus XIII. annos *Neronis ſolidos* numeratos ab *Euſebio.* Sic itaque anni XIIII. Coſſ. & *Chriſti* LXVIII. pro *Chronici Euſebiani* ſitu, non utique *Neroni* ſed *Galbæ* accenſuiſſe *Faſtos* Catalogorum. Et quidem longè rectiùs annis *Imperatorum Euſebianis* reſpondebant *Faſti* illi *Catalogorum* quàm reſponderint Faſti alii *Proſperi*, ſeu etiam *Caſſiodori*, qui ambo Coſſ. quos dixi non *Galbæ* imputant, ſed *Neroni.*

Sequitur rurſus in primorum Catalogorum diſpoſitione, poſt *Clementem*, ſuppoſititius iſte, uti dixi, *Cletus*, à Conſulatu *Veſpaſiani* VIII. *Domitiani* VI. Sic enim legit Catalogus *ſecundus*, & primi etiam Codex *Heinſcheniauus.* Conſulatus iſte *Domitiani* ſuffectus erat, V. rectè tamen VI. ſi etiam Conſulatus ejuſdem *Ordinarius* anni LXXIII. numeretur, ut *Domitianum* poſtea numeràſſe certum eſt. Malè itaque V. *Domitiani* Conſulatum cum VIII. *Veſpaſiani* conjungit primi Catalogi Editio *Bucheriana.* Nec quidem rectè hoc in loco V. *Domitiani* Conſulatum cum *Veſpaſiani* VII. conjunxere recentiores. Anni enim LXXVII. Coſſ. intelligunt Catalogi, pro more nimirum illo quo *proximos* à deceſſorum morte Coſſ. ſucceſſorum *primos* numerare diximus. Finem ejuſdem Coſſ. *Domitiano* IX. & *Rufo* anno nimirum Ær. *vulg.* LXXXIII. ponunt Catalogi omnes qui quidem Coſſ. adjectos habent. VI. ejus nimirum annos ſolos agnoſcit Catalogi *primi* Editio utraque tam *Heinſcheniana* quàm *Bucheriana.* Oblitus nimirum erat hujus Catalogi Autor non à *primis* hujus Pontificis Coſſ. ſed à ſuperioris *ultimis*, annos ejuſdem eſſe numerandos. Rectiùs itaque membrana *Papebrochii* VII. etiam ſuffragante Chronico *Virdunenſi.* Nec longe abit

§. 4.

Catalogus ſecundus *Mabillonii* qui VIII. annos *Cleto* tribuit errore facillimo. Sed mirabitur fortaſſe Lector unde ſuppoſititii Pontificis annos eruerint Catalogorum Autores. Ego è *Perſonâ* ductos exiſtimo quam geſſerit *variam* idem ille *Cletus*. Nunc enim illum *Clementis* loco habent, nunc etiam *Anacleti*. Hoc autem loco *Clementis* vicem potiùs ſuſtinuiſſe crediderim. Qui enim *Linum* ab Apoſtoli potiùs *obitu* ſucceſſiſſe debuiſſe compererant, finem proinde XI. ab Apoſtoli Martyrio anno erant aſſignaturi, pro antiquiſſimis nimirum *ſecundi* Catalogi rationibus. Apoſtoli finem Coſſ. anni LXV. Catalogos tribuiſſe vidimus. Sic *Lini* obitus anni LXXVI. Coſſ. erat proinde tribuendus. *Clementem* autem *Lino* proximum numerabant primi Catalogi. Qui ergo ab hoc anno cœpit LXXVI. quo oportuit, pro hac calculorum ratione cœpiſſe Clementem, cum proinde pro *Clemente* habitum fuiſſe conſentaneum erat. Inde & illud conſequi par erat, *Clementis* nimirum annos eidem fuiſſe imputandos. Sed IX. (inquies) *Clementis* annos, pro primorum Catalogorum ſententiâ numeravimus. Rectè nimirum illud ſi *Lini* finem eidem anno aſſignemus cui etiam *Apoſtoli* Martyrium primos Catalogos aſſignâſſe vidimus. Quòd ſi Apoſtoli Martyrium cum *Euſebio* anno potiùs LXVII. tribuamus, & biennium medium proximo *Lini* Succeſſori *Clementi* detrahamus, ſupererunt deinde anni duntaxat VII. *Clementi* concedendi. Sic itaque corrigendus in *Cleti* hujus annis ſecundus eſt Catalogus, & alii deinde recentiores, *Mariano* etiam ſuffragante, Catalogi. XII. illi *Cleto* largiuntur annos eundem nimirum cum *Anacleto* Faſtis prioribus illum, ut videbatur, exiſtimantibus. Nec tamen intervallum à primis *Cleti* ad ultimos ejuſdem Coſſ. ſeptennio auctius agnoſcunt, ſuo ſe nimirum gladio jugulantes. Firmat præterea quæ dixi, quòd *Cleti* tempus ita circumſcribat Catalogus Bucherianus, *Fuit temporibus Veſpaſiani & Titi & INITIO Domitiani.* Diſſimulandum tamen non eſt vocem *initio* prætermitti in *ſecundo* Catalogo, qui tamen Coſſ. retinuit rem eandem deſignantes uti vidimus.

Anacleti

Anacleti primos Coſſ. *Domitianum* X. & *Sabinum*, anni nimirum LXXXIV. ultimos *Domitianum* XVII. & *Clementem* repræſentant Catalogi. Huic annos ambo tribuunt XII. *temporibus Domitiani*, idque ſuffragiis conſentientiſſimis. Ut proinde initio *Domitiani* finis *Cleti* neceſſariò fuerit aſſignandus, rectèque habeat *ſecundi* Catalogi, quam modò dedimus, emendatio. Numerum illum eundem annorum XII. confirmant membrana *Papebrochii* atque *Ado*. Reſpondetque intervallum à fine *Cleti* an. LXXXIII. ad an. XCV. Sed IX. annos ejuſdem duntaxat agnoſcunt *Beda* atque *Anaſtaſius*, XIIII. Catalogus tertius *Sebelſtratii*, ſed facili, ut exiſtimo, errore pro VIIII. *Marianus* X. ne id quidem errore admodum difficili. Plane hoc in loco *Clementinorum* temporum veſtigia agnoſco. Et quidem finem *Clementis Pontificis* in hunc annum aptiſſimè contulerint quo cæſus eſt *Flavius Clemens Conſul* quem pro *Clemente* Pontifice acceperint qui noſtrum *Martyrem* fecerunt, ut alibi oſtendimus. Et quidem certum eſt, ut dixi, *Clementi Anacletum* fuiſſe anteponendum. Qui hoc in loco obitum *Clementis* ponebant, Succeſſionem in Faſtis ita conſtituiſſe arbitror: ut nimirum eodem anno *Linus* quo Apoſtolus obierit, Ær. *Chriſti* LXVII. *Cletus* inde annis VII. ad annum LXXIV. tenuerit; Huic *Anacletus* annis XII. ad annum LXXXVI. inde *Clemens* annis IX. ad illum quem diximus XCV. Quo verò *ratiocinio* hunc quoque numerum collegerint, deſtituti nimirum diſertis Veterum *Teſtimoniis*, jam ſuprà obſervavimus. §. 5. Addit. ad Conſtr. Diſſ. II. Cap. VI. §. 22. Cap. VIII. §. 4.

Euareſti primos Coſſ. *Valentem* & *Verum*, anni nimirum XCVI. exhibet Catalogus primus. *Veri* loco *Veterem* reponit Catalogus ſecundus & Pſeudo-*Iſidorus*. Omnino rectiùs. Poſtremos ambo *Gallum* legunt & *Braduam*, anni nimirum CVIII. Ita floruerit *temporibus noviſſimis Domitiani & Nervæ & Trajani*, teſte utroque Catalogo, niſi quòd vocem *noviſſimis* ſecundus prætermiſerit. Intervallum à fine *Anacleti* XIII. conſtat annis, totidemque tribuit *Euareſti* Catalogus primus. XII. tribuit Breviarium, à §. 6.

primis

primis nimirum *Euareſti* ad poſtremos ejuſdem *Coſſ.* Malè itaque IX. legit Catalogus ſecundus qui tamen in Coſſ. cum primo conſenſerat. Suffragantur Catalogo ſecundo Catalogi ſequentes, *Beda* etiam atque *Ado.* Nec longè diſcrepat *Marianus* qui X. annos *Euareſto* concedit. Et quidem utilis hic etiam eſt numerus, quem verè in Autoribus repererit Catalogi Autor, ut in *Alexandro* infra opportunius oſtendimus. Quod verò ad alium illum XIII. annorum numerum attinet, verè quidem ita Autorem Catalogi ſcripſiſſe conſtat, non quòd verè numerum illum in uno aliquo Autore *Euareſto* attributum reperiſſet, ſed quòd illum è variis variorum Autorum ſententiis ad Faſtos *Conſulares* annotatis, ipſe peſſimis ratiociniis imperitè collegerit. Nempe initium *Euareſti* ſuum an. XCV. cum fine ejuſdem *Euſebiano* conjunxit an. CVIII. Inde numerum *Euareſto* non illum tribuit quem tribuerant utriuſvis Hypotheſeos Autores, ſed quem inter hoſce diverſarum Hypotheſeon limites ſitum invenerat. Ita rurſùs intelligimus poſt *Euſebiani Chronici* verſionem *Latinis* Faſtis accommodatam *primi* quoque hujus Catalogi Autorem, qui vulgò creditur coævus *Liberio*, vixiſſe pariter atque ſcripſiſſe.

§. 7. *Alexandri* primi Coſſ. ſunt *Palma* & *Tullus* anni viz. CIX. in Catalogo primo, deſiderantur enim in aliis. Poſtremi *Ælianus* & *Vetus* anni nimirum CXVI. Sic annos VIII. rectè numerat Catalogi primi Editio *Heinſcheniana*, ſi quidem mentem illius ſpectemus qui Catalogum confecerit. Et quidem omnes tribuit temporibus *Trajani*. Inde factum ut *Trajanum* & *Ælianum* pro primis *Alexandri* Coſſ. acceperit Pſeudo-*Iſidorus*. Ad eundem plane modum quo in ſucceſſore *Alexandri Xyſto Hadrianum* & *Verum* primos illius fuiſſe Coſſ. idem credidit Impoſtor. Atqui VII. ejus annos duntaxat agnoſcit ejuſdem Catalogi Editio *Bucheriana*, & ſecundus *Mabillonii* Catalogus, à *primis* nimirum *Alexandri* ad ultimos ejuſdem Coſſ. *Decem* annos tribuunt Catalogus ſecundus, tertius aliique deinde recentiores horum Excriptores. *Decem* antiquiſſima *membrana*

Pape-

Papebrochii cum *Beda* etiam, *Adone* atque *Mariano*. Pro numero nimirum *Euſebiano*. Alium tamen, ut exiſtimo, Autorem ab *Euſebio* ſecutus eſt hoc in loco Autor Catalogi. IX. certè *Euareſti* annos, XII. *Alexandri* exhibent, & quidem conſentaneis admodum ſuffragiis, *Nicephorus* & *Syncellus*. Et quidem ſuprà vidimus IX. annos *Euareſto* tribuiſſe hodiernum *ſecundi* Catalogi exemplar cum aliis quoque recentioribus ejuſdem Excriptoribus, non pro conſarcinatoris *mente*, ſed quòd numerum illum ex ipſis *fontibus* acceperint, è quibus ſua perverſiſſimis ratiociniis depravaverat conſarcinator. Sic etiam ex iiſdem, ut videtur, *fontibus* annos *Alexandro* XII. attribuit primus *Mabillonii* Catalogus. Reſpondetque ſpatium accuratiſſimè, ſi quidem ab initio *Euareſti* inchoentur numeri ad finem *Alexandri*. Ab anno enim XCV. *novem* anni *Euareſti* deſinent in annum CIV. Inde rurſus ſi *Alexandri* annos duodecim incipias, iiſdem deſinent Conſſ. quibus *Alexandri* Pontificatum concludunt Catalogi, anni nimirum CXVI. Nec aliter conſtituendos exiſtimo pro genuinis Catalogorum Hypotheſibus. Nec aliunde factum veriſimile eſt quòd, cum *Primum Alexandrinum*, & *Romanum Alexandrum* iiſdem pariter *initiis* atque finibus, pro Chronici nimirum diſpoſitione, circumſcribi comperiſſet *Euſebius*, proinde annos *Primo* XII. largitus fuerit, quàm quòd totidem *Alexandro* conceſſiſſent Autores à quibus ſua fuerat mutuatus. Utque annos *Primi* non plures tamen quàm X. patiuntur ejus Canones, ſic etiam annos *Alexandri* ab eo in *denarium* numerum redactos fuiſſe veriſimile eſt.

Xyſti, ſive *Sixti*, Conſſ. primos *Nigrum* & *Apronianum* habet Catalogus primus anni nimirum CXVII. in recentioribus tamen Catalogis omiſſos. Poſtremos *Verum* III. & *Ambibulum* anni CXXVI. plane ut *Idatius*, niſi quòd *Ambigulum* illum appellet *Idatius* quem primus ille Catalogus *Ambibulum*. Ambo malè pro *Ambiguo Bibulo*. Peccant quidem recentiores Catalogi in ſcribendis poſtremorum illorum Conſſ. nominibus, ſic tamen ut alios nullos deſig- §. 8.

deſignent quàm illius, quem dixi, anni Coſſ. Annos X. ei largiuntur Catalogi ferè omnes cum vetuſtiſſimâ *membranâ Papebrochii.* IX. duntaxat *Syncellus* & *Nicephorus*, pro Faſtorum Conſularium fortaſſe methodo, à primis ejuſdem Coſſ. Monſtroſiſſimè *ſecundus* recentiorque Catalogus *Mabillonii* annos XXV. ſolus tamen & errore manifeſto. *Fuit* (inquiunt Catalogi) *temporibus Hadriani.* Hinc nimirum intelligimus cur eodem anno, quo paſſus fuerat *Alexander*, *Trajanum* etiam defunctum tradiderint *Acta Alexandri.* Hæc *Acta* ego tanti non facio, ut *Hiſtoricam* aliquam Veritatem inde confirmari poſſe ſperem. Et verò certum eſt anno illo cui Martyrium *Alexandri* tribuunt Catalogi, *Chriſti* nimirum CXVI. nondum è vivis ſublatum eſſe *Trajanum.* Id tamen fateor ex *Actis* etiam *commentitiis* rectè colligi poſſe, quo nempe *ſitu* diſpoſitos Coſſ. invenerint Actorum commentitiorum *Impoſtores.* Præſertim cum *Trajani* nullam habeamus temporibus *Xyſti* in Catalogis mentionem. Nempe annum *Trajani* ſolidum ultimum in annum CXVI. contulit, pro noſtris Tabulis, *Euſebius.* Sic ille nimirum ut CXVII. *primum* numeret annum, nempe *ſolidum*, *Hadriani.* Accedebant & illi qui annos *Hadriano* XXII. tribuebant. Hos enim ab anno CXVI. ſupputationis initium duxiſſe alibi oſtendimus.

Vid. Cl. Coſtrieſ. Diſſ. II. Cap. VII. §. 1. 4. 5.

App. ad Diſſ. Cyprian.

§. 9. *Teleſphori* Coſſ. tam primos quàm ultimos omittunt Catalogi alii omnes, excepto primo. Hic autem *primos* recenſet *Titianum* & *Gallicanum*, anni nimirum CXXVII. ultimos *Cæſarem* & *Balbinum*, anni CXXXVII. Addit etiam fuiſſe temporibus *Hadriani*, & quidem annis XI. Sic habet primi Catalogi Editio *Heinſcheniana*, rectè proculdubio, pro Catalogorum hypotheſibus. Peſſimè Editio *Bucheriana*, cum eoſdem utrobique aſſignâſſet Coſſ. temporibus tamen imputat *Antonini Macrini.* Filium certè *Macrini* Diadumenianum *Antoninum* intelligere non potuit. *Antoninum* potiùs (*Pium* ſcilicet) & *Marcum* voluit, ut è *ſecundo* colligimus Catalogo, & è *Decretalium* Impoſtore, qui ſolenni rurſus errore pro *Coſſ.* accepit ipſos *Imperatores.* Sed nullam prorſus

prorſus partem Imperii *Pii*, nedum *Marci*, ingrediuntur prædicti Coſſ. Nullam attingunt anni *Teleſphoro* aſcripti pro Catalogorum hypotheſibus. Conveniunt enim in numero annorum XI. Catalogus primus, ſecundus, Liber Pontificalis, antiqua *Papebrochii* membrana, Catalogus uterq; *Mabillonii*, *Beda* quoque, & *Ado*, *Anaſtaſius* atque *Marianus*, ne recentiores alios ſine numero recenſeam. Error itaque manifeſtus eſt Catalogi *tertii* qui ſolus annos XXI. & ſine ullo prorſus alio teſte ſuffragante concedit. Sed ne illi quidem ad *Marci* tempora pervenient. X. numerant *Nicephorus* & *Syncellus*, quod etiam ſuprà feciſſe vidimus Tabulas *Chronici*, pro Autoris mente diſpoſitas. Sed ne pro genuino *Catalogi* numero agnoſcatur, vetat tantus ille Catalogorum Exemplariumque conſenſus, ſuffragante etiam ſummâ generali ipſius *Euſebii*, ſuffragantibus Euſebianis *Codicibus Excriptoribuſque*, ipſoque etiam *Eutychio*. Erat tamen *Nicephoro* & *Syncello* erroris occaſio, pro horum Catalogorum conſuetudine facillima, non à primo anno quo cœperit *Teleſphorus*, ſed à primo ejuſdem anno *ſolido* numerantibus. Quòd verò eundem numerum annorum iiſdem cœptum, iiſdemque terminatum, pro eorundem, ut videtur, Faſtorum ordine, *Coſſ.* aliis tamen aliiſque imputent *Imperatoribus*, & quidem illis imputent Catalogi quorum ne partem quidem ullam is numerus attigerit, illum viceversâ *Imperatorem* omittant prorſus cui *totus* fuerat imputandus: Plane, inquam, hæc omnia oſtendunt quàm temerè hoc in loco omnia, nulloque ſeu judicio, ſeu conſilio, novârint *Catalogorum* Autores. Fruſtrà itaque obtenduntur diverſorum temporum neſcio qui *Vicariatus* aut *Chorepiſcopatus* aut id genus alia quæcunque ingenioſa magis, quàm ſolida, effugia conciliandis invicem Scriptorum indiligentiſſimorum in eorundem temporum deſignatione manifeſtis erroribus.

§. 10. Porro à *Teleſphori* fine ad initium *Zephyrini* Catalogos omnes hodiernos habemus vitioſiſſimos. Tranſponuntur hîc pro libito Pontifices. Minus eſt quòd miremur *Pio*

antepoſitum *Anicetum.* Sic enim anteponunt Catalogus *ſecundus*, & *primi* etiam Editio *Heinſcheniana.* In *Bucherianо* Codice quis ordo fuerit neſcimus, quippe in quo penitus deſideratur *Anicetus.* Minus, inquam, eſt quod hoc miremur quòd etiam illos ita tranſpoſitos in ſui quoque ævi Codicibus invenerint *Optatus* atque *Auguſtinus.* Hic tamen etiam variant Catalogi. *Pium* enim ſuo, ante *Anicetum* loco, reponunt Catalogus tertius *Schelſtratii* & uterque *Mabillonii.* Cur *Anicetum* ſuperiori quàm oportuit ordine veteres illi recenſuerint, cauſa eſſe poterat quòd ſub *Aniceto Romam Polycarpum* veniſſe legerant. Sunt & aliæ in loco hoc tranſpoſitiones. *Pium* temporibus *Antonini Pii* aſſignant Catalogus primus & ſecundus; *Teleſphorum Antonini* & *Marci* temporibus aſſignatum modò vidimus è *primi* Catalogi Editione *Bucherianâ* & Catalogo ſecundo: *Hyginum* ſub *vero* ponit Catalogi *primi* Editio *Bucheriana.* Sic *Pium* ante *Teleſphorum* & *Hyginum* Pontificatu functum oportuit, quem tamen ordinem Catalogorum hodiernorum nullus agnoſcit. Porro *Hygini* initium *Gallicano* & *Vetere* Coſſ. finem *Præſente* & *Rufino* deſignat Catalogi *primi* Editio *Bucheriana*, nulli tamen Coſſ. leguntur in Editione *Heinſchenianâ.* Deſunt viciſſim in *Bucherianâ* Editione Coſſ. *Aniceti*, cujus initium finemque iiſdem Coſſ. deſignat Editio *Heinſcheniana* quibus *Bucheriana* deſignaverat *Hyginum.* Sic & *Soteris* initium *Vero* & *Ereuniano* Coſſ. finem *Paterno* & *Bradua* Coſſ. ponit Editio *Bucheriana*, *Heinſcheniana* contrà iiſdem utrobique Coſſ. initium *Eleutheri* finemque diſtinguit. Sic denique *Victoris* atque *Zephyrini* Coſſ. permutant invicem Catalogi *primi*, qui habetur antiquiſſimus, Editiones illæ variæ *Bucherii* & *Heinſchenii.* E quibus omnibus illud, ut opinor, abunde liquet, Catalogi *primi* Excriptores Exemplaria ſua ad *Faſtos* potiùs Catalogi illius *Originales* exegiſſe quàm ad *Codices* à ſe fideliter exeribendos. Redeat autem noſtra, unde deflexit, oratio.

Hygini

Hygini primos Coſſ. longe veriores repræſentat Catalogus *ſecundus* quàm *primi* Catalogi Editio *Bucheriana*. Sunt enim illi *Magnus* & *Camerinus*, anni CXXXVIII. proximi nimirum à fine *Teleſphori*. Hos etiam reperit in ſui ævi Codicibus Pſeudo-*Iſidorus*. Nec alios fortaſſe ullos *Coſſ. ultimos*. Duas enim quas ſub *Hygini* nomine confinxit Epiſtolas non aliis tamen ſignavit quàm *prioribus* illis, quos dixi, *Coſſ.* IV. autem illi annos tribuunt Catalogus ſecundus *Heinſchenii*, tertius *Schelſtratii*, Pontificalis Liber, Catalogus prior antiquiorque *Mabillonii*, Membrana *Papebrochii*, *Anaſtaſius*, *Beda*, *Ado*, ne *Eutychium* addam & Græcos, *Euſebium*, *Nicephorum* atque *Syncellum*. Corrigendus itaque ſecundus *Mabillonii* qui VI. tribuit, notis numeralibus forte tranſpoſitis. Nec enim *recentiores* moror ad hos fontes utique exigendos. Sic fuerint *Hygini* Coſſ. ultimi, *M. Peducæus Syloga Priſcinus*, & *T. Hænius Severus*, anni nimirum CXLI. Nec alios intelligere potuit *ſecundi* Catalogi Autor, ſi quidem conſtare vellet, nec plures *Hygino* annos quàm *quatuor* attribuere, dum tamen *Orſitum* & *Priſcum* eorum loco reponit, *Priſci*, ut videtur, & *Priſcini* nominum ſimilitudine hallucinatus. Acceſſit præterea quòd agnomen *Priſcini* in anni CXLI. Coſſ. rarò occurrat. Non certè in Faſtis *Proſperi*, nec *Victorii*, nec *Caſſiodori*, nec *Idatii*, ſed ne quidem in *Chronico Alexandrino*. Ita factum ut ſi alios Faſtos conſuluerit Librarius quàm illos è quibus Catalogum primus confecit Autor, proximus *Priſcus* in alio illo anno CXLIX. compareret. Fefellit certè Catalogi *primi* Autorem error hic Catalogi *ſecundi*. Quanquam enim alios legamus in *primi* Catalogi Editione *Bucherianâ* Coſſ. (qui quidem Coſſ. in *Heinſchenianâ* deſiderantur) quàm legamus in Catalogo *ſecundo*: non tamen illos *primi* Catalogi Coſſ. ſed Catalogi *ſecundi* indicare voluit Autor ipſe Catalogi *primi*. Finem enim *Teleſphori* proximè excipiunt primi *Hygini* Coſſ. non quidem in Catalogo *primo* ſed *ſecundo* memorati. Et numerus annorum *Hygino* in Catalogo *primo* attributus, falſus ille quidem, deſignat §. 11.

tamen ſpatium à morte *Teleſphori* ad ſupremos *Hygini* Coſſ. non pro *primi* Catalogi, ſed *ſecundi*, rationibus. XII. annos *Hygino* tribuit Catalogi *primi* Editio utraque, qui quidem accuratè ab anno ultimo *Teleſphori*, Ær. nimirum *Chriſtianæ* CXXXVII. ad ultimos *Hygini* pro *ſecundi* Catalogi hypotheſibus Coſſ. Ær. nimirum *Chriſtianæ* CXLIX. annum attingunt. Inde diſcimus *primum* illum Catalogum qui habetur omnium antiquiſſimus, reverâ eſſe *ſecundo* recentiorem, cujus etiam ſequitur atque imitatur *errores*. Addit præterea de *Hygino* Catalogi *primi* Editio Bucheriana: *Fuit temporibus Veri.* Alio nimirum *Priſco* Coſſ. deceptus eſt, qui Collegam habuit *Apollinarem*, anno Ær. *vulg.* CLXIX. temporibus *Veri*, ſeu *Veri* nomine *Marcum*, ſeu *Lucium* potiùs fratrem intelligere velimus. Fieri tamen poteſt ut L. *Ælium Verum Hadriani* Cæſarem intellexerit eodem illo anno Coſſ. quo, pro Catalogi rationibus, deceſſerit *Teleſphorus*, & ſucceſſerit *Hygi-nus*.

§. 12. Sed verò numerum *Hygini* verum indicat *Priſcinus* Coſſ. quarto inde loco reſpondens, pro *ſecundi* Catalogi rationibus. Longe enim erat facilius ut cùm *Priſcini* nomen non occurreret, & *Priſcus* XII. loco ſequeretur, pro numero quaternario duodenarius reponeretur, major nempe pro minore, quàm ut viceversâ pro duodenario quaternarius. Indicant præterea intervalla ad *Zephyrinum*, veris, ut videbimus, numeris ſatis aptè reſpondentia, & tot aliæ indicant ex hoc uno errore ortæ Pontificum ſequentium confuſiones. Cum enim ſequentes Catalogorum deſcriptores qui ad *Faſtos* omnia pro arbitrio exigebant, numerum illum annorum XII. animadverterent propiùs accedere ad numerum *Teleſphori* quàm *Hygini*: inde factum arbitror, ut, cum *Hygino* annos *Teleſphori* aſſignatos comperiſſent, pro eodem & illi etiam exemplo, *Hygini* annos *Hygini* deceſſori imputarent. Ita certè de facto contigiſſe manifeſtum eſt. Sequebatur enim pro ſecundi Catalogi ordine *Anicetus*, & pro primi Catalogi Editione

Editione *Heinſcheniana*, in *Bucheriana* enim ejuſdem Catalogi Editione nullus omnino comparet *Anicetus*. Et quidem ſequi oportebat pro inveterato Occidentalium Catalogorum *Optato* etiam atque *Auguſtino* coævorum errore, quem tamen alii correxerunt recentiores, tertius nimirum Catalogus *Schelſtratii* & uterque *Mabillonii*. Secutum certè, & quidem proximè, *Anicetum*, vel ex ipſo Coſſ. ordine ſatis conſtat. Primos enim *Aniceti* Coſſ. *Gallicanum* & *Veterem* repræſentant Liber *Pontificalis*, Catalogus *ſecundus*, & *primi* etiam, qui habetur, Editio *Heinſcheniana*, nimirum anni CL. proximos *Orphito* & *Priſco Hygini* ultimis, pro ſuperiori illo, quem dixi, Catalogorum errore. Poſtremos *Aniceto* Coſſ. *Præſentem* & *Rufinum* iidem tribuunt Catalogi, anni viz. CLIII. A fine anni CXLIX. ad CLIII. Ecquis eſt qui non *Hygini* quadriennium agnoſcat? Agnovit certè Catalogi primi Autor *Bucherianus* qui hos eoſdem Coſſ. primos ultimoſque aſſignat *Hygino* quos illi *Aniceto* aſſignaverant, non illos utique aliâ causâ aſſignaturus, cum jam in XII. annis *Hygino* tamen aſſignandis fuiſſet aſtipulatus. Hinc itaque factum ut cum verum *Hyginum* confudiſſent cum *Teleſphoro*, duplicem proinde commenti fuerint *Hyginum*, & duplicem adeo annorum *Hygini* cenſum. Commentitii *Hygini* tempus numerârunt ut vidimus, ab An. CXXXVII. ad An. CXLIX. veros *Hygini* annos inde inchoantes, à fine ſcilicet illius qui putabatur *Hyginus*, quos tamen *Aniceto* imputabant. Inde factum puto ut & à Vero *Hygini* fine anno CXLI. aliud commenti fuerint *Hygini* quadriennium, *Aniceto* tamen ſimiliter attribuendum, quod quidem anno deſierit CXLV. A ſequentibus certe Coſſ. *Claro* & *Severo* anni CXLVI. initium *Pii* repetit Catalogi *primi* Editio utraque, pro more ſcilicet quo proximos à deceſſoris morte Coſſ. primos Succeſſoris ſolet numerare Catalogus. Sic contigit ut & annos XV. *Pio* attribuerit Catalogi primi Editio *Heinſcheniana* ab anni nimirum CXLVI. Coſſ. ad Coſſ. anni CLXI. oblitus nimirum non à primis

primis Succeſſoris, ſed ab ultimis deceſſoris Coſſ. numerari ſolitum; & tamen eidem *Pio* an. XX. tribuat ejuſdem Catalogi Editio *Bucheriana*, cum *Pii* initium atque finem iiſdem conſignet Coſſ. quibus conſignaverat Codex *Heinſchenianus*. Ratio diſcriminis hæc eſt, quòd *Anicetum* nullum agnoverit Autor Codicis *Bucheriani*. Inde factum ut *Pii* annos numeret à vero *Hygini* fine, pro horum rationibus, CXLI. ad An. CLXI. Idem tamen cum primos Coſſ. pro alterius ſupputationis methodo recenſuerit; inde diſcimus quàm licenter numeros, pro ſuo cujuſque captu, Librarii mutaverint, ut proinde non ſit à receptis eorum numeris, ſed ex eorum potiùs hypotheſibus, de primariis, quos ipſi ab Autoribus acceperint, numeris pronunciandum. Sic itaque errores primi Catalogi errorumque fontes ad annum CLXI. deteximus.

§. 13. Remotis autem qui quidem pro eorum hypotheſibus removeri poſſunt numeris erroneis, jam ſeriem integram Succeſſionis ad prædictam Epocham, pro illis ſaltem, quibus uſi ſunt primorum Catalogorum Autores, Principiis diſponemus. *Hygino* itaque annos IV. & quidem anno CXLI. finiendos aſſignâſſe ſatis conſtat. Succeſſit proximus, pro hujus Catalogi rationibus *Anicetus*. Huic autem ita *Hygini* annos illi attribuerunt Autores, ut quos verè repererint Autores illi in ſuis item Autoribus *annos* Aniceto proprios, è primis hiſce Catalogis omnino diſci non poſſit. Sic itaque deſinent anni *Aniceti* quatuor anno CXLV. Sic certè reſpondent numeri ſequentes ut veros *Anacleti* annos inſeri minimè patiantur. Et tamen *Anacleti* annos XI. agnoſcit Catalogus *ſecundus*, agnoſcit uterque *Mabillonii* cum Libro *Pontificali*, *Bedâ*, *Adone*, *Anaſtaſio*, *Mariano*, & *Græcis* quoque ſuffragantibus *Nicephoro* & *Syncello*. Qui quidem numerus quo minùs convenit cum *Coſſ.* eò minùs illum è *Faſtorum* intervallis errorum plerorumque fontibus, ſed potiùs è diſertis Veterum *teſtimoniis* deſcendiſſe veriſimile eſt. Quæ verò illa Teſtimonia fuerint, an *Chronici Euſebiani*, an

an propria *Latinorum* alia, illud ſane non conſtat. Remotis tamen *conjecturis*, remotâ etiam ab *Aniceto* perſonâ *Hygini*, nihil eſt quòd ſuſpicemur alias fuiſſe de *Hygini* tempore *Græcorum Latinorumque* Traditiones. VIII. ejus annos duntaxat agnoſcit *membrana Papebrochii*, non quidem ex *Hiſtorico* Teſtimonio, ſed è proprio Autoris ratiocinio. *Detractis* enim è falſo *Hygini* numero duodenario vero ejuſdem quaternario, ſupererant anni VIII. *Aniceto* imputandi. Quòd verò X. annos tertius numerat Catalogus, error eſt facillimus frequentiſſimuſque id genus Autoribus à primis Pontificum Coſſ. uti dixi, numerantibus.

Pio XV. duntaxat annos tribuere voluerunt Autores §. 14.
Catalogorum, à *Claro* & *Severo* Coſſ. anni CXLVI. ad *duos Auguſtos* Coſſ. anni CLXI. Priores Coſſ. reperit in ſui *temporis* Catalogis Pſeudo-*Iſidorus*. Et tamen per errorem annos ei XV. tribuerunt, obliti nimirum non à primis *Pii* ſed ab ultimis deceſſoris numerandum eſſe Coſſ. Hunc certè numerum agnoſcit Catalogus primus *Heinſchenianus*; agnoſcit ejuſdem Catalogi Editio *Buchériana* in Coſſ. intervallo, licet ſummam generalem aliam repræſentet; agnoſcit Catalogorum imitator *Marianus*. Ne dicam jam Scriptores *Orientales* qui uno omnes ore & ſuffragio agnoſcant, *Euſebium*, *Nicephorum* Patriarcham, *Eutychium*, *Syncellum*. Hic ergo numerus *Hiſtoricus* eſt, reliqui hallucinantium duntaxat conjecturis aſſignandi. Qui annos XVIII, XIX, aut XX. concedunt, ſub uno *Pii* nomine *Anicetum*, ſub *Hygini* tamen perſonâ, complectuntur. Inde fortaſſe factum quòd *Anicetum* primò omiſerint, tandem deinde, pro Orientalium methodo, *Pio* poſtpoſuerint. XI. largiuntur *membrana* Papebrochii & *Breviarium*, numerum ſcilicet *Aniceti*, cujus perſonam apud illos *Pius* gerere hoc in loco viſus eſt, *Hygino* nempe proximus.

Sequun-

§. 16. Sequuntur jam Pontificum tempora minùs impedita. *Soteris* Coſſ. primos *Ruſticum* & *Aquilinum* ſecundus exhibet Catalogus & Liber Pontificalis, anni nimirum CLXII. poſtremos *Cethegum* & *Clarum*, anni CLXX. Sic & Pſeudo-*Iſidorus*. Intervallum à fine *Pii* annorum IX. Rectè quidem illud, & pro mente Catalogorum. Totidem enim *Soteri* annos aſſignat Catalogi primi Editio utraque, Catalogus ſecundus, tertius, & primus *Mabillonii*. Quin & membrana *Papebrochii* vetuſta, *Beda*, *Ado*, *Nicephorus* Patriarcha atque *Syncellus*. XIIII. tribuit ſecundus *Mabillonii*, ſed errore notarum numeralium facillimo, pro VIIII. Non eſt itaque quòd dubitemus quin, pro veterum Scriptorum *Occidentalium* traditionibus, hic numerus illi fuerit aſſignandus. Addit Catalogus ſecundus, *Fuit temporibus Severi*, cum tamen *Severi* Imperio non conveniant prædicti Coſſ. Sed facilis eſt emendatio. Pro *Severi* reponendum *Veri*, quo nomine *Marcus* ſolet appellari ſæpiſſimé. Tribuit porro *Soteri* Conſulatus *Eleutheri* Catalogi primi Editio *Bucheriana*, corrigenda tamen ex ejuſdem Catalogi Editione *Heinſcheniana*, ex quâ diſcimus finem illum *Soteris Bucheriani Eleuthero* ipſi tribuendum eſſe, in quâ alioqui integer deſideratur *Eleutherus*.

§. 17. *Eleutheri* ergo Coſſ. primi memorantur *Verus* & *Erennianus* anni CLXXI. poſtremi autem *Paternus* & *Bradua* anni CLXXXV. Ita Catalogi primi Editio utraque, ſi quidem *Soteris Bucheriani* poſtrema ad *Eleutherum* retuleris. Deſunt tamen in ſecundo Catalogo & Libro Pontificali Coſſ. priores. Et quidem olim defuiſſe quando impoſturas ſuas commentus eſt Pſeudo-*Iſidorus* vel illud argumento eſt, quòd poſtremos duntaxat Coſſ. habuerit quibus Epiſtolam ſignaret tribuendam *Eleuthero*. Occaſionem cur exciderint primi Coſſ. ex illis *ſecundi* Catalogi verbis repetendam exiſtimo: *Fuit temporibus Antonini & Commodi uſque Paterno & Bradua*. *Antoninum* nimirum & *Commodum* pro primis Coſſ. habebant recentiores. Inde factum

factum ut primos Coſſ. excluderent quos in primo Catalogo ſtatim ab *Antonini Commodique* mentione etiam hodie legimus. Hoc autem in loco de numero *Hiſtorico* nihil eſt quòd dubitemus. XV. enim annos *Eleuthero* tribuunt Catalogus ſecundus & tertius & Liber Pontificalis, & prior antiquiorque *Mabillonii*. Quin & membrana *Papebrochii*, & *Beda* quoque atque *Marianus*, ſuffragantibus etiam *Orientalis* Eccleſiæ Scriptoribus, *Euſebio*, *Nicephoro* Patriarcha, & *Eutychio*. *Syncelli* enim & ſecundi Catalogi *Mabilloniani* error V. duntaxat annos *Eleuthero* tribuentium manifeſtior eſt quàm ut ullam moveat vel leviſſimam de *Lectione* variâ ſuſpicionem. Rectè denique *Antonini* & *Commodi* temporibus, pro horum Coſſ. ſpatio, aſſignatur *Eleutherus*.

Victoris Coſſ. primi recenſentur *Commodus* V. & *Glabrio*, anni CLXXXVI. ultimi *Lateranus* & *Rufinus*, anni CXCVII. Ita Catalogus *ſecundus*, & Liber *Pontificalis*, etiam in coævis Pſeudo-*Iſidoro* Codicibus. Inde factum ut priorem *Victoris* Epiſtolam *Commodo* & *Grabione* Coſſ. ſignârit, ſecundam *Laterano* & *Rufino*. Deſunt autem *Victoris* Coſſ. in utráque Catalogi primi Editione. Sufficiuntur autem eorum loco, in Editione *Bucherianâ*, Coſſ. *Zephyrini*, qui ipſe deſideratur, ad eundem plane modum quo etiam finem *Eleutheri* omiſſi cum *Victore* conjunctum ſuprà obſervavimus. Quare Editionem *Bucherianam* hoc in loco rectè rurſus ex *Heinſcheniana*, aliquâ ſaltem ex parte, ſuppleveris. Conſtat nimirum hoc omne intervallum annis omnino XII. pro *Nicephori* numeris & *Syncelli*, quin & *Proſperi* etiam & *Græcorum* nonnullorum, ut ſuprà ad *Euſebianos* numeros obſervavimus. Nec aliam Ego Catalogi utriuſque *Mabilloniani* ſententiam exiſtimo. Concedunt illi *Victori* annos XV. errore nimirum facillimo pro XII. & in MSS. frequentiſſimo. Et tamen IX. *Victoris* annos ſolos agnoſcit *primi* Catalogi utraque Editio. X. Catalogus *ſecundus* & *tertius*, iiſdem tamen, uti dictum eſt, agnitis Coſſ. qui annorum XII. ambitum §. 17.

complectuntur. X. Liber *Pontificalis*, membrana *Papebrochii*, & *Beda* etiam atque *Marianus*. Sic nos relinquunt in incerto quem potiùs numerum tradiderint *Latini*. Temporibus illum *Commodi* & *Pertinacis* & *Severi* tribuit Catalogus *ſecundus*, quod ſatis aptè conveniet quemcunque tandem illi numerum aſſignaveris.

§. 18. *Zephyrini* primi ſunt Coſſ. *Saturninus* & *Gallicanus* anni CXCVIII. ultimi *Præſens* & *Strigatus*, ſeu *Extricatus* potius, anni CCXVII. Sic *primi* Catalogi Editio *Heinſcheniana*, & *Bucheriana* etiam ſi poſteriorem partem *Victoris Zephyrino* rectiùs tribuendam avulſeris. Sic etiam Catalogus *ſecundus*, & Liber *Pontificalis*, & in primis etiam Coſſ. Pſeudo-*Iſidorus*. Spatium eſt XX. annorum ſi quidem à *Victoris* Coſſ. ultimis numerus, pro horum Catalogorum more, inchoetur. Et tamen neminem habemus qui numerum illum tribuat *Zephyrino*, niſi forte in Faſtos unius in hoc loco anni Coſſ. mutilatos inciderint Catalogorum Autores. Potius crediderim oblitum moris ſui Autorem *Zephyrini* annos à primis *Zephyrini* exorſum eſſe Coſſ. Sic ſedem annis tenuerit XIX. quem numerum agnoſcunt Græci *Nicephorus* Patriarcha & *Syncellus* quos cum Catalogi noſtri numeris conſentaneos ſæpe ſumus experti. *Latinorum* agnoſcit nemo, ni unum excœperis fortaſſe *Marianum*, & loco IX. XIX. potius reponendum cenſeas. Alios omnino numeros legunt plerique horum Catalogorum Exciptores. XVI. membrana *Papebrochii*, XVIII. Catalogus uterque *Mabillonii*. Quin & ipſi horum Coſſ. *Autores* alios tamen tribuunt *numeros* quàm qui conveniant cum Faſtorum Conſularium intervallo. *Zephyrini* numerum omiſit Catalogi primi Editio *Bucheriana*. *Heinſcheniana* annos numerat XVII. Sed VIII. duntaxat (XVIII. tamen loco, ut videtur) Catalogus *tertius*, Liber *Pontificalis* & *Beda* cum *Adone*. Quocunque autem modo numerum excœperis, verum erit quod tradit Catalogus ſecun-

ſecundus: *Fuit temporibus Severi, & Antonini*, nimirum *Caracallæ.*

Sic equidem ſe *res* habere debuit, & *hiatus* illi omnino agnoſcendi ſi quidem ad Coſſ. numeros illos exigamus. Nec id fortaſſe mirum videbitur in Scriptorum genere alioqui indiligentiſſimo. Quòd ſi malis *hiatus* illos ſupplere, & *numerorum* potiùs à Catalogis memoratorum quàm *Coſſ.* habere rationem, ſic illi fortaſſe ab *Hygini* morte erunt conſtituendi. Succeſſerit imprimis *Hygino* anno CXLI. defuncto, (pro Catalogorum ſerie) *Anicetus* annis XI. Sic *Aniceto* anno CLII. mortuo ſucceſſerit *Pius.* Et quidem *Aniceti* annos XI. agnoſcunt ipſi Catalogi & Catalogorum genuini plerique deſcriptores, quanquam Coſſ. non reſpondeant. *Pii* ſolius annos XV. duntaxat agnoſcit Catalogi *primi* Editio *Heinſcheniana* & *Marianus*, Scriptoreſque *Orientales* omnes. Sic ſedem tenuerit ad annum CLXVII. *Soteris* annos IX. numerant plerique *Latini.* Ita ſucceſſorem acceperit *Eleutherum* anno CLXXVI. In *Eleutheri* annis ferè nullus eſt diſſenſus, ſeu *Occidentalium* ſeu etiam *Orientalium.* XV. enim ejus annos plerique recenſent, anno proinde XCI. utique finiendos. *Victoris* annos IX. & quidem ſolos, agnoſcit Catalogi *primi* Editio utraque tam *Bucheriana* quàm *Heinſcheniana.* Cui anno proinde CC. ſucceſſerit *Zephyrinus. Zephyrini* numeros nullos habet Catalogus *primus*, ſed XVII. tribuit *ſecundus* Catalogorum reliquorum ſine dubio antiquiſſimus. Sic nullus erit *hiatus*, ſed rectè omnia accurateque reſpondebunt, eodemque obierit anno *Zephyrinus* quo erat pro Faſtorum lege obiturus, anno nimirum CCXVII. Et cum duplices hoc in ſpatio rationes ſecutos conſtet Catalogorum Autores, aliam per *Coſſ.* per *numeros* aliam & à Coſſ. ratione diverſiſſimam: non aliam fuiſſe crediderim illis *numerorum* rationem. Ex utraque illud certè diſcimus, quàm variæ fuerint, hoc in loco, etiam primi Catalogi ætate, quámque incertis ratiocinantium conjecturis fultæ, *Lati-* §. 19.

norum Traditiones. Nec aliunde fortaſſe factum quòd *primum* hunc Catalogum adeo, hoc in loco, mancum habeamus. Jam ſatis viſum eſt quantâ illum licentiâ deſcripſerint recentiores, & dum illum, ut ſibi videbatur, emendarent, quàm longe aliam in formam mutârint quàm quâ fuerit à primo ejus Autore conceptus. Cum ergo *numeros* à *Coſſ.* intervallis diverſiſſimos, pro diverſis nimirum Autorum hypotheſibus, invenirent, illam ſibi emendationis methodum ineundam credebant, ut nunc *numeros* omitterent, nunc *Coſſ.* ut veritati nempe conſentaneum judicabant. Certè ubi invicem accuratè *conſtant*, nullam videmus iſtiuſmodi hujus Catalogi *mutilationem*. Sed verò ad *Calliſtum* jam progrediamur.

§. 20. Hujus primi Coſſ. ſunt *Antoninus* & *Adventus*, anni CCXVIII. ultimi, *Antoninus* III. & *Alexander*, anni nimirum CCXXII. Sic enim utraque Catalogi primi Editio invicem conſentientiſſima, unde recentiores Catalogi corrigendi ſunt. Nec minùs illa in tempore conſentit. V. enim annos utrobiq; tribuit, pro Faſtorum Conſularium ratione accuratiſſimè. Convenit porro in *Imperatoribus* quibus *Calliſti* Pontificatum aſſignat. *Fuit* (inquit) *temporibus Macrini & Heliogabali.* Cœpit nimirum ab eodem illo anno quo cæſus eſt *Caracalla*, ſucceſſitque *Macrinus*. Deſiit illo quo deſiit *Elagabalus*, ſuffectuſque eſt in ejus locum *Alexander Severus*. Hujus autem *depoſitionem* conſervavit nobis *depoſitio Martyrum* à *Bucherio* edita *Octobr.* XIV. Suffragatur Catalogus *ſecundus*, vetus etiam membrana *Papebrochii*, & reliqui deinde recentiorum *Catalogi* atque *Martyrologia*. Ita factum ut etiam de annorum *minutiis* recentiorum Pontificum, propiùs deinde poſſumus ad *veritatem* accedere atque pronunciare.

§. 21. *Urbani* primos Coſſ. tradit Catalogus primus *Maximum* & *Ælianum* anni CCXXIII. ultimos *Agricolam* & *Clementinum* anni CCXXX. nullâ utriuſvis Editionis diſcordiâ. Deſunt tamen utrique Coſſ. in Catalogis recentioribus, & quidem uſque à Sæculo Pſeudo-*Iſidori*. Inde factum

factum ut Epiſtolam *Urbani Antonini & Alexandri* Conſulatu, *Calliſti* nimirum ultimo, ſignârit. Hinc itaque recentiores illi Catalogi ſupplendi ſunt. Et quidem ſpatium annorum VIII. *Urbano* tribuunt ambæ *primi* Catalogi Editiones, tribuit Catalogus *ſecundus* & membrana *Papebrochii*. VII. duntaxat *Nicephorus* & *Syncellus*, errore utique facillimo ſi quidem à Faſtis Conſularibus deſumptum numerum ſupponamus, & primum *Urbani* annum à primis ejuſdem Coſſ. inchoemus. Numero certè octonario etiam aſtipulatur *Euſebius*. VIIII. concedunt Catalogi *Mabilloniani*, id etiam errore facillimo ſi illis, quas deſcripſi, notis numerum Autores ipſi deſignârint. Annos ejuſdem plus æquo contractiores faciunt qui IV. duntaxat treſve annos *Urbano* concedunt, quod tamen faciunt recentiores Catalogorum deſcriptores. IV. tribuunt Catalogus *tertius* & Liber *Pontificalis*. *Tres* tamen ſolos agnoſcit *Beda*. Hanc contractionem eâ occaſione ortam eſſe crediderim, non quòd *Autores* ulli fuerint qui numeros illos ab origine tradiderint; ſed quòd numeros æquo auctiores *Urbani* deceſſoribus, ſuis nimirum ducti conjecturis, aſſignârint. Convenit porro cum prædicto, quem dedimus, numero ſatis aptè quòd *temporibus Alexandri Urbanum* tribuat Catalogus *primus*, & quidem in utràque Editione ſatis concorditer, quanquam verba illa in *ſecundo* Catalogo omiſſa ſint.

Pontiani primi Coſſ. ſunt *Pompeianus* & *Pelignianus* §. 22.
Anni CCXXXI. ultimi *Severus* & *Quintianus* Anni CCXXXV. Sic enim Catalogi *primi* Editio utraque. Sic & *ſecundus* Catalogus & Liber *Pontificalis*. Et quidem ultimis Coſſ. *Severo* & *Quintiano* Epiſtolas *Pontiano* tribuendas ſignavit Pſeudo-*Iſidorus*. Rectè itaque, & pro hujus calculi legibus, V. ejus annos numerat Catalogus primus tam *Bucherianus* quàm *Heinſchenianus*, atque inde *Marianus*. Totidem certè agnoſcunt *Euſebius* & *Eutychius*. Quòd *tres* duntaxat aſſignent *Nicephorus* & *Syncellus*, inde fortaſſe contigit quòd *tertio* ejus anno Pontificum

tificum Succeſſionem terminârit *Hippolytus*. VII. tribuit Catalogus *Mabillonii* primus, VIII. Catalogus *ſecundus*, IX. Catalogus *tertius*, Liber *Pontificalis*, & ſecundus *Mabillonii*, cum *Bedâ* etiam & *Adone*, nullo tamen Teſtimonio freti, ut videtur, *Hiſtorico*; ſed quòd per aliquem ordinis errorem *Pontiano* annos *Urbani* attribuerent. Prædicto certè numero convenit quod addit Catalogus *primus* Editionis utriuſque, *Fuit temporibus Alexandri*, agnoſcente etiam Catalogo *ſecundo*, nec vidente tamen quàm id cum ſuo, quem dederat, numero pugnaret. Porro hujus *Pontiani* memoriam *diebus* diverſiſſimis aſſignant Eccleſiæ Archiva diverſiſſima. *Idibus Auguſti* celebratam, & quidem *Romæ* in *Calliſti* (Baſilicâ nimirum) oſtendit Autor *Bucherianus* Depoſitionis *Martyrum* qui verè ſcripſit ſub *Liberio*, eodem nimirum *die* quo & *Hippolytum* celebrârunt in *Baſilicâ Tiburtinâ*. Non *mortis* memoriam, ſed *exilii*, diem qui communis erat cum *Hippolyto*, hunc intelligo. *Diſcinctum* ait noſter Catalogus IV. *Kal. Octobr.* quaſi nimirum *miles* noſter fuiſſet *Pontianus*. Sic enim Autor imperitiſſimus *diſcinctos* aliquoties *Martyres*, nimirum *milites militari* nempe *cingulo* exutos. Meliùs *defunctum* legit Catalogus *ſecundus*, ſed die rurſus admodum diverſo III. Kalend. *Novembr.* i. e. *Octobr.* XXX. Sed *Novemb.* XIX. defunctum tradit Liber *Pontificalis*; XX. ejuſdem *Novemb. mactatum Ado*, aſtipulantibus Autoribus *Adone* antiquioribus, veteri *Martyrologio Romano* atque *Bedâ*, & juniore *Mariano*; XXI. alii; XXIII. Catalogus ſecundus *depoſitum*, die nimirum à *Depoſitionis Bucherianæ* die longe alio. Inde conſtat quàm diverſas Eccleſiarum etiam diverſarum commemorationes in unum congeſſerint Martyrologi. Quòd etiam in *Romano* veteri *Martyrologio*, ſeu potiùs *Kalendario*, factum, teſtis eſt in ſuâ ad *Eulogium* Epiſtolâ *Gregorius*. Sunt tamen horum dierum plerique de mendâ potiùs fortaſſe ſuſpecti.

Anteri

Anteri mortem *Maximino* & *Africano* Coſſ. apponit utraque *primi* Catalogi Editio, anni nimirum CCXXXVI. Suffragatur *ſecundus* Catalogus cum Libro *Pontificali*. Et quidem ita ſuo quoque Sæculo conſignatam reperit Pſeudo-*Iſidorus*. In eo tamen oblitus eſt Impoſtor quòd XII. Kal. *April.* Epiſtolam *Anteri* datam finxerit, cum tamen III. *Nonas Januarias dormitionem Anteri* locârit Catalogus *primus* nullâ utriuſvis Editionis diversâ lectione, & membrana *Papebrochii*, quin & *Martyrologia* vetera, *Romanum*, *Bedæ* & *Adonis*. Sepulturam IV. Non. *Januar.* aſſignat Catalogus *ſecundus*, è primo potiùs, ut videtur, emendandus. Minutias hoc in loco non excutimus quas accuratè executus eſt in *Cyprianicis Annalibus* Cl. noſter *Ceſtrienſis*. Dies alii XI. alii XII. numerant quos pro menſibus acceperunt alii. §. 23.

Fabiani primi ſunt Coſſ. iidem qui ſuprà *Maximinus* & *Africanus* anni CCXXXVI. ultimi *Decius* II. & *Gratus*, anni CCL. Ita Catalogi *primus* & *ſecundus*, & deinceps alii. Intervallum annorum XIV. quos illi tribuunt iidem Catalogi. Sic fuerit *temporibus Maximini & Gordiani & Philippi*, quorum temporibus aſſignatur in Catalogo *primo*. §. 24.

Sic equidem hujus Hypotheſeos ſeriem conſtituendam arbitror pro *Coſſ.* intervallis, quæ & *Cleti* ſuppoſititii inſertione, & immiſtis aliarum Hypotheſeon, rationibus, præſertim *Euſebianis*, à primævâ conſtitutione mutata eſt. Et quidem ſic mutata ut his ipſis erroribus *Coſſ.* fuerint accommodati. Quòd ſi *ſinceram* illam cupias, qualis fuerat ætate *Optati* atque *Auguſtini*, nedum *Liberii*, & *Cleto* illo inſititio, & cujuſcunque generis *hiatibus* purgatam, quæque poſſit intervalla omnia replere: ſic illam ecce repræſentamus. §. 25.

S. Petrus

	An. Dom.	
S. *Petrus* ab anno 29. ad	54	An. 25
Linus ad	66	12
Anencletus ad	78	12
Clemens ad	87	9
Euareſtus ad	96	9
Alexander ad	108	12
Xyſtus ad	118	10
Teleſphorus ad	129	11
Hyginus ad	133	4
Anicetus ad	144	11
Pius ad	159	15
Soter ad	168	9
Eleutherus ad	183	15
Victor ad	195	12
Zephyrinus ad	214	19
Calliſtus ad	222	8
Urbanus ad	230	8
Pontianus ad	235	5
Anterus ad	236	menſ. 1
Fabianus ad	250	14

Numeros, hâc in ſerie, nullos habemus quorum non apparuerint, etiam in corruptiſſimis hodiernorum Catalogorum exemplaribus, ſatis luculenta *veſtigia*. Et cum *principiis* quibus uſi ſunt in Ratiociniis ſuis Catalogorum *conditores*, adeo accuratè reſpondeant; cum *ſpatia Hiſtorica* ad *Fabiani* finem in *Hiſtoriâ* certiſſimum ita expleant ut nullos prorſus relinquant Interpontificiorum *hiatus*, quos nullos memorant, in hoc ſaltem ſpatio, *Catalogi*; cum adeo manifeſtò pugnent invicem, ubi ab his numeris diſcedunt, *Occidentales Catalogi*, ut ſe plane prodant, erroremque convincant: vix eſt ſane quin hos numeros fateamur ex Autorum *Teſtimoniis* hauſtos, reliquos autem omnes ab incertis fuiſſe ratiocinantium *conjecturis*, indignoſque adeo quibus, in hâc, de quâ agimus, Pontificum

Roma-

Romanorum ſucceſſione, credamus. Et quidem in *poſtremis* ab initio *Zephyrini* Pontificibus longe omnium proximè ad veritatem accedunt hæ Catalogorum rationes, in *prioribus* ex *Eutychio*, ut videbimus, emendandæ, non quidem pro *numeris*, ſed pro *ſitu* ſaltem atque diſpoſitione.

CAP. X.

Romanorum Pontificum rationes *Eutychianæ.*

§. 1. Eutychianæ *Imperatorum rationes, cum* Pontificum *intervallis accuratè reſpondeant, ſunt tamen ipſæ* vitioſiſſimæ. §. 2. Eutychius *nec* Euſebio, *nec Pontificum* Catalogis, *in Succeſſionis* initio, *conſentaneus.* §. 3. *Deficiunt etiam rationes* Eutychianæ Pontificum. § 4. *Rationes* Eutychianæ *eædem cum* Euſebianis. *Quid ſit in* Eutychii *Chronologiâ* certum, *utque ea* emendanda *ſit.*

NEC verò adeo ſibi conſtant rationes etiam *Eutychianæ* quin & illæ quoque mereantur expendi. Aliter fiet ut & ibi *conjecturas* Autoris cum ejuſdem *Teſtimoniis* confundamus *Hiſtoricis*, Illud certè proprium eſt *Eutychii* beneficium quòd, ut alii *numeros* nonnunquam rectiùs, quam ille, tradiderint; ad *ſitum* tamen Pontificum priorum nemo propiùs acceſſerit. Pendet autem ſitus ille ab annis *Imperatorum*, & quidem illis non verè & *Hiſtoricè*, ſed pro *Eutychianâ* methodo diſpoſitis. § 1.

Id certè manifeſtum eſt ad *Eutychianos Imperatorum* annos accommodatos eſſe annos *Pontificum Eutychianos*. Id rurſus manifeſtum eſt *Imperatorum* annos non minatè, ſed *ſolidos* ab *Eutychio* eſſe ſupputatos. Id denique manifeſtum eſt, in annorum *ſolidorum* ſupputatione ita hallucinatum eſſe *Eutychium*, ut annis nonnunquam integris deficiant à *veris* Imperatorum annis anni eorundem *Eutychiani*, & quò longiùs in ſupputatione progreditur, eò illum errare longiùs. Si ergo annos *Imperatorum* à veris & fide dignis Autorum *Teſtimoniis* didicerit, Pontificum numeros falſos eſſe neceſſe erit, qui annis Imperatorum *veris* non reſpondent. Sin contrà numeros *Pontificum* è genuinis hauſerit monumentis, Imperatorum annos nothos eſſe oportet, qui numeros *Pontificum* non abſolvant. Neutro certè in loco peccâſſe *Librarios* exinde conſtat, quòd *falſi* utrobique numeri plerunque reſpondeant; pugnent autem diſſentiantque plerunque ſi *veros* numeros eorum vice repoſueris. Sed rectiùs hæc è *tabellis* conſtabunt, quibus anni Imperatorum *Eutychiani* cum *veris* eorundem annis quibus obierint, ob oculos repræſententur. Incipiemus autem à *Tiberio* à cujus Principatu S. *Petri* Pontificatum inchoavit *Eutychius*.

Tiberius

Secundùm *Eutychium*		obitus A. D.	obit. verus A. D.	differimen
Tiberius tenuit annis	22	36	37	anni 1.
Caius annis	4	40	41	
Claudius	14	54	54	nullum.
Nero	13	67	68	anni 1.
Galbæ, &c. nullus annus solidus *Eutychio.*				
Vespasianus	9	76	79	anni 3.
Titus	3	79	81	anni 2.
Domitianus	15	94	96	
Nerva	1	95	98	anni 3.
Trajanus	19	114	117	
Hadrianus	20	134	138	anni 4.
Pius	22	156	161	anni 5.
Marcus	19	175	180	
Commodus	12	187	192	
Severus	17	204	211	anni 7.
Caracalla	6	210	217	
Macrinus	1	211	218	
Elagabalus	3	214	222	anni 8.
Alexander	13	227	235	
Maximinus	3	230	237	anni 7.
Gordianus	4	234	244	anni 10.
Philippus	7	241	249	anni 8.
Decius	2	243	251	

§. 2. S. *Petri* Martyrium anno à Chriſti *crucifixione* XXII. aſſignat *Eutychius*. Sic ille, pro Catalogorum hypotheſibus, ut rectè obſervavit Cl. Pater *Ceſtrienſis*, Autor unde numerum hunc acceperat, *Tiberii* XVIII. *Chriſti* XXXII. *crucifixionem* attribuerat. Inde XXII. anni inchoati ad annum LIV. pertingunt, quo exceſſit *Claudius*, cœpit autem *Nero*. Sed alium ipſius *Eutychii* calculum exigunt numeri ſequentes. Ut nimirum *Tiberii* XIX. *Chriſti* XXXIII. veriùs, cum *Chronico Alexandrino*, Domini *crucifixionem* appoſuerit, & S. *Petro* non annos duntaxat XXII. ſed XXV. conceſſerit, anno Æt. *vulg.* LVIII. *Neroniſque* IV. finiendos. Sic ille Hypotheſin nec *Euſebianam*, nec Librorum *Pontificalium* ſecutus fuerit; ſed aliam quandam inter utraſque mediam. Cauſâ eſſe potuit quòd in illos Faſtos incidiſſet, in quibus *quarti* Neronis Coſſ. *Nero* ipſe III. & *Meſſala primo Neronis* anno fuiſſent appoſiti. Ita certè appoſuit *Proſper*, atque ita appoſitos, cum his ipſis *Coſſ.* SS. *Petrum & Paulum paſſos* memorat, inveniſſe ſuprà obſervavimus *Idatium*. Sic ille diſcrepantiam nullam à *Catalogorum* initiis reverà voluiſſet, ſed calculi vitioſi errore in diſcrepantiam illam præter mentem ſententiamque incidiſſet. Vel fieri fortaſſe potuit ut à *veris* numerorum *Hiſtoricorum* initiis retrorsùm ducta ſupputatio in aliud, quod dixi, initium incidiſſet.

§. 3. *Lino* annos XII. diſertis verbis tribuit *Eutychius*. Hi à prædicto initio ducti deſinent anno *Chriſti* LXX. *Veſpaſiani* III. pro calculis *Eutychii*. Inde etiam verbis diſertiſſimis *Anencleti* initium repetit *Eutychius*. Inde numeros tum *Pontificum* tum *Imperatorum* continuâ ſerie invicem conjunxit.

Anencleti anni duo finientur anno LXXII. *Veſpaſiani* V.

Clementis IX. anno LXXXI. & II. *Domitiani.*

Evareſti VIII. anno LXXXIX. & X. *Domitiani.*

Alexandri X. anno XCIX. & IV. *Trajani.*

Xyſti X. anno CIX. & XIV. *Trajani.*

Teleſ-

Teleſphori XI. anno CXX. & VI. *Hadriani.*
Hygini IV. anno CXXIV. & X. *Hadriani.*
Pii XV. anno CXXXIX. & V. *Pii.*
Aniceti XI. anno CL. & XVI. *Pii.*
Soteris VIII. anno CLVIII. & II. *Marci.*
Eleutheri XV. anno CLXXIII. & XVII. *Marci.*
Victoris X. anno CLXXXIII. & VIII. *Commodi.*
Zephyrini XVIII. anno CCI. & XIV. *Severi.*
Calliſti VI. anno CCVII. & III. *Caracallæ.*
Urbani IV. anno CCXI. & I. *Macrini.* Hoc primùm incipit in loco à ſe diſſidere *Eutychius* qui *Urbani* finem & *Pontiani* initium primo, non *Macrini* imputat, ſed *Elagabali:* Omiſſo nimirum anno illo *Macrini.*
Pontiani V. anno CCXVI. & II. *Alexandri*, pro rationibus *Eutychii* prioribus. Sed III. ejuſdem *Alexandri*, pro *poſterioribus.*
Anteros XII. anno CCXXVIII. & I. *Maximini*, pro rationibus *prioribus*; III. pro *poſterioribus.*
Fabiani XIII. anno CCXLI. ultimo *Philippi*, pro *prioribus*; I. *Galli* & *Volaſiani* pro calculis *poſterioribus.*

§. 4. Ita certò conſtat rationes *Eutychianas* omnes eſſe inſanas, tam *Imperatorum* illas quàm etiam *Pontificum.* Nec enim ab altioribus illis initiis deductæ eouſque pertingunt quò pertigiſſe oportuit pro *Hiſtoriæ* veritate. Vidimus in ſerie *Imperatorum*, ad I. *Decii* quo paſſus eſt *Fabianus*, deeſſe *Eutychio* annos ſolidos VIII. Vidimus præterea in ſerie *Pontificum* cum *Imperatoribus* committendâ prætermiſſum eſſe præterea annum unum *Macrini.* Sic deerunt in univerſo *Pontificum* ſpatio anni ſolidi IX. detrahendi utique pro veris *Hiſtoriæ* rationibus. Sic itaque Martyrium S. *Petri* novennio ſeriùs conſtituendum erat quàm illud conſtituerit *Eutychius.* An. IV. autem *Neronis* anni additi IX. ad XIII. ejuſdem annum pertingent, quo ipſo anno Apoſtoli paſſio ab ipſo collocatur *Euſebio.* Sic erit ſuſpicio, emen-

emendatis *Eutychiani* calculi erroribus, praviſque adeo annorum Pontificiorum Imperatoriorumque *commiſſuris*, an rationes alias ab *Euſebianis* ullas tradere voluerit *Eutychius*: Quin potiùs *nullas* Pontificum diverſas tradere voluiſſe mihi ſane, hâc ipsâ etiam de causâ, ſuſpectiſſimum eſt. Nec tamen temerè factum exiſtimo quòd alios tradiderit Imperatorum Pontificumque *Synchroniſmos Eutychius* quàm tradiderit *Euſebius*. Annum quo cœperit *Pius* inſignem fecerat *ortus*, ut oſtendi, *Marcionis*, quem quidem ortum *Imperatoris* anno conſignatum verisimile eſt, ut in ſequentium quoque Hæreticorum ortu factum oſtendimus. Ex hujuſmodi ergo aliquo Autore *annum* didicit *Eutychius* Imperatoris quo ſucceſſerit *Romæ Pius*, *Aniano* fortaſſe aut *Panodoro*, qui erant, ut *Eutychius* ipſe, *Alexandrini*. Aliter certè fieri vix potuit ut tam accuratè conveniret cum *Tertulliano*, & cum ætate *Irenæi*, ut in noſtris ad *Irenæum* Diſſertationibus oſtendimus. Ab illo itaque anno *Hadriani* quo ſucceſſit *Pius*, retrorsùm numeros eorum qui *Pium* in *Pontificatu* præceſſerant, duxit *Eutychius*; ab illo etiam *Succeſſorum*, ſed vitioſis Imperatorum plerunque rationibus. Sed verò quod ad *annos* Pontificum attinet, cum non alii illi fuerint *Eutychio* quàm *Euſebio*; non eſt proinde quod plus tribuamus numeris *Eutychianis* quàm *Euſebianis*. Sed ſi quando videbitur ex *Autorum* meliorum fide corrigendus *Euſebius*, non erit prorſus quòd dubitemus quin ex eorundem Autorum fide ſit etiam corrigendus *Eutychius*.

CAP.

CAP. XI.

Romana *ad* Clementem *uſque Succeſſio.*

§. 1. *SS.* Petri, Lini, Anencleti, Clementis, *anni nullis fulciuntur* Teſtimoniis, *ſed* conjecturis *tantummodò, & quidem* falſiſſimis. §. 2. *Incertum eſt ſcripſeritne ad* Corinthos Clemens *jam* Epiſcopus. §. 3. *Non erat certè* Epiſcopi *nomine* Epiſtola *illa inſcribenda.* §. 4. Epiſcopum *tamen fuiſſe, cum ſcriberet, teſtari videntur* Hegeſippus *atque* Irenæus. §. 5. *Scripſit ſub* Clemente Epiſcopo Hermas, *ante* Excidium *forte* Hieroſolymitanum. §. 6. *Conveniunt ſatis aptè notæ* temporis *quæcunque in hoc Opere occurrunt.*

SIC itaque è tribus hiſce, tamque invicem diverſis, rationibus illud ſaltem intelligimus, in *primorum* Pontificum temporibus nulla fuiſſe Teſtimonia *Hiſtorica*, nedum ulla quæ cum *Imperatorum* temporibus *Pontificum* tempora conjungerent. Quin & ipſas *conjecturas* deteximus, quibus ducti *primorum* Pontificum *tempora* cum *Imperatorum* annis conjunxerunt, nullo utique modo neceſſarias, ſi qua meliora ſuppeditâſſent & fide digna *Teſtimonia.* Nec modò deerant idonea *Teſtimonia*, ſed & *conjecturæ* ipſæ, ut *variæ* erant, ſic & fundamentis nitebantur admodum *incertis*, & plerunque *falſis.* Anni S. *Petri* nulli apud primos Traditionum fontes, & conſtituti apud poſteros ratiociniis omnino falſiſſimis. Locum in §. 1.

in Collegio Apoſtolorum *Hieroſolymitano* nunquam deſeruit ut uni certæ præficeretur *Eccleſiæ*. Jam enim alibi obſervavimus poſt excidium *Hieroſolymitanum*, ad eligendum Epiſcopum *Hieroſolymitanum* conveniſſe undequaque è peregrinationibus *Apoſtolos*. Inde colligimus *locum* quem tenuerant in *Collegio* Apoſtolorum *Hieroſolymitano*, ne quidem ſublato per Martyrium S. *Petro*, deſeruiſſe *reliquos* Apoſtolos. Quod verò reliqui fecerint *Apoſtoli*, idem & S. *Petrum* feciſſe conſentaneum eſt. Nec dicunt primi ante *Conſtantinum* Veteres ſic fuiſſe *Apoſtolorum* Succeſſores *Epiſcopos*, quaſi certis quibuſdam ſedibus affixi eſſent Apoſtoli; ſed quòd *doctrinam* ab *Apoſtolis* acceptam ipſi fideliſſimè cuſtodierent Epiſcopi, *poteſtatémque* Eccleſiæ regendæ *Apoſtolis* acceptam retuliſſent. Tum ut fuiſſet verum fixos fuiſſe in Eccleſiis nonnullis Apoſtolos; de *Româ* certè dici id non potuit, nedum de S. *Petro*. Ægrè probabitur ante annum ipſum quo *paſſus* eſt, *Romæ* fuiſſe S. *Petrum*. Tum ut Eccleſiæ Romanæ *Epiſcopus* fuiſſet; at certè non priuſquam *Roma* haberet *Epiſcopum*, non certè antequam *Chriſtiani Romani* in *Eccleſiam* coaluiſſent quæ foret ab *Epiſcopo* regenda, quòd hoc eodem *poſtremo* anno factum ſuperiùs oſtendimus. Ut rectè illum à *Chriſti* morte *Romanum* Epiſcopum agnoviſſent; non rectè tamen numerabant annos ejus XXV. à vero *mortis* anno ad initium *Neronis*. Chriſtum enim XV. *Tiberii* anno paſſum jam apud omnes conſtat eſſe falſiſſimum. Et verò ex hoc *numero* falſiſſimis vetuſtiorum *conjecturis* eruto argumentati ſunt plerunque recentiores. Inde nimirum colligebant, cum de prioris ſententiæ quæ ad *Neronis initium* XXV. annos numerabat, falſitate conſtaret, proinde ab ejuſdem *Neronis fine* retrorsùm eſſe numerandum. Deinde permiſtis utriuſq; ſententiæ rationibus, & commiſſo ſuperioris ſententiæ *initio* cum poſterioris *fine*, nata inde conſtat nova ratiociniorum monſtra, ſublato ſuperiori ratiocinio penitus & ipſa lapſura. Conſtat præterea & falſam fuiſſe illam Pſeudo-*Clementis* Epiſtolam, unde *Clementem* S. *Petro* nullo alio

alio mediante ſucceſſiſſe didicerant; & falſos propterea *Lini* & *Anacleti* numeros è S. *Petri* temporibus erutos. Nos enim contrà probavimus eodem *anno*, quo deceſſerunt Apoſtoli, & *formatam* eſſe *Eccleſiam Romanam*, & præfectum adeò illi primum *Epiſcopum* fuiſſe *Linum*. Conſtat denique & malè *Coſ. Clementem* cum *Clemente Epiſcopo* confudiſſe Veteres, & malè noſtrum proinde *Martyrem* exiſtimâſſe, & malè rurſus Martyrii *tempus* in tertium *Trajani* annum contuliſſe. Malè itaque *Clementis* tempus ex intervallo collegerunt ab *Anencleti* fine poſt mortem Apoſtolorum cum *Lino* poſiti ad *tertium Trajani*. Primorum ergo Pontificum ad finem *Clementis* annos omnes incertos eſſe neceſſe eſt. Cap. VIII. §. 5, 6.

Quæ tamen ita intelligo, ut quanquam nullis *Hiſtoricis* Teſtimoniis colligi poſſit quot anni ſingulis aſſignandi ſint, intervallum tamen ab initio *Lini* ad finem *Clementis* non abſurdis ex Hiſtoriâ *ratiociniis* colligendum exiſtimem. *Initium* Eccleſiæ *Romanæ* fundationemque ab eodem, quo deceſſerant Apoſtoli, anno, jam ſuprà arceſſendum eſſe probavi, Ær. nimirum *vulg.* LXIV. hoc etiam anno Eccleſiæ ita fundatæ præfectum eſſe *Linum*. Hinc itaque deducenda eſt Pontificum *Romanorum* omnis illa ſucceſſio: *Lini* autem & *Anencleti* geſta nulla legimus in probatæ fidei monumentis *Hiſtorica*, unde diſci poſſit, ſedemne diu tenuerint, an brevi poſtea ab Ordinatione tempore deceſſerint. Habemus equidem de *Clemente* monumenta, ſed & illa, rejectis fabulis, & pauca admodum, & obſcura, in re præſertim *Chronologicâ*. *Clementis* Epiſtolam eidem, quo ſublati ſunt Apoſtoli, anno jam tribuendam ſuprà obſervavimus: Sed an illam ſcripſerit *Epiſcopus*, quanquam aſſerat Vir doctiſſimus, nihil tamen occurrit in *Epiſtolâ* unde poſſit aſtrui. Quæ certè *Eccleſiarum* communi nomine conceptæ ſunt Epiſtolæ, nec in titulo præferunt *Epiſcopi* nomen, vix certè ab *Epiſcopo* conceptas eſſe conſtare poteſt. *Singulari* nomine *Epiſtolas* inſignivit *Ignatius*, ſingulari *Polycarpus*, ſingulari *Joannes* ſaltem *ſenior*, §. 2.

ſingulari *Barnabas*, ne & S. *Paulum* nominem & S. *Petrum*. De primariis enim *Apoſtolis* omnes id veriſſimum agnoſcunt. Sic etiam & S. *Jacobus*, & S. *Judas*, de quibus tamen addubitant nonnulli an fuerint *Apoſtoli*, me tamen ego minimè dubitare profiteor: Quin & *Silæ*, & *Timothei* nomina in ſuarum *Epiſtolarum* Inſcriptionibus adjunxit S. *Paulus*. Adeo ab illius quoque Sæculi non abhorrebat more, ut *aliorum* ab *Apoſtolis* hominum *ſingulorum* nomina *Epiſtolarum* titulis inſcriberentur. Habemus etiam in primævâ Antiquitate exempla *Epiſtolarum* conceptarum, qualis hæc eſt de quâ agimus ad *Corinthios*, quas aliunde ſcimus non ab *Epiſcopo*, ſed à *Presbytero* fuiſſe conceptas. Epiſtolam *Lugdunenſium* & *Viennenſium* Martyrum ab *Irenæo Presbytero* conceptam ſuſpicatus erat doctiſſimus *Valeſius*; & quidem *Irenæi* nomine citari illam ab *Oecumenio* monuit me Cl. amicus *Colomeſius*. Sic & Eccleſiæ *Romanæ Epiſtolam* unam à *Novatiano*, tunc ejuſdem Eccleſiæ *Presbytero* ſcriptam docet S. *Cyprianus*. Quòd ergo hanc *Eccleſiæ* nomine *Epiſtolam* conceperit *Clemens*, non eſt proinde quòd colligamus ejuſdem fuiſſe *Epiſcopum*. Potiùs aliunde colligendum erat quòd Epiſtolam à *ſeipſo* ſcriptam, nullo tamen *ſingulari*, ſed *communi* nomine duntaxat inſignierit, ne quidem adhuc *Epiſcopum* fuiſſe.

§. 3. Tantum verò abeſt ut à *Clemente* jam *Epiſcopo* ſcriptam hoc uno ſaltem Argumento colligamus, ut ne quidem fuerit, in causâ illâ quam tunc agebant *Corinthii* Epiſtola ab *Epiſcopo* ſcribenda, aut ejus *nomine* inſignienda. Jam alibi oſtendimus Schiſma illud *Corinthiorum* conflatum eſſe ab hominibus πνευματικοῖς, *donis* nimirum Spiritûs *Extraordinariis* inſignitis, adverſùs Eccleſiæ *Rectores Ordinarios*. Inde factum ut non fuerit Eccleſiæ *Corinthiacæ Clero*, nedum *Epiſcopo* inſcribenda, cum ad *Schiſmaticos* fere omnis illa pertineret Epiſtolæ illius Exhortatio. Aptè itaque Eccleſiæ *communi* nomine *Epiſtolam* illam inſcribebant *Romani*,

De Sacerd. Laic. adv. Grotium.

Romani, ut & rebelles ipſos complecterentur, nondum certè ſeparationem profeſſos. Suſpectos enim feciſſet *Romanos* Rectorum *Ordinariorum* nimis apertum ſtudium, ut non fuerit proinde Epiſtola *Schiſmaticorum* causâ ſcripta Rectoribus *Ordinariis* inſcribenda. Sic etiam viceversâ illos omni apud *Schiſmaticos* gratiâ privâſſet, ſi *ſoli* ad illos ſcripſiſſent Eccleſiæ *Romanæ Rectores*, ejuſdem nimirum loci atque Ordinis cum ſuis etiam *Rectoribus* quibus inſultabant *Schiſmatici*. Rectè autem prudenterque *Eccleſiæ* totius, non *Cleri* ſolius nomine, non *Epiſcopi Romani* illam inſcribebant *Epiſtolam*. Sic enim omnium ordinum non monita modò, verum etiam exempla, Schiſmaticis *Corinthiis* proponebant. Complectebatur enim *Eccleſiæ* nomen & *Laicos Romanos*, & πνευματικὸς, non *loco* nimirum illos, ſed *Donis* duntaxat Extraordinariis illuſtres, quales innuit, ut oſtendimus, *Clemens*, Schiſmaticos illos fuiſſe *Corinthios*. Aiunt ſe in eodem σκάμματι, eodemque verſari *agone* cum *Corinthiis*. Quod nimirum haberent & ipſi *Laicos* ſuos *donis* Spiritualibus inſignes qui de præfectis ſibi *Rectoribus Ordinariis*, non ita, ut volebant, donatis conqueri atque indignari pari jure poſſent quo indignati fuerant Schiſmatici *Corinthii*. Hæc illi modeſtiſſimè, & ſine ullâ jactationis invidiâ, ἑαυτοὺς ὑποτιθέντες, in ſuo nimirum exemplo ſuggerentes, quid oporteret imitari Schiſmaticos *Corinthios*. Eâdem nimirum formâ, atque arte oratoriâ, quâ & S. *Paulus* Apoſtolus μετασχηματίζει εἰς ἑαυτὸν, 1 *Cor.* IV. 6. quæ voluit iiſdem commendare *Corinthiis*. Aiunt præterea Eccleſiam *Corinthiacam* ἀρχαίαν fuiſſe, ſuam nimirum *novitatem* eâ voce innuentes, & eâ ipsâ *novitatis* causâ faciliùs excuſandos ſi ſeſe minùs morigeros præbuiſſent. Cujus Argumenti vis in eo ſita eſt, ni fallor, quòd *aſſuetis* licentiæ in *Extraordinario Regimine* Spiritualibus proclivius eſſet in *primâ* Ordinariorum Rectorum impoſitione rebellare, quæ cauſa erat Spiritualium

Ep. 1 ad Cor. §. 7.

§. 46.

Romanorum quos hoc ipſo anno in ordinem redactos jam ſuperiùs oſtendimus. Qui autem aliquandiu jugo *aſſuevíſſent*, multiſque adeo annis *humilitatem*, quam commendant, *Obedientiamque* exercuiſſent, turpiùs illis & majori cum dedecore futurum eſſet, ſi ab initiis adeo generoſis excíderent. Nempe ante annos X. quàm illa ſcriberet *Clemens* Rectores Ordinarios *Corinthiis* impoſitos obſervavimus, anno nimirum LIV. Inde intelligimus quàm jure merito ἀρχαῖα Eccleſia *Corinthiaca*, ſi ad Eccleſiam *Romanam* eo ipſo anno fundatam compararetur, eſſet appellanda. Sed verò Argumenta id genus omnia conſtat quàm eſſent *Laicorum* propria, quamque *Rectorum Ordinariorum* Perſonis aliena. Quare ut S. *Paulus* Gentium Apoſtolus Perſonam ſuam *Judaizantibus* eo nomine minùs acceptam ſupprimendam cenſuit: Sic & Eccleſiæ *Romanæ* Rectores nomina ſua *Schiſmaticis Corinthiis* ingratiſſima Prudentiâ ſimili ſupprimenda cenſuerunt.

Reſp. ad *Grot.* Cap. 3. §. 18.

Ep. ad *Hebr.*

§. 4. Ex hâc igitur *Epiſtolâ* colligi non poteſt, verbis nimirum expreſſis, habuerintne ullos Eccleſiæ *Rectores Ordinarios*, ne quidem an *Presbyteros*, nedum an *Epiſcopum*. Tantum abeſt ut colligi poſſit, *ſubæ*, an *Lini* potiùs aut *Anencleti*, Epiſcopatu ſcripſerit illa *Clemens*. Majoris eſt momenti quòd hujus *Clementis* Pontificatu Seditionem illam commotam teſtari videantur *Hegeſippus* atque *Irenæus*, cujus occaſione ſcripta illa eſt Epiſtola, ἐπὶ τῆς Κλήμεντος, inquit apud *Euſebium Hegeſippus*, ἐπὶ τούτου, inquit apud eundem *Irenæus*. Hoc ſi verum, brevi admodum tempore ſedem tenuiſſe oportet conſecratum, hoc ipſo quo ſcripſit *Clemens* anno LXIV. *Linum*, cum Succeſſore etiam *Anencleto*. Facitque etiam ut ita ſuſpicemur ſenſiſſe *Irenæum*, quòd ubi ordine Succeſſionis *Romanæ* tertio loco *Clementem* ſubjunxiſſet, tum demum verba illa ſcripſerit *Irenæus*, ἐπὶ τούτου Seditionem *Corinthiacam* contigiſſe. Quaſi nimirum poſt *Lini* & *Anencleti* mortem, ipſoque adeo *Clementis*

Hegeſip. ap. *Euſeb.* H. E. lib. 3. c. 16. *Iren.* ap *Euſeb.* H. E. V. 6.

mentis Pontificatu Seditio illa contigiſſet. Quæ quidem ille è ſententiâ ſcripſit fortaſſe *Hegeſippi*, qui primus Succeſſionis *Romanæ* ſeriem ad ſua uſque tempora deduxit. Fieri enim potuit, ut ubi ad *Clementem* pro ἀφ᾽ ὧν χῆς à ſe confectæ ordine, perveniſſet *Hegeſippus*, verbis illis χῆ τ᾽ ἀνακύψαι, &c. uſus fuerit; utque verba *Hegeſippi* de *Sæculo Clementis* poſſint, non de officii *Epiſcopalis* tempore, intelligi; at ſane verba *Irenæi* ἐπὶ τούτου, ut poſſint forte intelligi de *Sæculo*, *officium* tamen propriiſſimè deſignant. Sic enim ſolent *Græci* res *Magiſtratu* aliquo geſtas Chronologicè denotare. Sic enim Chriſtus paſſus dicitur ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, non quòd *Sæculo* duntaxat *Pilati* Crucifixus fuerit, ſed quòd eo etiam *tempore* quo *Procuratorium* geſſerit officium in *Judæâ Pilatus*. Exempla paſſim obvia ſunt, viris eruditis notiora quàm ut produci mereantur. Et verò cum hujus *Pontificatui* potiùs quàm aut *Lini* aut *Anencleti* Seditionem *Corinthiacam* tribuunt *Hegeſippus* atque *Irenæus*: Vix certè poterunt aliter intelligi, quàm ut ipſo *Pontificatûs tempore* Seditio illa fuerit *excitata*. Sic itaque *biennium* ambo vix compleverint tam *Linus* quàm etiam *Anencletus*; utcunque agamus *laxè* atque liberaliter. Erat quidem ἐπιστολὴ *Corinthiorum* ἐπιτιμητική, cum ſcriberet *Clemens* hanc ad illos, de quâ agimus, Epiſtolam: Atqui temporibus certè *Neronis*, & quidem ante annum ejuſdem XII. quo cœpit Bellum *Judaicum*, an. nimirum LXVI. Ante nimirum, non modò quàm *excinderetur* Templum, ſed quàm *Sacrificiorum* ritus ipſi aut Ceremoniæ perturbarentur. Ante (inquam) quàm vel ipſæ *Sacerdotum* ἐφημερίαι eſſent vel minimâ ex parte violatæ: Talem enim *Templi Judaici* cultum repræſentat, cum ſcriberet, ipſe *Clemens*. Ante annum illum mori potuit *Anencletus*: Superare illum certè *non* potuit, ſi hæc quæ dixi vera eſſe conceſſeris. Vereor tamen ne hæc potiùs è ratiociniis ſuis collegerit *Hegeſippus*, quem fuerit temerè ſecutus *Irenæus*,

quàm

quàm è diſertis Seniorum Traditionibus; proclive enim erat tam ex eo quòd Epiſtolam illam ſcripſerit *Clemens*, proinde illius temporibus Schiſma illud *Corinthiorum* contigiſſe, colligere. Facile rursùs ex eo quòd ejus tempore contigerit Schiſma, proinde Pontificatui ejuſdem eſſe aſſignandum.

§. 5. Aliud habemus quod *Clementis* meminerit, & quidem jam *Pontificis*, ut videtur, genuinum Antiquitatis coævæ monumentum. *Paſtorem* ſcilicet, intelligo *Hermetis*. Jubetur *Hermas* duo Viſionis ſuæ exemplaria deſcribenda curare, aliud *Grapte*, legendum *Viduis Orphaniſque* à *Grapte*, nimirum, ut videtur, ipſa *Viduâ*; aliud *Clementi* ad exteras *Civitates* miſſuro. Suum enim exemplar Eccleſiæ *Romanæ ſenioribus* ipſum legere oportebat *Hermam*. Ut ergo *Grapte vidua* legebat viduis, & *Hermas* ipſe *Presbyter Preſbyteris*; ſic conſentaneum erat ut ad exteras *Eccleſias* mitteret *Eccleſiæ Romanæ* Præſes *Epiſcopus*, id quod munus ipſum *mittendi ad exteras Eccleſias* videtur omnino ſupponere. Rectè enim obſervavit Cl. Pater *μαυρέτης Oxonienſis* ad morem Epiſtolarum *Syſtaticarum & formatarum* alluſiſſe *Hermam*, quas ſolus mittere ſolebat *Epiſcopus*, & ad ſolos etiam ejuſdem Ordinis Collegas *Epiſcopos*. Quare ſub *Epiſcopo Clemente* ſcripſiſſe *Hermam* mihi fateor videri veriſimillimum. De *tempore* autem quo ſcripſerit illud ſane non adeo habemus exploratum. Crediderat olim *tribulationem* illam *ſuperventuram*, cujus figuram, ſeu Symbolum Propheticum vidit Viſ. IV. de *Domitiani Perſecutione*, intelligendam eſſe. Sed nihil eſt profectò cur de eâ potiùs intelligi debeat quàm de aliâ quâque quæ *minis* fuerit quàm *nocumentis*, præſertim in Fideles, terribilior. Quas verò ſuſtinuerint Chriſtiani *Perſecutiones* à fine *Actorum Apoſtolicorum* ad Imperium *Domitiani*, nulla fere habemus *Hiſtorica* monumenta. Inde factum ut *Hermæ* Prophetiæ adeo nobis obſcuræ ſint. Potuit fortaſſe Prædictio illa ad *Excidium Hieroſolymitanum* aptiùs referri. Quòd enim aptiùs *tribulationem ſuperventuram* retuleris

Herm. Paſt. L. I. Viſſ.

quàm

quàm ad θλίψιν illam μεγάλην, & ὀργὴν μέλλουσαν, toties in N. T. prædictas, tanquam illa ipsâ *generatione* futuras? Huc certè retulit Doctiſſimus *Hammondus*. Et quidem ſatis aptè conveniunt illi *Judæorum* cladi notæ *tribulationis* ab *Hermâ* prædictæ. *Tribulationem* enim illam non *propriam* fuiſſe Eccleſiæ *Romanæ* exinde conſtat, quòd *exteræ Eccleſiæ* eſſent de eâ à *Clemente* monendæ. *Tribulationem* illam effugiebant *Fideles*, quinetiam effugituros verbis diſertiſſimis antea prædictum erat. *Sic* (inquit) *præparaveritis vos, poteritis effugere illam, ſi cor veſtrum fuerit purum ac ſine maculâ.* Et quidem cladem *Hieroſolymitanam* Divino Oraculo moniti ut *Pellam* concederent, evadebant *Chriſtiani*. Et quidem *colores* illos *beſtiæ* Symbolicæ quæ *preſſuram* illam *ſuperventuram* figurabat, rectiùs ad *Bellum*, quàm ad *Perſecutionem*, retulerimus. Habebat enim *beſtia* in capite cum coloribus aliis *igneum* quoque atque *ſanguinolentum*. *Propterea*, inquit, apud *Hermam*, Virgo Viſionaria, *Quoniam oportet Sæculum hoc per ſanguinem & ignem deperire.* Perditio equidem per *ignem* ſatis aptè conveniet *ſupremæ* illi impiorum in Σωτηρίαν perditioni; non item illa tam aptè quæ futura erat per *ſanguinem*. Cladem potiùs *Bellicam* deſignant *colores* illi quâ *gentem* quidem *Judæorum* gladio, *Urbem Hieroſolymitanam* incendio, perdiderunt *Romani*.

lb. Vi&IV. §. 2.

Ibid. §. 3.

Media certè *tempora* inter Regimen Eccleſiæ *Ordinarium Extraordinariumque* indicant *mixta* illa Rectorum Ordinariorum Extraordinariorumque, apud *Hermam*, nomina. Nec enim ille *Apoſtolorum* duntaxat, *Prophetarum*, *Paſtorum*, *Doctorumq;* nomina ſola recenſet, ut ferè ſolent V. T. Scripta *Canonica:* Nec *Epiſcoporum*, *Presbyterorum*, *Diaconorum*, ut ferè ſolent Scriptores *Eccleſiaſtici*, ſtabilito jam firmatoque *Ordinario* Eccleſiæ Regimine: Sed *miſta* invicem *Apoſtolorum*, *Epiſcoporum*, *Prophetarum*, *Doctorum*, *Miniſtrorumque*. Quaſi nimirum ita jam conſtituti fuiſſent in Eccleſiis Rectores *Ordinarii*; ut tamen *Extraordinarii* nondum in deſue-

§. 6.

L. I. Vi&III.

deſuetudinem abiiſſent. Perſtringit etiam *dubios*, ſive
L.I. Viſ. 1. §. 1. διψύχους, de *fidei* nimirum *Chriſtianæ* veritate hæſitantes; perſtringit & *divites* qui quidem de *Divitiis* gloriarentur; quos ambos etiam ante Martyrium S. *Petri* perſtrinxerat Martyr ipſe S. *Petro* antiquior S. *Jacobus*. Quæ certè indicant tempora à S. etiam *Jacobi* temporibus non admodum remota. Movit præterea Quæſtionem de ζωπλάσι, ſive περὶ χιλιάδος, à Scriptoribus N. T. *clade Hieroſolymitanâ* antiquioribus moveri ſolitam, cum adhuc *Mundi finem*, & *Chriſti* adeo *adventum* propinquum Chriſtiani expectarent. Nec tamen Reſponſiones advertit à N. Teſtamenti Scriptoribus datas, de *ſignis Adventûs*, aut *die uno* pro *mille annis* habendo. Necdum enim collecto N. T. Canone, devenerant illæ in *publicam* Chriſtianorum *notitiam*. Quinetiam *plures Apoſtolos* adhuc in vivis fuiſſe innuit cum ſcriberet *Hermas*. Turris-Viſionariæ *lapides*
Viſ. III. §. 5. *quadratos & albos* de *Apoſtolis* interpretatur, & *Epiſcopis & Doctoribus, & Miniſtris, qui ingreſſi eſſent in clementiâ Dei, & Epiſcopatum geſſerint, & docuerint, & miniſtraverint ſanctè & modeſtè Electis Dei qui dormierant*, QVIQVE ADHVC SVNT, &c. Et quidem illos *mortuis* opponit. Lapides enim *de profundo* tractos, alios nimirum à quadratis & albis, de illis explicat *qui jam dormierant & paſſi*
Diſſ. ad Prem. *eſſent causâ nominis Domini*. Probavimus equidem ad finem Sæculi *primi*, nonnullos *Apoſtolorum* adhuc fuiſſe ſuperſtites. Sic tamen loqui videtur *Hermas* quaſi *plures* adhuc *ſuperſtites* eſſent *Apoſtoli* quàm *defuncti*. Et tamen certum eſt ante *Clementis* Pontificatum exceſſiſſe *Jacobum* utrumque tam *Zebedei* filium ab *Agrippâ* cæſum, quàm *Cleopæ* à *Judæis Hieroſolymitanis*, ſed & *Romanæ* Traditionis Autores ſummos Apoſtolorum Coryphæos SS. *Petrum* & *Paulum*. Nec ſane veriſimile eſt in recenti cladis *Hieroſolymitanæ* memoriâ tantam illam luxuriam, & fiduciam in *Divitiis*, de quibus queritur *Hermas*, in *mores* Chriſtianorum irrepere potuiſſe. Quanquam enim illos clades illa,

uti

uti dixi, non attraxerit; dubium tamen non eſt quin maximo affecerit dolore, *Urbis* nimirum *Hieroſolymitanæ*, & *Templi Sacrificiorumque*, & *gentis* etiam *Judaicæ*, ſtudioſiſſimos, & quidem his ipſis nominibus in fide Chriſtianâ nutantes, & ad defectionem inclinantes, ut è *Barnabæ* Epiſtolâ colligimus de hoc ipſo Argumento, modico admodum à clade illâ intervallo, conſcriptâ. Præſertim cum & *ſtirpe Judaicâ* oriundi eſſent primi plerique Eccleſiæ *Romanæ* Chriſtiani. Longe itaque veriſimilius eſt *excidium* illud gentis *Judaicæ* hoc in loco ab *Hermâ* eſſe prædictum, quod & *impios* pleroſque ſuſtulerit, *piis* autem *pepercerit*, quàm *Perſecutionem Domitiani* quæ ut *impiis* nullis, ſic *piis* admodum *paucis* nocuerit. Ita etiam ante idem illud *excidium* jam *Pontificatum* adeptus fuerit *Clemens*, & brevi admodum, ut dixi, tempore ſedem poſſederint uterque *Clementis* deceſſor, tam nimirum *Linus* quàm etiam *Anencletus*. Sic uno alterove *anno* à Martyrio Apoſtolorum ſedem adeptus *Clemens* ad initium tenuit *Euareſti*. Quod quo anno contigerit, accuratiùs in ſequentibus indagabimus.

CAP. XII.

Succeſſio ab Euareſto *ad* Hyginum.

§. 1. *Ab* Euareſto *incipiunt anni Pontificum* Veri & Hiſtorici. *Initium ejus inter An.* LXXVI. & Cl. §. 2. *Collegit* Hegeſippus *Pontificum* Romanorum *non ſola* nomina, *verum etiam* tempora, *& quidem ad annos* Imperatorum *accommodata.* §. 3. *Vix potuit, per ætatem,* Hegeſippus Romanorum *Pontificum Succeſſionem, ultra* Euareſtum, Orali *Seniorum* Traditione, *deducere.* §. 4. *Annos duntaxat* Imperatorum *quibus ſucceſſerint* Pontifices, *annotâſſe videntur primi veteres. Inde calculorum diverſitas apud* recentiores. §. 5, 6. *Duæ horum* Pontificum *rationes.* §. 7. *Quarum* poſteriores *potiùs nobis probatæ.*

§. 1. IN *Euareſto* deſinunt tempora Pontificum *commentitia,* incipiuntque ab eodem *Hiſtorica.* Nullam enim habet ille cum aliis in *Hiſtoriâ* certâ memoratis *connexionem* quæ faceret commentis *conjecturiſque* locum. Quo verò anno, & cujus Imperatoris, cœperit, jam vidimus quantùm diſcrepent invicem Hiſtorici Eccleſiaſtici. Ratio nimirum erat diſcrepantia eorundem in primorum Pontificum temporibus *commentitiis.* Quò enim quiſque altiùs S. *Petri* atque *Lini* tempora arceſſebat, eò nimirum neceſſe erat *Clementis* finem, initium autem *Euareſti* altiùs arceſſere.

Quò

Quò rurſus *commentitia* tempora ab initio *recentiori* deducebant, eo etiam viceversâ neceſſe erat *commentitiorum* temporum finem producere longiùs, & *Hiſtoricorum* initia inferiùs deprimere. Inde factum ut, pro commentitiorum temporum duabus illis, quas oſtendimus extremis Hypotheſibus, duas ſimiliter habeamus extremas Hypotheſes quibus concludendum ſit initium *Euareſti*. Qui enim initium S. *Petri* ab anno XXIX. deducebant ad ultimum *Claudii*, initium autem *Neronis* LIV. hi *Lini* atque *Anencleti* annos ſic XIII. *Neronis* anno finiebant, ut XI. annos *Lino*, duos *Anencleto* aſſignarent. Sic anno LXVII. cœperit *Clemens*, deceſſerit LXXVI. & ſucceſſerit *Euareſtus*. Hoc initium *Euareſti* omnium *antiquiſſimum* eſt. Qui autem *Euſebianâ* methodo, à ſecundo *Claudii* S. *Petri* initium ſic repetendum cenſebant, ut finem *Clementis* in III. *Trajani* conferrent, annum nimirum Æt. *vulg.* C. Inde etiam numerabant annos *Euareſti*. Hoc ejus initium viceversâ *recentiſſimum* eſt. Niſi forte quis alius *Neronis* finem anno verè *Neronis* ultimo, viz. Æt. *vulg.* LXVIII. attribuerit, ſic enim initium *Euareſti* anno CI. tribuendum erat. Atque ex his tam diverſis remotiſque invicem *commentitiorum* temporum Hypotheſibus ortam illam exiſtimo omnem, quam experimur hodie Chronologiæ Eccleſiaſticæ confuſionem. Cum enim medio aliquo anno inter hos extremos *Euareſti* initium collocâſſet vera Chronologia Eccleſiaſtica; è medio illo loco in anteriora transferebant rationes priores, poſteriores autem ad poſteriora detrudebant. Sic itaque qui initium S. *Petri* nec à priori illo antiquiſſimo repeterent, nec à poſteriori recentiſſimo, ſed è medio aliquo anno *conjecturis* utique minus conſentaneo; hos veriſimillimum eſt à vero *Euareſti* anno ad ſedis initium retrorſum numerâſſe. Id cum fecerit *Eutychius*, proinde ab eo verum *Euareſti* initium, ni fallor, optimè diſcendum erit.

§. 2. Sed verò hæc quò meliùs intelligantur, operæ pretium erit indagare quâ tandem occaſione collecta fuerint prima hæc, de quibus agimus, *Pontificum Romanorum* tempora, quamque mereantur proinde fidem. In eo Patri Maximo aſſentior collectas primùm ab *Hegeſippo* has fuiſſe ἀγραφάς. In eo verò non aſſentior, quod putet *nominum* duntaxat, non item *temporum* has *Hegeſippi* fuiſſe ἀγραφάς. Certè *annum* ipſum Pontificis *Pii* quo cœperit Hæreſim docere *Marcion*, à *Tertulliani* Autoribus, quicunque demum fuerint, ſignatum oſtendimus. Et verò per ſeriem *Imperatorum* ſeriem illam *Pontificum* fuiſſe diſpoſitam inde colligo, quòd non aliter primam ejus partem in ſuo adverſùs *Judæos* Opere diſtinxerat *Tertullianus*. Ut enim Æram illam *eandem* ad *Excidium Templi*, *primumque*, ut numerat ille, *Veſpaſiani* per annos *Imperatorum* deduxit, ſic itidem ad ortum *Marcionis* per *Imperatorum* Chronologiam deduxiſſe veriſimile eſt: Atque inde natam *Tertulliano* errandi occaſionem *Pium Imperatorem* cum cognomine *Pontifice* confundendi, quòd nimirum annos *Pontificum* ad annos *Imperatorum* redegerat Autor ille, quicunque fuerit, *Tertulliano* vetuſtior. Vix certè credo aliunde hauſiſſe hæc antiquiſſimum illum Autorem quàm è ἀγραφῶν *Hegeſippi*, aut, quod eodem redit, è vetuſtiſſimis *Latinorum* Traditionibus, occaſione Diſquiſitionis illius ab *Hegeſippo* ſuſceptæ in lucem prolatis. Illud enim præcipuè agebat *Hegeſippus*, ut *antiquiorem* probaret *Eccleſiæ* Traditionem quàm fuiſſet illa quàm tantopere venditabant *Hæretici*. Quod quidem fecit tum *Pontificum* temporibus ſub quibus *Romam* venerunt *Hæreſiarchæ*, tum etiam temporibus *Imperatorum*. Utrâque certè Chronologiâ uſi ſunt veteres *Eccleſiæ* Scriptores dum *Hæreticorum* novitatem redarguunt, priori illâ *Irenæus*, poſteriori *Clemens Alexandrinus*. Unde illud, in utramque conjunxiſſet qui *primus* hujus Argumenti adverſùs Hæreticos fundamenta poſuit *Hegeſippus*? Nec ſane aliter tam utilis eſſe potuit *Pontificum* Chro-

Chronologia, ni Chronologiâ *Imperatorum* Provinciis *Romani* Imperii ſulta innotuiſſet. Et ſane *Hæreſes* ſecutas, *Tatiani* ſub *Aniceto*, *Montani* ſub *Sotere*, & *Manichæi* ſub *Eutychiano*, non *Pontificum* tamen, ſed *Imperatorum*, temporibus inſigniunt, quaſi nimirum omnium maximè notoriis. Quòd ſi *Tatiani* Hæreſim ſub *Aniceto* ortam, *Imperatoris* tamen *anno* deſignârint; Quidni & *Marcellinæ* quæ *Romam* venerit ſub *Aniceto*? Quidni & *Valentini* qui eouſque prorogavit? Quidni & *Marcionis* orti ſub initium *Pii*? & *Valentini* & *Cerdonis*, qui Hæreſes profeſſi ſunt, tenente ſedem etiamnum *Hygino*? Sic enim ortum *Hæretici* indicavit *annus*, ſub quo ortus eſt, *Pontificis*, quâ etiam *annum Imperatoris* annus ille *Pontificis* indicavit.

Atque ita intelligimus cur ad initium *Euareſti*, nec ultrà, pertigerint primorum Pontificum tempora *Hiſtorica*. Confecit nimirum *Romæ* ἀληθοχὰς illas *Hegeſippus* ſub *Aniceto*, X. nimirum ab *Apoſtolis* Pontifice. Proinde Succeſſionem illam nondum ſcriptis mandatam, ſed ex *Orali* Seniorum *Traditione* hauriendam, vix potuit ultra VII. ante ſe *Pontificem* accuratè deducere, eâ nimirum ἀκριβείᾳ quæ & *annos* ipſos deſignârit, quibus *cæperit* quiſque, *Succeſſoremve* in ſede Pontificali acceperit. Certè *Polycrates* LXV. annos natus cum VII. haberet in ſuâ ſede cognatos deceſſores Epiſcopos, ipſe nimirum *octavus*, omnium tamen *Traditiones* deducere *ipſe* non potuit, ſed ex *aliorum* fideli Teſtimonio. Sic & *Hegeſippus*. Eum, fateor, πρώτῃ ἀληθοχῇ attribuit *Euſebius*, quòd nimirum illos convenerit *Seniores*, qui ipſos viderint audiverintque *Apoſtolos*. Sed *ætate* admodum *provectâ* fuiſſe oportuit *Apoſtolorum Diſcipulos* quos quidem ipſe convenerit *Hegeſippus*; & ætate admodum *juvenili* Apoſtolos audiviſſe. Certè *Romanæ* Eccleſiæ fundatores SS. *Petrum* & *Paulum*, maturiùs nimirum paſſos quàm reliqui plerique exceſſerint *Apoſtoli*, ægrè admodum per *ætatem* audire potuerunt. Jam enim antea, cum *Romam* veniret *Marcion* poſt obitum *Hygini* ante initium

§. 3.

Ap. *Euſeb.* H. E. V. 24.

initium *Pii*, ſenes admodùm fuiſſe, & *filium Marcionem* appellâſſe, docet *Epiphanius*. Et ſane anni pluſquam LX, pro noſtris etiam rationibus intercеſſerunt ab initio *Euareſti* ad initium *Aniceti*, de quo ſpatio minores *octogenarii* teſtes eſſe vix poterant. Ægrè certè de *anno* quo cœperit *Euareſtus* teſtari poterant etiam *nonagenarii*, utcunque firmam de rebus in *Juventute* geſtis memoriam illis fuiſſe ſupponamus. Nec eſt profectò quòd miremur nullam fuiſſe deceſſorum *Euareſti*, quod quidem ad eorum *tempora* attineret, memoriam accuratam; aut *cæptam* ita ab *Hegeſippo* Succeſſionis Chronologiam, ad *Tertullianum* deinde, & recentiora deincepſ tempora fuiſſe continuatam.

§. 4. Hanc porro Chronologiam primorum Pontificum ego ita conceptam exiſtimo, ut *annos* duntaxat *Imperatorum* annotârint Veteres quo quiſque *Pontifex* aut obierit aut ſucceſſerit, annos verò nullos aut numeros Pontificibus aſſignârint, ſed reliquerint illos è Chronologiæ Imperatoriæ ſpatiis facilè colligendos. Ita deinde factum ut modica illa in rationes eorum à recentioribus memoratas irrepſerit diſcrepantia. Facilè nimirum errare poterant in annis Pontificum *ſeorſim* colligendis. Facilè ſcilicet in annis Imperatorum *ſolidis* ſupputandis, ut ſæpe vidimus erràſſe *Euſebium*. Facilè *primum* Succeſſoris *alium* numerabant à deceſſoris *ultimo*, præſertim in *Tabulis*, quo genere erroris ſæpiùs hallucinati ſunt *Latinorum* Catalogi. Facilè numeros ex Imperatorum ſerie collectos, *ſeorſim* deinde ſupputari ſolitos, male rursùs annis *Imperatorum*, aut Faſtis *Conſularibus*, aut aliis quibuſvis Chronologiæ normis, committebant Scriptores alioqui plerunque indiligentiſſimi. Præſertim cum à *verâ* Imperatorum *Chronologiâ* veriſque *annis*, *vitiatis* deinde Imperatorum rationibus applicarentur. Age vero jam veros *Hegeſippi* numeros, annoſque, quibus adjuncti fuerint, Imperatorumpro virili exploremus.

§. 5. Diximus modò *medias* potiùs rationes, quæ nec à *Tiberii* XV. nec à II. *Claudii*, S. *Petri* initium arceſſant, videri potiùs ab *Hiſtoricorum* numerorum initio in *medio* ſitorum,

ſitorum, retrorsùm acta ſupputatione, deductas, eoque nomine *Eutychianas* nobis omnium videri veriſimillimas. Addo jam præterea primum *Hiſtoricorum* numerorum initium videri poſſe omnium ſinceriſſimum. Hunc enim numerum acceperunt plerunque ex *Hiſtoriâ*, reliquos plerunque ex *concurſu*, quos, (ſi in *vitioſos* Imperatorum numeros incidiſſent) oportebat deinde reliquos à *veris* Imperatorum *annis* aberrare, & quidem eò graviùs quò longiùs eſſent ab origine progreſſi. Exemplum vidimus manifeſtum in Chronologiâ Imperatorum *Eutychianâ*. Incipit itaque *Euareſtus* II. anno *Domitiani*, ſi *Eutychium* audiamus, qui quidem incidit quoad maximam ejus partem in anni LXXXIII. & quidem *Cleti* ſuppoſititii finem illius anni *Coſſ.* aſſignant Catalogi *Latini*. Inde veriſimilis ſuſpicio erat, pro veris rationibus Chronologicis, Pontificis *veri* finem eodem anno reponendum eſſe. Præſertim cum nec pleni *Anencleti*, nec *Clementis* anni *Cleto* tribuantur, ut in illum annum deſinat. Et tamen *Clementis* potiùs, hoc in loco, perſonam illum repræſentâſſe jam probavimus, cui proximo loco ſuccedere debuit *Euareſtus*. Porro *Pii* initium anno CXXVII. pro antiquiſſimis *Tertulliani* rationibus, jam ſuprà tribuendum oſtendimus. Sic ergo Pontificum mediorum tempora diſtribuenda ſunt, ut & ab anno LXXXIII. incipiant, & in anno CXXVII. terminentur. Et quidem rectè ſupplent hoc intervallum *Eutychiani* numeri, quos etiam eoſdem cum *Euſebianis*, pro hoc ſaltem ſpatio, fuiſſe conſtat. Sic tamen ſupplent ut non eodem quo ſucceſſerit anno *Pius*, mortuus fuerit *Hyginus*, nimirum *Juliano*. Sed annum *integrum* vacationis adeo non poſtulant, ut ne quidem patiantur ejuſdem rationes. X. enim *Hadriani* utramque imputat tam *Hygini* mortem, quàm *Pii* ſucceſſionem. Sic deceſſerit *Hyginus* poſt *Aug.* IX. anni CXXVI. & ante *Aug.* IX. anni CXXVII. ſedem poſſederit *Pius*, ſi quidem accuratè calculum, quod non puto, poſuiſſet *Eutychius*. Quin ſatis verè eſſe poſſunt *Eutychii* rationes, ſi vel *fine* anni

Addit. ad Diſſ. II. Cap. VIII.

anni CXXVI. obierit *Hyginus*, & *Pius* initio anni CXXVII. ſucceſſerit.

§. 6. Sed *Euareſto* annos IX. *Alexandro* XII. tribuunt *Syncellus* & *Nicephorus*, (tam editus ille quàm MS.) tribuunt etiam rationes *Catalogorum* Pontificalium, tam illæ nimirum quæ *nullos* relinquunt, ut vidimus, *hiatus*, quàm & aliæ quoque illæ quæ Faſtis *Conſularibus* aptantur, ſi tamen illas dextrè interpretemur, ut oſtendimus: Quin & reliquias quaſdam & *veſtigia* ejuſdem ſupputationis in annis *Alexandri* etiam *Euſebianis* obſervavimus. Hæc ſiquis negligenda non exiſtimet (minoris enim fidei diſcrepantias ſingularium recentiorúmque Autorum, ne quidem memorandas hoc in loco duximus) ſic ducti retrorſum à *Pii* initio An. CXXVII. numeri ad annum LXXX. aſcendent, quo cœperit *Euareſtus*. Eſtque ille *ſecundus Domitiani*, non quidem, fateor, pro *veræ* Hiſtoriæ rationibus, ſed pro Tabulis *vitioſis*, uti conſtat, *Eutychii*. Sic itaque habebunt duæ illæ, quas dixi, hucuſque rationes:

	Eutychius.	Alii.
Clementis finis an.	83	81
Euareſti	91	90
Alexandri	101	102
Xyſti	111	112
Teleſphori	122	123
Hygini	126	127

§. 7. Mihi, fateor, poſteriores illas magis placere rationes quæ *Euareſti* initium ab anno repetant LXXXI. Placent (inquam) quòd unum illum *Pii* annum, quo cœperit CXXVII. *Hiſtoricâ* fide probandum exiſtimem in rationibus *Eutychianis*. Quòd enim II. *Domitiani* initium ponat *Eutychius Euareſti*, non aliunde illum collegiſſe puto quàm ex retroactâ ſupputatione. Infirmiora ſunt Catalogorum, & recentiora etiam ratiocinia quàm ut quid ſolidum ſuppeditent quo poſſit fides *Hiſtorica* ſtabiliri. Placent præterea

terea quòd dignioribus fide Teſtimoniis nitantur numeri illi *Euarеſti* atque *Alexandri*, quibus ad illud *Euarеſti* initium aſſurgitur quàm numeri alii, ſeu *Eutychii*, ſeu etiam ipſius *Euſebii*. Jam enim vidimus indicia quibus appareat illos ipſos numeros *Euſebium* in ſuo Autore reperiiſſe, utcunque illos conjecturis ſuis ratiociniiſque perverterit. Placent porro quòd nullum relinquunt ante *Pium* Interpontificii *hiatum*. Quanquam enim eſſe, fateor, ex *Epiphanio* quòd ſuſpicemur, vacâſſe Sedem poſt mortem *Hygini* aliquandiu antequam ſuccederet *Pius*: vacationum tamen tempora nulla uſpiam, his in locis, memorare ſolent Autores, cum nec minutias ullas haberent, ut vidimus, exploratas. *Solidos* potiùs ubique *annos* numerant, & ſiqua uſpiam *Interpontificia* intercеſſerint, Succeſſoribus accenſent. Sic certè accenſuit *Euſebius* cùm *Cornelio triennium* attribuit, cœptum nimirùm à Martyrio *Fabiani*, ut proinde *vacationem* illam fere *annuam* complectatur quæ mortem *Fabiani* ſecuta eſt, ut è *Cypriano* diſcimus & Catalogis *Latinorum*. Notas, porro temporum *Hiſtoricas* ad initium *Pii* nullas habemus præter *ortum Hæreticorum*, de quo latè Pater Maximus *Ceſtrienſis*. Firmant tamen hunc quem dedimus ſitum quæ de *Hereticorum* illorum *ortu*, & de *Irenæi ætate*, in noſtris diſputavimus ad *Irenæum* Diſſertationibus.

CAP. XIII.

Tempus Aniceti.

§. 1. *De tempore* Aniceti *errores Cl.* Ceſtrienſis. §. 2. *Mutatis Pontificibus ſuos tamen* annos *largiri ſolent* Latinorum *Catalogorum Autores.* §. 3. *Sub* Eleuthero *mortuos* Valentinum Marcionem*que credidit* Tertullianus. *Male quidem ille, cum ſub* Aniceto *mortui fuerint Pontifice, Imperatore autem* Antonino Pio. *Et quidem ſub* initium *Aniceti, nec* longe *ab* initio *Pii. Inde ad tempus quo* Præſcriptiones *ſcripſit* Tertullianus, *anni circiter* LX. §. 4. Eleutherum *intelligere non potuit* Tertullianus, *cujus* deceſſores *mer[illegible]at* Montaniſtis *infenſos. Primus potiùs* Montaniſtarum *Eccleſiis* Communionem *negâſſe videtur* Eleutherus. *De* Zephyrino *potiùs videtur intelligendus eſſe* Tertullianus.

§ 1. TEnuit porro *Pius* ſedem ab anno CXXVII. ad CXLII. Inde cœpit *Anicetus*, ſub quo primùm ἀφθαρσία collegit *Hegeſippus*. Sic tamen ille, ut fortaſſe non ediderit ante initium *Eleutheri*, ſub quo Commentarios edidiſſe vel ipſo teſte diſcimus. Proinde non eſt quòd ſuſpicemur annum *Aniceti* non ultimum Pontificatûs, ſed quo Catalogum ediderit ab eo eſſe conſignatum. Putat tamen Pater Maximus non XI. duntaxat, ſed XVIII. annos integros

integros *Aniceto* assignandos. Hoc inde colligit, Quòd annos XVIII. proximo *Soteris* decessori tribuat vetustissimus, ut putat, Catalogus. Cum enim initium ejus An. CXLII. apponant rationes *Eutychianæ*, finem An. CLXI. Coss. assignat Catalogus iste, quem putat antiquissimum. Sed multa hîc Patrem eruditissimum, nec à nobis sine omni, quo decet, honore nominandum, fefellerunt. Fefellit imprimis, quòd Catalogum istum *Bucherianum* pro *antiquissimo* habuerit, quem nos è recentiorum conjecturis imperitissime invicem commissis consarcinatum ostendimus. Fefellit deinde quòd proximum *Soteris* decessorem *Anicetum* crediderit. Verum id quidem fateor pro veris *Historiæ* rationibus, non item verum pro vitiatâ methodo Catalogorum *Latinorum*. Deest in Catalogi primi Editione *Bucherianâ Anicetus*, quam quidem Editionem solam viderat eruditissimus Pater. Sed *Pio Anicetum* anteponit Catalogi ejusdem Editio *Heinscheniana*, integrior aliquantò & sincerior. Anteponit Catalogus *secundus* cujus etiam *errores* nonnullos à *primo* mutuatos ostendimus. Anteponunt denique *Latini* vetustissimi *Optatus* atque *Augustinus*, & vetus *Liberii* temporibus propiores quàm ulli quos habemus *Latinorum* Catalogi. Non est itaque quòd dubitemus proximum *Soteris*, pro Catalogorum serie, decessorem *Pium* fuisse, non verò *Anicetum*. *Pium* certè appellat Editio ipsa *Bucheriana* verbis disertissimis. *Pium* indicant, non *Anicetum*, ut existimat Cl. *Cestriensis*, ipsi *Coss.* primi nimirum anni CXLVI. postremi anni CLXI. Intervallum XV. annorum, quem numerum *Pio* solent Autores, non *Aniceto* attribuere. Fefellit præterea Patrem Optimum quòd Autorem Catalogi vetustissimi crediderit annos XVIII. ei assignâsse, quem proximum putavit ipse *Aniceti* decessorem. *Pio* enim, quem proximum ponit, verbis disertissimis annos duntaxat XV. tribuit Catalogi *primi* Editio *Heinscheniana*, cum *mensibus* aliquot & *diebus*, non aliam utique Personam quàm suam hoc loco repræsentanti. XX. tribuit cum mensibus diebusque Editio

Bucherianæ, XVIII. non Catalogus *primus*, ſed *ſecundus*, cum *menſibus* itidem & *diebus*. Sed fefellit & hoc Patrem *Ceſtrienſem*, quòd *Aniceti* potiùs, quàm *ſuâ* perſonâ, hunc numerum *Pio* crediderit attributum. Jam ſuprà oſtendimus quàm confundant hoc in loco omnia invicemque permiſceant *Latinorum* Catalogorum imperitiſſimi fabricatores. Oſtendimus præterea ut cum *Hygino* confuderint non alium utique quàm *Pium* proximum *Hygini* ſucceſſorem. Oſtendimus denique hos ipſos *Pii* majores, quàm par erat, numeros non aliunde ortos quàm ex *Hygini* & *Pii* numeris in unum aliquem tertium numerum conflatis. Fefellit denique ut *verus* fuiſſet *Anicetus* qui *Soterem* proximè anteceſſerat, quòd tamen annos *Aniceti* colligerit Pater Eruditiſſimus ex initio *Aniceti Eutychiano* cum *fine* ejuſdem commiſſo pro Catalogorum *Occidentalium* rationibus.

§. 2. Certè *Aniceti* annos XI. nec *plures*, agnoſcunt veterum monumenta omnia quotquot habemus incorrupta, & pro Autorum mente ſincera. Agnoſcit *Euſebius*, *Eutychius*, *Nicephorus*, *Syncellus*; agnoſcunt etiam qui quidem numeros conſervârint plerique *Latinorum* Catalogi; agnoſcunt *intervalla* ipſa, tam in annis Imperatorum, quàm in universâ ſerie, ſic enim nos ubi mutila ſunt, pro Autorum mente ſupplevimus, ut primi ultimique termini accuratè reſpondeant. XVIII. annos qui *Aniceto* tribuerit ne unum quidem Veterum habemus Teſtimonium. Ne quidem qui Pontifici alicui tribuerit, qui vel *Perſonam* ſuſtinuerit *Aniceti*. Fallit autem quod obſervavit Pater Maximus, qui ordinem Pontificum immutabant, *annos* tamen mutare non ſolitos. Immo ſolent in hoc Scriptorum genere etiam alieno loco poſiti *annos* tamen habere non *alienos*, ſed *proprios*. Sic poſitus poſt *Anencletum*, *Anencleti* nimirum loco, *Clemens*, annos tamen *proprios* habet, non *Anencleti*. Sic & *Anicetus* poſt *Hyginum*, *Pii* nimirum loco, in Catalogo II. antiquiſſimo annos tamen XI. habet, non *Pii* certè, ſed potiùs *Aniceti* proprios. Et viceversâ, *Pio* ante *Soterem*,

Di T.II. Cap. XXI. §. 1.

terem, loco nimirum *Aniceti*, annos tamen XV. non *Aniceti*, ſed *Pii*, tribuit Catalogi *primi* Editio *Heinſchenian*a, quem quidem Catalogum credidit *Ceſtrienſis* omnium antiquiſſimum. Immo verò hi ipſi numeri auctiores ex *Hygini* numero conflati, non *Anicetum* indicant, ſed ipſum *Pium*, qui proximè ſucceſſit *Anacleto*.

Sed verò Argumenta ex *Hiſtoriâ* deducta credit Vir Maximus, nec immeritò, omnium firmiſſima. Ait quidem Tertullianus, *adhuc*, cum ſcriberet, *in Sæculo ſuperfuiſſe* qui Valentini Marcioniſque *meminiſſent*, *etiam proprios diſcentes & ſucceſſores eorum*. Sic autem loqui ſolere obſervavit Pater de iis qui ultra XL, imò L, aut plures, annos ante mortui ſunt. Sed verò ſub *Aniceto* periiſſe tam *Valentinum* quàm *Marcionem* colligit S. Pater, & quidem rectè ut exiſtimo, ex *Irenæo*. Inde rurſus colligit à temporibus *Aniceti* ad finem Sæculi ſecundi quo ſcripſit *Tertullianus*, ſpatium XL. fuiſſe aut L. circiter annorum. Sed incertiora ſunt hæc omnia quàm ut poſſit de VIII. duntaxat annorum intervallo, quos ſolos lucratur Pater Doctiſſimus, inde quidpiam certi pronunciari. Imprimis hæc non de *Valentino* duntaxat atque *Marcione*, verum etiam de *Apelle* & *Philomenâ*, quos *nominaverat* Hæreticorum ultimos, teſtatur *Tertullianus*. Ut illos quoque ſupponat *mortuos*, ſic tamen *recenti* memoriâ mortuos, ut & illorum quoque Diſcipuli fuerint etiamnum ſuperſtites. Succeſſit *Apelles Marcioni*, reverſus nimirum ex *Alexandriâ* quò fuerit, propter *ſtuprum*, à Magiſtro fugatus. Hunc *ſenem* convenit *Rhodon* cum doceret ipſe *Rhodon*, inſtitutus olim à *Tatiano* qui *Juſtini* fuerat etiam ipſe Diſcipulus. Paſſus eſt, pro noſtris rationibus, S. *Juſtinus* anno CXLIX. Ut proinde ad *Commodum* uſque ſuperſtes fuerit *Apelles* cum *ſenem* illum refutaret *Rhodon*. Ægrè itaque ante XX. annum deceſſerit *Apelles* quàm ſcriberet illa *Tertullianus*. Et tamen de eo etiam ſcribit, illius Diſcipulos adhuc in Sæculo ſuperfuiſſe. Sed ſat demum Hæreticorum, quos meminit, *antiquiſſimos* conviceric tamen

§. 3. *Tertul Præſcr. adv. Hær. c. 30.*

novi-

novitatis hoc in loco *Tertullianus*, ipſos nempe quos vult Pater, *Valentinum* atque *Marcionem*. Prima tamen eorundem tempora ex ultimis colligit, *ultima* duntaxat è ſuperſtitibus etiamnum Diſcipulis. Atqui ultima eorum tempora non in *Aniceti* Pontificatum, ſed *Eleutheri*, contulit Tertullianus: *Sub Epiſcopatu* (inquit) *Eleutheri Beneditti, ob inquietam ſemper eorum curioſitatem ſemel & iterum ejecti.* Inde itaque ſequeretur initium *Eleutheri* altiùs, quàm vult Pater *Ceſtrienſis*, eſſe repetendum. Fateor mihi potiùs placere Teſtimonium *Irenæi*, ut ſub *Aniceto* potiùs, *Valentinus* & *Marcion*, quàm ſub *Eleuthero*, deceſſerint. Præſertim accedente Teſtimonio *Clementis* etiam *Alexandrini*. Ut enim illos uſque ad *Anicetum* pertigiſſe teſtatur *Irenæus*, ſic ad *ſenioris Antonini* Principatum perveniſſe *Clemens Alexandrinus*. Sic *Antonini fere Principatu* fuiſſe ait, *Antoninianumque Hæreticum Marcionem* non uno in loco appellat ipſe *Tertullianus*. Sed verò *Tertulliani* rationes, utcunque *vitioſæ*, ſunt tamen in ſubſidium advocandæ, ſi *ipſum* rectè explicare velimus, ſi id tantum quæratur quæ verè fuerit *illius* ſententia. Sic erit non *Anicetus*, ſed *Eleutherus*, à *Tertulliani* tempore remotiùs in anteriora ſeparandus. Sed nec illud certum quotum *Aniceti* annum attingerint *Valentinus* atque *Marcion*. Primi ejus anni XI. concurrunt pro utriuſque calculis tam *Ceſtrienſis* quàm *noſtris*. Ni itaque illos ſuperârint hi Hæretici, nihil inde elicietur quod aut noſtram oppugnet, aut confirmet Patris maximi ſententiam, quâ diſcrepat à noſtrâ. Et verò longe veriſimilius eſt *primis* illis *Aniceti* annis utrumque deceſſiſſe Hæreticum. Et quò propiùs ab initio *Aniceti* contigerint eorum obitus, *eò majus* erit intervallum (quod *augendum* credidit *Ceſtrienſis*) ad tempus illud quo ſcripſit *Tertullianus*. Verba certè Veterum id potiùs indicant, non longe ab *initio Aniceti* fuiſſe ſuperſtites. De *Valentino* ita *Irenæus*: παρέμεινε τοῖς Ἀνικήτου· de *Marcione*, *invaluit*

ſub

ſub Aniceto. De utroque *Clemens Alexandrinus*, παρίτυας τῶν Ἀποστόλων ὁρισάντων. Quæ quidem indicant adeo eorum *obitus* non diu contigiſſe poſt *initium Aniceti* ut ne quidem longe diſtârent ab initio *Antonini Pii*, quem tamen ante *Anicetum* cœpiſſe ſupponunt noſtræ utriuſque rationes. Scripſit *Tertullianus Apologeticum*, anno, ut videtur, quo cæſus eſt *Plautianus*, nimirum CCIII. Ad *Plautianum* enim retulerim verba illa, *Qui armati Palatium irrumpunt*, & ad *Amicos Plautiani racemationem*, cujus meminit idem in eodem Apologetico *Tertullianus*. Multos enim *Plautiani* amicos teſtatur poſtea ſublatos *Dio*. Paulò *ante Apologeticum* ſcripſit, ut videtur, *Præſcriptiones*, poſt annum tamen, ut videtur, CC. Antea enim nihil, ut exiſtimo, certè conſtat ſcripſiſſe *Tertullianum*. Cœpit *Anicetus* an. CXLII. Intervallum eſt annorum circiter LX. Sic rectè potuit Diſcipulos *Valentini Marcioniſque* memorare *Tertullianus* qui *adhuc in Sæculo ſupereſſent*; quos tamen *multos* non fuiſſe, propter ipſam temporis longinquitatem, phraſis indicat. Atque hinc egregia confirmatur Viri Maximi Chronologia quam & nos ſequimur in *initio Aniceti*. Nullum enim verbis illis locum faciunt vulgus Chronologorum qui initium *Aniceti* ſtatuunt multò recentius.

Habet præterea & aliud Pater, & quidem ex eodem *Tertulliano*, *Hiſtoricum*, ut putat, ſententiæ ſuæ Argumentum. Sic enim ille de Praxeâ*: *Nam idem tunc Epiſcopum Romanum, agnoſcentem jam Prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex eâ agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Eccleſiis eorum adſeverando, & PRÆCESSORUM ejus Autoritates defendendo, coegit & literas Pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare.* Hunc Epiſcopum quem coegit *Paxeas revocare literas Pacis jam emiſſas* Eleutherum exiſtimat præſtantiſſimus *Ceſtrienſis*, motum nimirum ad literas Pacis emittendas à literis Martyrum *Lugdunenſium* atque *Viennenſium* in gratiam *Montaniſticarum*

§. 4. Diſſ. II. cap. IX.

* Adv. Prax. cap. 1.

niſticarum Eccleſiarum datis ad *Eleutherum*. Et cum *Præceſſores* memorârit *Tertullianus Montaniſtis* adverſos, exinde colligit, non ſub *Sotere*, ſed deceſſore *Soteris Aniceto*, ortum eſſe *Montanum*. Ortum *Montani* anno *Pii* XIX. aſſignat *Epiphanius*, Chriſti nimirum CLVI. exeunte, aut ineunte CLVII. Proinde anni CLVI. ſaltem *fine* neceſſarium putat ut ſedem poſſederit *Anicetus*, cum noſtræ tamen rationes *finem Aniceti* tribuant anno CLIII. Sed verò incertiora ſunt hæc omnia quàm ut in Argumentum converti poſſint. *Epiſcopus Romanus* ille quis fuerit non deſignat apertè *Tertullianus*, & quicunque tandem is fuerit, vix tamen eſſe potuit *Eleutherus*. *Montanum* cum ſuis τότε ὀρθῶν turbas dediſſe teſtatur *Euſebius*, cum ſcriberent ad *Eleutherum* Martyres *Lugdunenſes* atque *Vienneuſes*. Non itaque ſecundo ante *Eleutherum* deceſſore, & ante annos ad minimum *Soteris* VIII. ne & alios addam *Aniceti* ſub quo primùm fuerit graſſatus. Scribant illi quidem Martyres *Aſianis* pariter ac *Phrygibus*, ut *Aſiæ* pariter ac *Phrygiæ* Eccleſiis pacem *agnitione Paracleti* futuram dicit *Tertullianus*. Sed plane tanquam *fratribus*, tanquam *Communionis* ejuſdem participibus. Quod ſatis indicat *Euſebius* verbis modò recitatis. Id enim vult, ni fallor, tum primùm tanta diſſidia concitâſſe *Montanum* ut viſus fuerit *Eleuthero* minimè tolerandus. Et quidem eò *inclinâſſe* conſtat *Eleutherum* ut Pacis literas *negaret*, cùm Pacis conſervandæ causâ literas ad *Eleutherum* datas à Martyribus *Lugdunenſibus Vienneuſibuſque* teſtetur *Euſebius*. Sunt enim illa ejuſdem verba: Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὁ Ἐλευθέρῳ τῷ τότε Ῥωμαίων ἐπισκοπήσαντι τὴν τοῦ ἐκκλησιῶν εἰρήνην ἔτιγε σπουδάζοντος. Jam enim antea *Montanum* ſcriptis refutaverat *Soter*, ſi quidem fides habenda ſit Autori Catalogi Hæreſeon à *Sirmondo* editi, quem quidem Codices nonnulli *Primaſio* inſcribunt. Sic tamen *Scriptis* decertaverat *Soter* ut *Communionem* non negaverit Eccleſiis illis quæ *Montani*

Apud *Euſeb.* Hiſt. Eccl. V. 13.

Euſeb Hiſt. Ec. V. 3.

Pro-

Prophetias ſuffragiis ſuis approbabant. Primus hoc feciſſe videtur *Eleutherus*, quem tamen, quo minùs faciat, dehortantur illi Martyres *Aſiani* nimirum ipſi atque *Phryges*, quique adeo ut cauſam *Montani* non probabant, *Pacem* tamen cum Eccleſiis *Aſiæ Phrygiæque* ſtudioſiſſimè conſervandam arbitrati ſunt. Id quod videmus poſtea factum ab iiſdem *Gallis* in controverſiis *Aſianarum* Eccleſiarum cum *Victore* Paſchalibus. Rectiùs itaque *Zephyrino* convenient omnia quæ ſcribit de *Epiſcopo* Romano *Tertullianus* quem revocârit *Praxeas* à Communione Eccleſiarum quæ favebant Prophetiis *Montani*. Propterea *heſternum Praxeam* appellat *Tertullianus*, & quidem aliorum *Hæreticorum* reſpectu *heſternum*, non ita illum proculdubiò appellaturus qui ortus fuiſſet ſub *Eleuthero*. Hæreticos alios quorum comparatione heſternum *Praxeam* appellavit, ad *Eleutherum* credidit, ut ſuprà vidimus, pertigiſſe *Tertullianus*. Sic tamen illos à ſuorum temporum memoriâ removit ut non multos agnoverit in *Sæculo* ſuperſtites qui illorum meminiſſent. *Eleutheri* itaque tempora *heſterna* non potuit cenſere *Tertullianus*. Ne quidem ſi rectè, atque ut oportuit, Hæreticorum priorum ortum aſſignâſſet *Aniceto*.

Sic itaque Reſpondimus *Hiſtoricis* præſtantiſſimi *Ceſtrienſis* Argumentis. Noſtra in *contrarium* Argumenta, itidem *Hiſtorica*, infrà opportuniùs in ſingulorum Pontificum ſucceſſione proferemus.

CAP. XIV.

Tempora Soteris & Eleutheri.

§. 1. Soter *Epiſcopus ſub* Pio, *coævus Perſecutionibus illis quarum meminit* Dionyſius Corinthius *ſub* Pio. §. 2. *Coævus item* ortui Montani *qui etiam ſub* Pio. §. 3. *Sub* initium *Marci ſucceſſiſſe oportuit* Eleutherum. §. 4. *Objicitur* unici Cæſaris *in Perſecutione* Lugdunenſi *mentio, ut proinde* VII. Marci *convenire non potuerit.* §. 5. *Reſp. qui, hâc in causâ, à nobis diſſentiunt,* alium *tamen* annum *huic Perſecutioni magis* idoneum *aſſignare non poſſe.* §. 6. *Incertum præterea,* illis *temporibus, ſueritne in* more *ut* Auguſti omnes *in Legum* titulis *apponerentur.* §. 7. *Eorum* nomina *in Legum Inſcriptionibus memorari ſolebant, è quorum tamen* arbitrio *Leges ipſæ* conſtitutæ *non ſunt.* §. 8. Senioris Auguſti *juſſis* refragandi *Jus nullum habebant* juniores, *etiam* Auguſti. §. 9. Lucius *ipſe, licèt* Auguſtus, Marco *tamen* ſeniori Auguſto *debuit* obſequia. §. 10. Reſcripta *Imperialia* primi *Auguſti* ſolius *arbitrio edita.* §. 11. *Nullum* Auguſtorum *in* Legibus *condendis* Collegium *unde fieri poſſit, ut non poſſit*

poſſit ſenior Auguſtus *Legem ſine Collegæ* ſuffragio *condere.* §. 12. *Nec poterant* juniores Auguſti, *per* Tribunitiam Poteſtatem, *ſenioris Auguſti placitis* intercedere. §. 13. Marci *hoc Reſcriptum non de* Jure *agebat, ſed de* Facto *Civis* appellantis. §. 14. *Erant certè* Attalus *cum* ſociis *Cives* Romani, *& ad Imperatorem* provocaverant. §. 15. *His* Cognitionibus *de causâ civium* Appellantium *ſolus* Marcus *intereſſe* potuit, *& ſolum de* Facto *interfuiſſe veriſimile eſt.* §. 16. Eleutheri *tempus colligitur ex* Hegeſippo: §. 17. *&* Irenæo. §. 18. *Chronologiam* Pontificiam *uſque ad* Eleutherum *conſervâſſe videtur* Hegeſippus. §. 19. *Eandem Chronologiam ab* Eleuthero *ad* Pontianum *continuâſſe videtur ſeu* Hippolytus, *ſeu alius quiſpiam* coævus *Hippolyto.* §. 20. *Chronologiam Pontificum* Hippolyteam *probabile eſt tradidiſſe* Georgium Syncellum. §. 21. *Cur* Pontificiam *Chronologiam contraxerit* Euſebius, *qui ipſe* recentioribus *in errore præiverit.*

SUcceſſit *Aniceto Soter*, pro rationibus Cl. *Ceſtrienſis*, An. Ær. *vulg.* CLXI. pro noſtris CLIII. Ita nimirum ille *Soterem* Antonini *Pii* temporibus excluſit, nos contrà plures ejuſdem annos *Pii* temporibus aſſignamus, & quidem aſſignandos ex *Hiſtoricis* monumentis evincimus. Coævus erat *Soteri*, ad quem ſcripſit, proculdubiò *Dionyſius Corinthius.* Is in illâ ipsâ, quam ad *Soterem* ſcripſit, §. 1.

Ap. *Euſeb.* H. E. IV. 23. Epiſtolâ *Soterem* ait, jàm nimirum *Epiſcopum* (cui jure quodam peculiari propria erat Eleemoſynarum diſpenſatio) pro Eccleſiæ *Romanæ* more, multis Eccleſiis καὶ πᾶσι πόλει ἐφόδια miſiſſe, fratribuſque per *metalla* conſtitutis. Ecquis eſt qui dubitet ad *Perſecutionem* hæc ſpectare quæ fuerit per pleraſque *Græciæ Civitates* univerſalis, quâ nimirum *proſcripti* fuerint Chriſtiani, *boniſque* exuti per Decreta *Civitatum*? Nec verò aliam Perſecutionem fuiſſe veriſimile eſt, quàm cujus meminerit *Melito*, cujus nimirum occaſione ſcripſerit pro Chriſtianis *Pius* ad *Lariſſæos*, ad *Theſſalonicenſes*, ad *Athenienſes*, ad *univerſos*, quà verſabatur *Dionyſius*, *Græcos*. Si quis duas illas Perſecutiones invicem contulerit, vix ovum ovo ſimilius invenerit. *Civitatum* videntur illæ fuiſſe Perſecutiones quarum meminit *Dionyſius*, non Edictorum *Imperialium*. Et ad *Civitates* ſcripſit, non ad *Præfectos* ſuos, *Pius* apud *Melitonem*. *Bonis* præcipue fortuniſque exuebant Chriſtianos Perſecutores *Dionyſiani*, fortunis Romanorum *eleemoſyniſque* proinde ſuſtentandos. Et δόγματα Civitatum memorat *Melito* Chriſtianis adverſa, Sycophantas ἀλλοτρίων ἐφετὰς, φασιφόρους λῃστεύοντας, ἁρπάζοντας, quin & δημώδη etiam λυπλασίας. Ait quidem hæc de ſui temporis Perſecutionibus *Melito*, quas tamen prioribus illis ſub *Pio ſimiles* ſupponit, dum & *Pii* in causâ ſimili exemplum *Marco* proponit obſervandum. Ad *bona* autem hæc fortunaſque ſpectâſſe manifeſtum eſt. Quòd verò ad *Athenienſes* ſcripſerit *Pius*, vix eſt certè ut aliâ de causâ contigiſſe ſuſpicemur quàm ob graviſſimam illam, cujus meminit *Dionyſius*, *Athenienſium* Perſecutionem, in eâ nimirum Epiſtolâ quam ſcripſit ad Chriſtianos *Athenienſes*. Suſtulit Perſecutio illa *Publium* Athenienſem *Epiſcopum*, Eccleſiamque *Athenienſem* univerſàm ita proſtravit ut à fide Chriſti illos propemodùm deficere coegerit. Proinde *Quadratum* Publii Succeſſorem eodem nomine laudat

Ap. *Euſeb.* H. E. IV. 26.

Dionyſius

Dionyſius quo & *Varronem Romanus* laudavit poſt prælium *Cannenſe Senatus*, quòd Chriſtianorum cœtus denuò coegerit, nec de re Chriſtianâ universâ deſperârit. Nec alia *metalla Dionyſii* quibus damnatos Confeſſores ſuſtentârunt *Soteris* Eleemoſynæ, quàm *Athenienſium* illa omnium celeberrima. Et quòd ſcripſerit denique ad *univerſos Græcos Pius*, inde etiam contigiſſe conſentaneum eſt quòd χτ πᾶσαν πόλιν, *Græciæ* nimirum ubi agebat *Dionyſius*, ſævierit Perſecutio illa cujus idem meminit *Dionyſius*. Ut proinde *Melitonis* meliorem Interpretem neminem habeamus quàm ipſum illum *Dionyſium*. Inciderunt hæ *Pii* literæ in ea tempora quibus *Marcus* cum *Pio* σύμπαντα ζωὴν ἤγετο. Rectè nimirum poſt annum CXLVII. quo *Fauſtinam* duxit uxorem *Marcus*, particeps factus Tribunitiæ Poteſtatis, *Pii* X. Natali, *Urbiſque* DCCCC. in eundem illum annum concurrentibus. *Dotem* enim cum *Fauſtinâ Imperium Marcus* ſe accepiſſe confeſſus eſt. *Capitolin. vit. Marc. c. 19.*

Idem etiam aliunde colligimus. Scripſit enim adverſus *Montanum Soter*, ſiqua fides Autori Catalogi Hæreſeon quem *Primaſio* attribuunt Codices nonnulli MSS. Et verò nulla eſt ratio cur illi etiam Autori fidem, hâc ſaltem in causâ, derogemus. Reſpondit enim *Soteri Tertullianus*, & quidem in eodem Opere Reſpondit quo etiam refutavit *Apollonium*. Quod cum illo tempore extaret, falli proinde Autor ille vix potuit. At *Pii* Imperatoris XIX. ortum *Montani* tribuiſſe jam ſuprà obſervavit Cl. Pater *Epiphanium*, Chriſtianæ nimirum Æræ vel CLVI. *fine*, vel *initio* CLVII. Et primo ejus initio, etiam ſub *Grati*, quo ortus eſt, *Aſiano* Proconſulatu, τὸ κατ' ἐκεῖνο χωρῶν, *Montanum* ipſum pro Energumeno, & Spiritum ejus pro Dæmoniaco habebant, eumque adeo ἐκστήμων & λαλῶν ἐκ᾽ ἄλλου, teſte apud *Euſebium Apollinari Hierapolitano* Antiſtite. Sic enim Dæmoniacos excipere ſolebat Dominus, ſic §. 2. *Prædeſtinat. Hær. 26. 86.* *Epiph. Hær. XLVIII. n. 1.* *Ap. Euſeb. H. E. V. 16.*

ſic & Chriſtianorum deinceps Exorciſtæ. Et quidem hoc primo ejus *initio* contigiſſe vel illud Argumento eſt, quòd *ſolus* adhuc inſanierit *Montanus*, nondum nimirum nactus erroris ſocios *Theodotum* & *Alcibiadem*, nedum Pſeudo-Prophetiſſas *Priſcam* & *Maximillam*. Satis itaque veriſimile eſt à *Sotere* illa ſcribi potuiſſe, atque adeo in ejus tempora *Montani* ortum incidiſſe, quæ etiam proinde in *Pii* tempora incidiſſe oportuerit. *Soteris* annos IX. agnoſcunt Catalogorum Pontificalium rationes tam per *Faſtos* illæ quàm etiam *hiatibus* expeditæ, agnoſcunt *Nicephorus* & *Syncellus*. Non ſunt itaque audiendi hoc in loco, ſeu *Euſebius*, ſeu qui *Euſebium* in numeris plerunque ſequitur *Eutychius*. *Euſebius* certè cum à recentiori S. *Petri* initio *Romanæ* Succeſſionis initium repeteret, proinde evitare non potuit quin in progreſſu numeros contractiores faceret quàm oportuit. Ita deſierit *Soter* pro noſtris rationibus Ær. *vulg.* an. CLXII.

§. 3. Et quidem *Eleutheri* quoque tempora altiùs repetenda ſunt, propiuſque ab *initio Marci*, quàm ferunt rationes Cl. Doctiſſimique Patris, nedum aliæ illæ recentiorum pleriorumque Chronologorum. Illud certum, cum vigeret *Lugdunenſium Viennenſiumque* Perſecutio, jam conſtitutum in Pontificatu fuiſſe *Eleutherum*. Scripſerunt enim illi è carcere Martyres, commendâruntque *Irenæum*. Eam nos Perſecutionem *Marci* anno VII. *Chriſti* CLXVII. ſtatuendam alibi oſtendimus. Id quod alibi in *Chronico* verbis diſertiſſimis ipſe docuit *Euſebius*. Et cum aliud in *Hiſtoriâ* ſentire videatur, non tamen aliud reverâ ſentit niſi ex conſequenti, ut ſolet error ex errore naſci, etiam invitis errantibus. Cum meminit anni *Marci* XVII. non *Perſecutionem*, ſed initium *Eleutheri*, cum illo *Marci* anno conjungit. Id quod è Libri IV. fine, & V. initio invicem connexis conſtat manifeſtiſſimè. Sic enim habent ultima L. IV. verba, Ἐπ τύτῳ γε μὴν ὁ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος Σωτὴρ τελευτᾷ. Sequitur deinde initio L. V.

Diſſert. Cypr. XI.

O

Ὁ μὲν τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος Σωτὴρ ἤδη ὄγδοον ἔτος ἡγεμόνευε τελευτᾷ τὸν βίον· τοῦτον διαδέχεται κατὰ τὸν Ἀποστόλων Ἐλεύθερος ἕβδομος λάχων· ἔτος δὲ ὡς ἐπλήρου λάχων Αὐτοκράτωρ Ἀντωνίνου Οὐήρου, &c. In quo nihil illé à *Chronico* diverſum ſenſit, cum & *Canones* eundem *Marci* annum XVII. *Eleutheri* initio aſſignent. Et quidem hoc verè exigebant rationes, uti vidimus, *Euſebianæ*, ſi cum annis *Imperatorum* conferantur anni illi *Pontificum* quos ille conjungendos cenſuit. Quare primus ille *Euſebii* error eſt, quòd malè *Eleutheri* initium diſpoſuerit. Tum & alius ille, quòd unà *Perſecutionem*, quam quidem tenente Pontificatum *Eleuthero* contigiſſe certum eſt, ad inferiora detrudendam non viderit, quam ipſam tamen ille è veris monumentis in *Chronico* conſtituerat. Huic certè potiùs *anno* à nobis aſſignato conveniunt temporis adjuncti characteres. *Agonalis* erat *Lugdunenſibus* annus *Marci* non XVII. ſed VII. ut in *Cyprianicis* oſtendimus. Egit præterea *Irenæus*, anno *Marci* VII. pro noſtris rationibus, annum *Ætatis* LXX. XVII. LXXX. Prior ætas Expeditionibus adeo longinquis tolerandis longe magis erat idonea. Nec verò gratulantur *Eleuthero* Martyres *novam* ejus in ſede Pontificali ſucceſſionem, quod erat tamen, pro calculis *Euſebianis*, faciendum. Supponunt potiùs aliquantiſper Epiſcopum. Supponunt potiùs *ſpecimina* ediditſe alieni ab Eccleſiis *Montaniſticis* animi. Supponunt *ætatem* ejus grandævam ſorte dum *Patris* illum nomine ſalutant. Quæ certè *affectum* potiùs quàm duntaxat *inchoatum* illius Epiſcopatum deſignant. Convenit præterea quòd τινὰ ὄφιν agnoſcat *Euſebius* pro *Prophetis* haberi cœpiſſe *Montaniſtas*. Quod certè rectiùs dixiſſet de eo qui ante annos X. cœperit, quàm qui ante annos XX. eam opinionem hominum adeptus fuerat. Adjuncti ſunt *Montano* ſocii in furore *Theodotus* & *Alcibiades*. Et quidem horum alterum *Theodotum*, τὸν ὄφιν τῆς

Ib. ap. Euſ. H.E. V. 4.

Ibid. c. 3.

Ap. *Euſeb.* H. E. V. 16. τῆς κατ' αὐτὸν λεγομένης προφητείας οἷον ἐπίτροπον appellat *Aſterius Urbanus*. Nondum adjunctæ *Priſca* & *Maximilla*, quæ ut ſpatium denotant *primo* Montani exordio recentius, ſic *fine* ejuſdem antiquius, cum & *Priſca* obierit ante *Montanum*, & tamen illum fuerit aliquantiſper ſecuta. Non eſt itaque initium *Eleutheri* ab anno *Pii* XIX. ſpatio nimis longinquo dirimendum.

§. 4. *Euſeb.* H. E. V. 1. Maximè verò movit in contrarium Viros aliquot Eruditiſſimos, quòd de *Attali* ſupplicio, *civis* nempe *Romani*, ſcripſiſſe dicatur Provinciæ Præſes ad *Cæſarem*, & à *Cæſare* literas accepiſſe. *Cæſarem* nimirum *unicum* utrobique memorant *Lugdunenſes Viennenſeſque*, cum tamen *anno*, cui hanc Perſecutionem aſſignavimus, CLXVII. *duo* eſſent, & quidem pari poteſtate *Auguſteâ*, Cæſares, *Marcus* & *Lucius*; cum etiam rediiſſet ex *Oriente* Lucius, ne forte, propter moram *Lucii* in Oriente, ſolum in hâc causâ *Marcum* conſultum fuiſſe ſuſpicemur. *Capitolin. Marc. c. 8.* Eſt quidem *Lucius ſecundo* Imperii anno adversùs *Parthos* in *Orientem* profectus, quo etiam tempore II. *Imperator* appellatus eſt. Unde præterea intelligimus eodem illo ſecundo anno jam etiam *Orientem* appuliſſe *Lucium*, & cœpto bello *ſecundum* illum titulum *Imperatorium* adeptum eſſe. Rectè id nimirum, cum titulum *ſecundum Imperatorium* cum *ſecundâ* Lucii *Trib. Pot.* etiam conjungant numi. *Secundo* itaque anno ineunte, poſt menſem *Martium* aut *Aprilem*, expeditionem illam ſuſceperit *Lucius*, Æræ nimirum *vulg.* CLXII. *Ibid. c. 13.* Inde poſt *quinquennium* reverſum tradit *Capitolinus*, quod etiam de *quinquennio inchoato* duntaxat, non *abſoluto*, intelligendum eſt. *Quadriennii* enim ſpatio abſentiam *Lucii* bis concludit in *Lucii* vitâ *Capitolinus*, quibus locis innuit quinti anni partem admodùm *modicam* duntaxat acceſſiſſe. Inierit itaque annus *quintus*, poſt *Martium* ſimiliter aut *Aprilem*, anni CLXVI. Ejuſdem certè anni menſ. *Oct.* 12. *Ibid. c. 12.* filiis Marci *Cæſaream* dignitatem impetravit à Marco *Lucius*, *redux* nimirum, ut videtur, ab Expeditione *Parthicâ*, & tamen

tamen ante *Triumphum*. Id certè confirmare videtur quod ait *Capitolinus*, *profligato* tandem *Bello* illo utrumque *Parthicum* appellatum. Et quidem cum *Marci Trib. Pot.* XX. & *Lucii Trib. Pot.* VI. titulum *Imperatorium* IV. cum cognomine *Parthici* conjungunt numi; Inde facilè colligimus his tandem horum Principum *Tribunitiis Poteſtatibus* huic Bello finem ultimum eſſe impoſitum. Nec enim V. legimus titulum eorundem *Imperatorium* ante *Tribunitiam Poteſtatem Marci* XXII. *Lucii* autem VIII. Sic tamen *Marci* Pot. Tr. XX. & *Lucii* VI. hunc *IV.* titulum *Imperatorium* aſſignant numi, ut plane *initio* Poteſtatis Tribunitiæ titulum illum *Imperatorium* nondum aſſecutos eſſe conſtet. Sunt enim numi *Marci* qui *III.* duntaxat titulum *Imperatorium* cum ejuſdem *Tribunitiâ Poteſtate* XX. connectant, & *Lucii* quoque numi qui titulum ſimiliter *Imperatorium III.* cum ejuſdem *Tribunitiâ Poteſtate* repræſentent *VI.* Medio itaque ſaltem anni CLXVI. *finem* Bello impoſitum neceſſe eſt. Certè *ante* initium anni CLXVII. quo IV. Coſſ. proceſſit *Lucius*. Sunt enim illius numi qui *Tr. Pot.* ut dixi, *VI.* & *Coſ. IV.* duntaxat *deſignato*, *IV.* tamen illum titulum *Imperatorium* attribuant. Idem confirmat quòd *Pacem* repræſentent & *Quadrigas Triumphales* numi his iiſdem *Tribunitiis Poteſtatibus* ſignati. Non *Belli* modò *finem Pax* illa ſatis luculenter indicare videtur; ſed *actum* etiam *Triumphum Quadrigæ* illæ *triumphales*, non alibi tamen illum à *Lucio* proculdubiò *actum* quàm in ipsâ *Româ*. Quare anni ſeu CLXVI. aut CLXVII. initio *Lucium* rediiſſe neceſſe eſt. Certe ante menſem *Julium* aut *Auguſtum* quo ludos *Lugdunenſes* agebant Provinciales *Galli*, quo Chriſtianos illorum ludorum etiam occaſione *perſecuti* ſunt. Cujus tamen quoniam nulla occurrit, ſeu in *Relatione*, ſeu in *Reſcripto* mentio; proinde colligunt *actum* potiùs aliquem huic Perſecutioni *annum* eſſe quærendum. Ibid cap. 9.

§. 5. Sed ægrè alium aliquem invenient annum Perſecutioni idoneum qui hunc refellunt quem nos dedimus è verbis *Chronici Euſebiani* diſertiſſimis. Modò oſtendimus annum *Marci* XVII. Chriſti CLXXVII. ne quidem in *Hiſtoriâ* Perſecutioni ab *Euſebio* aſſignatum, ſed initio potiùs *Eleutheri*; & quidem pro rationibus calculi vitioſiſſimis. Et ne poſſit aſſignari obſtat quòd non fuerit annus ille Lugdunenſibus *agonalis*. Obſtat præterea quòd *ſocium* habuerit *Marcus* anno illo, tam in *Tribunitiâ Poteſtate* quàm in *Auguſteâ* quoque dignitate *Commodum*, ſimili utique, quâ fuerit *Lucius*, tam in *Relatione*, quàm etiam in *Reſcripto*, & ipſum quoque, ratione memorandum. Anno itaque CLXXV. Perſecutionem, qui verè *agonalis* fuerat, imputandam cenſuit Pater *Ceſtrienſis*. Sed ut nondum fuerit *Tribunitiam Poteſtatem* adeptus *Commodus* (qui illo ipſo *anno* adeptus eſt) nullo certè *Euſebii* teſtimonio nititur illa ſententia, nec *Chronici* illo quo *VII. Marci* anno aſſignatur Perſecutio, nec *Hiſtoriæ* alteri, quo putant Adverſarii tribui *XVII.* Adeo, qui à *manifeſto* illo *Euſebii* teſtimonio diſcedunt, *conjecturas* ſuas illius loco ſubſtituunt *nullo* prorſus *teſtimonio* ſuffultas. Sic itaque & illis quoque ſuum expendendum erit Argumentum, rectene fuerit ab *anno* aliquo excludenda Perſecutio, quòd cum *duo* fuiſſent illo anno *Auguſti*, *unius* tamen fuerit, tam in *Relatione*, quàm in *Reſcripto*, mentio.

§. 6. Ego hoc Argumentum non adeo tamen *certum* exiſtimo ut ſit propterea ab *Euſebii* teſtimonio tam *diſerto* diſcedendum, præſertim cum & characteri *ludorum Lugdunenſium* adeò accuratè conveniat. Habemus certè *Marci* Reſcriptum, *Lucio* etiamnum *ſuperſtite*, & in partibus *Occidentalibus* agente, & quidem Poteſtate *Auguſteâ* jam *titulis* aliquot victarum gentium *triumphiſque* ornatâ, in quo tamen *Lucii* nulla mentio compareat. Extat illud *Cod.* L. VI. tit. 27. l. 1. *Priſco & Apollinare Coſſ.* anno nimirum CLXIX. *Feb.* 23. cùm *Trib. Poteſtatem* IX. nondum attigiſſet *Lucius*, quam tamen attigiſſe conſtat è Numis Inſcripti-

ſcriptionibuſque, aliiſque Veterum diſertis Teſtimoniis. Solum tamen *Imp. Antoninum A.* in illius Legis *Inſcriptione* legimus. Tribui hoc fortaſſe poteſt *Collectorum* oſcitantiæ qui primos illos, ante *Theodoſium*, Codices collegerint. Sic enim cum *Severo* Patre ſemper *Antoninum Caracallam* in Codicis *titulis* junctum legimus, & quidem cum *Auguſti* elogio; cum tamen nec Poteſtatem *Auguſteam*, nec *Tribunitiam*, ante primum Patris *quinquennium*, fuerit adeptus. Sic *Getæ A.* nomen in nullis uſpiam Legum *titulis* habemus, ſed ſolius *Caracallæ*; etiam cum *viveret* Geta, & par eſſet in *Auguſteâ* dignitate cum fratre *Caracallâ*. *Severi* Patris cum *Antonino* legem ultimam habemus *Gentiano & Baſſo Coſſ.* anno nimirum CCXI. *Aprilis* 26. propoſitam, *Cod.* VI. 37. 3. *Maii* 1. datam ſolius *Antonini* legimus *Cod.* II. 4. 1. *Sept.* 29. aliam acceptam *Cod.* VII. 59. 1. ne recentiores alias ejuſdem anni Leges urgeamus, quæ cum ferrentur, non adeo certum eſt in *vivis* fuiſſe *Getam*. Sed nec Legem ullam *Severi* legimus *trium AAA.* nominibus inſignitam, cum tamen pluribus ante Patris mortem annis *Getam* quoque *Patri* atque *Fratri* in *Auguſteâ* collegam fuiſſe manifeſtum ſit tam è *Tertulliano*, quàm ex *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptoribus, quàm è *Numis* etiam *Inſcriptionibuſque*. Ex his fortaſſe aliiſque, quæ dari poterant, exemplis, colligi poteſt non eſſe admodùm Codicis *Inſcriptionibus* fidendum. Eſſet potiùs ſuſpicio Inſcriptiones adeo *erroneas* ab aliis fuiſſe potiùs quàm à *primis* Legum *conditoribus*. Ut proinde ne id quidem certum ſit fueritne *illis* temporibus in *more* ut Imperatorum omnium nomina in Legum *Inſcriptionibus* apponerentur. Tantum abeſt ut *certum* aliquod habeamus Argumentum unde colligi poſſit, Inſcriptio illa Auguſtorum *omnium*, in Legum *titulis*, fueritne perpetua. Eſt quidem, fateor, in *Pandectis* frequens illarum Legum mentio quas tulerit cum *Divo*, quem appellant, *Patre Caracalla*. Id tamen obſervavi illorum fere *Juriſconſultorum* fuiſſe proprium qui ipſo *Caracallâ* Imperante ſcripſerint, aut *filio* ejus fortaſſis *Alexandro*. Ut proinde intelligi non

poſſit idne dederint Principis arrogantiſſimi *auribus*, an hauſerint potiùs è *Legum* ipſarum *Inſcriptionibus*. Nulla ibi mentio legum quas ediderit cum *Pio Marcus*, aut cum *Marco Commodus*, aut cum *Getâ* fratre ipſe *Caracalla*, cum formam, in harum quoque Legum Inſcriptionibus unam fuiſſe & ubique ſibi conſentaneam omnino veriſimile ſit. Sic itaque nulla prorſus Sequelæ eſt neceſſitas, ut qui fuerint, quo *tempore* Leges conderentur, *Auguſti*, iidem fuerint in Legum *Inſcriptionibus* neceſſariò memorandi.

§. 7. Ut tamen fuiſſent; illud etiam in *Romani Imperii* diſciplinâ erat ſatis frequens ut Imperatorum *nomina* illis *Legibus* inſcriberent quæ tamen non fuerint ab ipſis *conceptæ*, ſed nec ex eorum *arbitrio* conſtitutæ. Nec verò ulla erat ratio cur ad illos fieret *Relatio* è quorum *arbitrio* non erant expectanda Reſcripta. *Reſponſa Juriſprudentum*, quò majorem *Juris Antoritatem* haberent, ab *Auguſto* ad *Hadrianum* uſque è Principis *nomine* concepta ſunt, non tamen *Principis*, ſed *Juriſperitorum*, conſilio conſtituenda. Sic & in Imperii diviſione, communi *utriuſque Imperatoris* nomine, tam *Orientalis* quàm *Occidentalis*, Leges inſcriptas legimus, cum tamen *juniori* ſaltem *Imperatori* nulla eſſet poteſtas in *alterius* ditionem. Quin & *pueros* Patribus, in *Auguſteâ* quoque dignitate, *collegas* datos ſæpe legimus, non certè *arbitros* quid foret pro Reipublicæ bono conſtituendum, cum nec propriarum rerum adminiſtrationem, ſine *Tutorum Curatorumque* Autoritate, *ætati* illi Leges *Romanæ* permitterent. Natus eſt *Gratianus Feb.* 16. anni CCCLIX. factus *Auguſtus* anni CCCLXVII. menſis *Auguſti* 24. IX. viz. ætatis anno. Sic & *Valentinianus* II. *Gratiani frater* natus *Januarii* 18. anni CCCLXVII. *Auguſtus* itidem appellatus eſt *Nov.* 22. anni CCCLXXV. eodem quo *Gratianus* ætatis *anno* IX. Ecquis eſt qui credat de *Legibus* illos *ætatulâ* illâ fuiſſe conſultos? Et tamen, pro Imperii majeſtate, temporumque conſuetudine, illorum quoque *nominibus* Leges erant *Romanæ* inſcribendæ.

Digeſt. L. 1. tit. 2. leg. 2.

Philippi

Philippi Cæſaris nomen occurrit in multis ſenioris *Auguſti Philippi* Legibus. Fruſtrà tamen eſſet ſiquis inde colligeret neceſſarium fuiſſe *Philippi pueri* ſuffragium ad *Auguſti Patris* Edicta. Quin & *Diocletiani* Leges plurimas *Cæſarum* nominibus inſcriptas legimus, quos tamen ſcimus ei adeo fuiſſe obnoxios, ut fugatum à *Narſete* Persâ *Galerium Cæſarem* peditem in purpurâ ante currum egerit; ut Fiſci adminiſtrati rationes à *Cæſare* alio ſeniori *Conſtantio Chloro* poſtulârit; ut *Cæſaribus* provincias & matrimonia pro arbitrio diſpoſuerit; ut *filios Cæſarum* paternæ fidei *obſides* in aulâ ſuâ ſemper habuerit. Sic enim *Conſtantinum* Magnum *Conſtantii Chlori* filium *Nicomediæ* obſidem reperit *Galerius* cum purpuram deponeret *Diocletianus*, quem tamen repetiit Pater factus deinde *ſenior Auguſtus*, nec ullo proinde *obſidis* jure *Galerio* obnoxius. Fruſtrà autem quis legem *Diocletiani* in dubium vocaret, ſiquis ita illam memoràſſet *Hiſtoricus* ut *Cæſarum* nullam feciſſet mentionem, quorum nimirum opera adeo fuiſſet in Reſcriptis nulla, adeo minimè omnino neceſſaria.

Sed *Auguſtorum*, ſed Collegarum in *Auguſteâ* dignitate *Fratrum*, aliam putant cauſam Viri Maximi; adeò nimirum *parem* horum fuiſſe poteſtatem ut nihil alius ſine alterius *ſuffragio* agere potuerit, ut neutrum alteri *cedere* oportuerit, ut proinde ad *utroſque* fuerint faciendæ *relationes*, & utriuſque adeo *arbitrio* reſcribendum. Hanc ſi legem putent Majeſtatis *Imperatoriæ*, multùm certè hallucinantur. Sic fieri non potuit ut conſtaret Imperii *concordia*. *Auguſteam* Majeſtatem omnem *legibus ſolutam* fateor, ut proinde, ſiquid *peccàſſet* in *Leges*, etiam *junior Auguſtus*, non potuerit tamen etiam à *ſeniore coerceri*. Habuit etiam *Auguſtus* omnis in vexillis *imagines* tam ab *exercitu* quàm à *Palatinis*, provinciarumque *Præſidibus* adorandas. Habuit & *ignes* qui ſibi præferrentur *ſacros*, quorum meminit *Herodianus*, *lucernas*, ut videtur, illas quas repræſentant Codices *Notitiæ Imperii* ex Editione *Panciroli*. Habuit & *Tribunitiæ* Poteſtatis *ſanctimoniam*, & jus illud fortaſſe *Tribunorum* Senatuſ- §. 8.

Senatuſconſultis, ſi videretur, *intercedendi*. Habuit etiam jus *Proconſulare* quo eſſet à Provinciæ *præſidibus*, quacunque iter faceret honorificè excipiendus, & pro *majori poteſtate* agnoſcendus. Præcipuè tamen in *exercitu* jus ejus erat abſolutiſſimum, quà tamen non pugnaret cum juſſis *ſenioris Auguſti*. Et profectò in rebus ad *univerſi* Imperii *commune* bonum attinentibus multæ erant, & magnæ illæ, *ſenioris Auguſti* Prærogativæ. Vix eſt quin ita fuerit in *pueris Auguſtis* quos modò memoravimus. Habemus tamen præterea aliud, quod propiùs ſpectat, exemplum. *Fratrem Maximianum Herculium* adoptavit *Diocletianus*, pro eodem, ut videtur, Imperii jure quo & *Lucium* Imperii *Auguſtei* ſocium, *Fratris* nomine, adſcivit *Marcus*. Et tamen in communi illâ *Fratrum* appellatione, *majori Fratri* debebatur aliqua, pro *Imperii jure*, reverentia. Et quidem tanta illa ut, in cauſis à *ſeniore Auguſto* conſtitutis, nefas eſſet *juniorem Auguſtum* refragari. Sic certè decretum de *Perſecutione* emiſit *Diocletianus Maximiano Herculio Auguſto* ne *conſulto* quidem. Ita enim de *Maximiano* illo & *Conſtantio* Lactantius: *Eorum* (inquit) *ſententia in tantis rebus expectata non erat.* Sequitur: *Et quidem ſenex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens.* Innuit itaque, etiam *invito*, fuiſſe tamen, pro *Officii* ratione, *parendum*. Eandem Perſecutionem cum *revocaret*, emiſſo in contrarium Edicto, *Conſtantinus Magnus, primi*, ut oſtendimus alibi, *Auguſti* honore ornatus à *Senatu*; *Maximinum* quoque *Orientis* Imperatorem obligabat quod à *primo* fuiſſet *Auguſto* conſtitutum. Inde literæ ejuſdem *Auguſti* ad *Licinium*, ipſum etiam *Auguſtum*, præcipuam quandam Autoritatem vendicantes, cum Edictum illud *Licinius*, pro ſuâ nimirum ditione, revocaret. Et quidem aliud exemplum nullum habemus, à *Divis Fratribus* ad tempora *Diocletiani*, *Fratrum Auguſtorum*, quod poſſit imitari *Diocletianus*. Ne dubitare liceat quin eandem Poteſtatem quam *fratri Lucio* impertiverit *Marcus*, impertiverit *Auguſto Fratri*, ſimiliter Adoptivo, *Maximiano Herculio Diocle-*

Lact. de mort. Perſec. 15.

Prolegom. ad Append. Diſſ. Cyprian.

Diocletianus. Idem & in reliquis à *Diocletiano* proximè *ſuccedentibus* obtinuiſſe Principibus, è *Lactantio* diſcimus, ut *filiorum* loco *Cæſares*, *Fratrum Auguſti* haberentur. Eam enim dat rationem cur *Licinium Auguſtum* nollet nuncupare Galerius: *Sed eum Cæſarem facere noluit, ne* FILIUM *nominaret, ut poſtea in Conſtantii locum nuncuparet Auguſtum atque* FRATREM. Lact. de mort. Perſ. n. 20.

Quod verò ad *Lucium* attinet, de quo impræſentiarùm agimus, non ita illum ſibi *parem* fecit *Marcus*, quin aliqua adhuc debuerit *Lucius obſequia*, ſi minùs *officii*, at ſaltem *reverentiæ*. Sic enim *Lucium* ait *Capitolinus Marco* eſſe *obſequutum, ut* ſolebat *legatus Proconſuli, vel præſes Imperatori.* Nec verò aliena à *modeſtiâ* ſuâ *Lucii* illa *obſequia* credidiſſe *Marcum* è multis colligitur exemplis. *Solus* enim deinde *Marcus* pro *ambobus* ad *milites* eſt locutus, quod pro *imparitatis* argumento habet in locum illum *Capitolini Caſaubonus.* Juris enim *Auguſtei Militum* illa erat allocutio. *Habuit* etiam & *hanc*, eodem teſte Capitolino, *reverentiam Marci Verus ut nomina quæ ſibi delata fuerant cum fratre communicaret.* Poſtea verò obſervat idem *minore* illum *circa fratrem cultu fuiſſe*, quòd *multa ſine fratre diſpoſuerit.* Ecquis eſt quin inde colligat ad *reverentiam* illam *ſeniori Auguſto* debitam illa ſpectaviſſe quæ memorat officia? nec adeo illa *Lucio* fuiſſe à *Marco* præſtanda cui nullam debebat, pro loci jure, *reverentiam?* Certè ſiquam unquam *parem* Poteſtatem *Lucio* communicaverit *Marcus*, fuit illa in *Oriente*, proprià nimirum *Lucii*, cum adversùs *Parthos* proficiſceretur, Provinciâ, atque apud proprias *Lucii legiones*, omnino abſolutiſſima. Nec tamen ita *Lucio* Provinciam illam, illas *legiones*, credidit, quin adhuc ſeſe, etiam in *illis* partibus, interpoſuerit, Poteſtatemque exercuerit *abſolutam* prorſus nec à *Lucii* ſuffragio *precariam.* Præſides certè, Provinciarum etiam, quà *Lucius* agebat, *Orientalium*, ut *Lucium* pro *majori Poteſtate* agnoſcerent, faſceſque adeo ſubmitterent, necdum tamen ab alio, quàm à *Marco*, *miſſos* eſſe conſtat. Inde factum quod ſcribit idem *Capitolinus*, ut

§. 9.

Capitol. Ver. c. 4.

Capitol. ibid.

Ibid. c. 8.

Ibid. c. 9.

ut *cum Libonem quendam patruelem ſuum Marcus legatum in Syriam miſiſſet, inſolentiùs ille ſe quàm verecundus Senator efferret, dicens, ad fratrem ſe ſcripturum eſſe ſiquid forte dubitaret.* Inſolenter illud factum rectè cenſet proculdubiò *Capitolinus*, quòd *præſentem Lucium* ita contempſiſſet. Inde tamen intelligimus, non modò in *Provinciam Lucii* miſſos fuiſſe tamen à *Marco legatos*, ſed miſſos quoque nihil metuiſſe ne à *præſente* quoque *Lucio* officiis exuerentur, *invito Marco*; nec ullam proinde *Lucio* conceſſam fuiſſe à *Marco* poteſtatem quâ poſſet *Marci* conſtitutis adverſari; nec ullas adhuc conſtitutas fuiſſe *relationum formas* quæ *utrumque* Imperatorem neceſſariò includerent, nec proinde *utriuſque* nomine neceſſariò concipienda fuiſſe *Reſcripta*. Aliter fuiſſet, fieri omnino non potuit ut *præſentem Lucium* contemneret, ſi illa quoque ad *Marcum* Relatio *Lucium* ipſum includere debuerit, & *Lucii* nomine concipiendum fuiſſet quod expectabatur à *Marco* Reſcriptum. Plane abſolutiſſimam hæc oſtendunt, etiam in *provinciâ* Lucii, *Marci* poteſtatem; nec talem illam cui jure poſſit *præſens* quoque *Lucius* adverſari. Cæterùm hæc ad *Provinciarum* regimen ſpectant duntaxat *civile*. Eſt tamen etiam quòd ipſas quoque Lucii *legiones Marco* nihilominus obnoxias exiſtimemus. Imo *omnia quæ ad Bellum erant neceſſaria Romæ poſitus & diſpoſuit Marcus & ordinavit*, teſte *Capitolino* Marc. c. 8. Id poſtea ſignificavit ipſe Marcus, in ipſo etiam Senatu, dum *occultè oſtendit omnia bellica conſilia ſua fuiſſe quibus ſuperati ſunt Parthi.* Hæc ille ſolitâ modeſtiâ, nunquam ſcilicet libenter proferens quæ ad fratris honorem violandum minuendumve ſpectarent. Et quidem, cum deſideret ignavus *Antiochiæ Lucius*, vix eſt ſane quòd dubitemus quin præceperit ea ducibus *Marcus* per *literas* quæ ad victoriam contulerint. Fruſtrà autem ea *præcepiſſet* Marcus ſi nulla fuiſſet ei in exercitus Lucii *poteſtas*. Fruſtrà ſibi *conſilia* illa & conſiliorum *eventa* tribuiſſet, ſi aut *precaria* fuiſſent, aut à *ſuffragio Lucii* vim ſuam omnem habuiſſent. Sic habuit obnoxium *Marcus Lucium* in propriâ quoque

Capitolin. Marc. c. 10.

quoque *Lucii* ditione. Quantò magis in *Galliâ* Provinciâ *Occidentali*, quæque, (ſiquam *paritatem* induxiſſet Provinciarum *Orientalis Occidentaliſque* partitio) ad *ditionem* certè ſpectabat *Marci* propriam.

Ego certè Poteſtatem illam Legiſlativam, *Reſcriptorum* nimirum Imperialium ad Provincialium *relationes*, ſic *primi Auguſti*, his præſertim de quibus agimus temporibus, propriam exiſtimo, ut præter illum ſorte *Inſcriptionis* honorem, nihil habuerint præterea in eâ Juris *juniores*, etiam *Auguſti*. *Marco* certè Leges multas, *Lucio* prorſus nullas tribuit Capitolinus. Et tamen omnes *Marci* Leges *Divis Fratribus* inſcriptas legimus in Codice. Sic & *Pio* ſoli Reſcripta omnia in favorem Chriſtianorum edita tribuit *Melito*, cum tamen idem agnoſcat *Marcum* ſolitum illis temporibus *Pio* κατὰ συνήθειαν. Id quod etiam è S. *Juſtini* ſecundâ conſtat Apologiâ, ubi *Philoſophi Cæſaris* cum *Pii Imperatoris* temporibus tempora conjungit *Lucius* Chriſtianus: & è propriâ *Marci* quoque *confeſſione* quâ cum *Fauſtinâ* uxore *dotale* ſeſe *Imperium* accepiſſe profeſſus eſt; & è *numis Inſcriptionibuſque* quæ *Marci* Tribunitias Poteſtates ab anno repetunt CXLVII. & quòd *nunquam ſine* Marco Pium *facilè promoviſſe*, teſtetur *Capitolinus*. Sed nec ullas legimus *Trajani* Leges ſuperſtite *Nervâ* apud *Plinium* in *Panegyrico* qui tamen multas poſtea recenſet; nec *Titi* Imperante Patre *Veſpaſiano*; nec ſub *Auguſto* ullas ſeu *Agrippæ*, ſeu *Tiberii*. Sic tamen de *Tiberio*, *Tito* & *Trajano* ſcribunt Autores quaſi omnis fuiſſet Imperii Majeſtas cum illis communicata. Sed novus erat (inquies) in *Lucio* Imperii Collegâ titulus *Auguſti*, nec ullis proinde ſuperiorum Collegarum exemplis æſtimandus. Et pro novo habent Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores. Ego *novum* facilè agnoſco. Sed non ſolent in *novis* Titulis omnia eſſe jura quæ progreſſu *temporis* accreſcunt. Nec ſane *Legum* è *Lucii* arbitrio conſtitutarum ulla uſpiam, uti dixi, occurrunt exempla. Sed nec *Commodi*, ſuperſtite Patre, qui tamen

§. 10.

Ap. Euſeb. H.E. IV. 26.

Spartian. Æl. Ver. c. 5.

Capitolin. Marc. c. 7.

eodem erat cum Patre loco, quo fuerat & ipſe *Lucius*. Primus, ni fallor, *Auguſti ſecundi* Jura novavit auxitque *Caracalla*, Princeps arrogantiſſimus, & Patri, ſub initium *invito*, Collega datus ab exercitu. *Leges* illius cum *Divo Patre* multæ in Pandectis memorantur à *coævis*, uti dixi, Juriſconſultis; *Orationes* etiam in Senatu quæ *Senatuſconſultorum* loco, pro illius ævi moribus, haberentur. Sed *hominis* potiùs quàm *Auguſti junioris* jure illum hæc feciſſe inde ſuſpicio eſt, quòd *Getæ* fratris nullæ iſtiuſmodi memorentur, uti dixi, *Leges*; nullæ *Orationes*; ni illud potiùs fortaſſe ſuſpicemur, ab æmulo Imperii *fratre* poſtea fuiſſe *ſuppreſſas*. Ego potiùs *nullas* omnino fuiſſe ſuſpicor, quòd non modò in Pandectis, ſed ne quidem in *vitâ* ejus, ullæ memorentur. Eadem erat proculdubiò cauſa *puerorum Auguſtorum*. Nulla itaque eſt ratio cur putemus *Lucii* mentionem in illius Sæculi Legibus fuiſſe neceſſariam.

§. 11. Jus illud, ſiquod illis temporibus fuiſſet, nequa Lex ab *Auguſto ſeniori* condi poſſet ſine conſenſu *junioris Auguſti*, alterutro capite fuiſſe oportuit: Seu quòd *Corpus* quoddam ſeu *Collegium* conſtituerent *Auguſti*; ſeu quòd Poteſtatem haberent *intercedendi* ſinguli Auguſti, ſeu in ſui Corporis *collegis*, ſeu in *alienis* à Collegio. Neutra tamen ratio in hâc, de quâ agimus, causâ locum habet. Erant, fateor, apud *Romanos*, Corpora illa Politica, quæ unos haberent, communeſque, pro *Societatis* jure conſeſſus, in quibus ni adeſſent *Collegæ*, irrita prorſus & invalida geſta haberentur, nec *Corpori* omnino tribuenda. Id genus *Corpus* conſtituebant *Decemviri Legum* conſtituendarum gratiâ conſtituti. Sic & *Triumviri Reipublicæ conſtituendæ*, pari, ut videtur, poteſtate quâ & illi fuerint *Decemviri*. Ita etiam, exuto *Lepido*, Collegæ in *Triumviratu* illo Lepidi *duo* ſoli ſuperſtites. Ita denique in *Coloniis* deducendis *Duumviri*. Satis enim erant, pro nonnullorum Juriſperitorum placitis, etiam *duo* ad *Collegium* repræſentandum. Quis autem *Auguſtorum Duumviratum* legit unquam, aut *Triumviratum*? Quis *conſeſſus* aut *ſuffragia* in communi aliquo Decreto ſtatuendo

ne-

neceſſaria? Quis conſeſſuum *miniſtros* Actorum publicorum exceptores, aut alium quemvis ſuffragii ferendi publicum *apparatum*?

Ergo ad aliam illam ſe recipient Adverſarii Poteſtatem *intercedendi* quâ poſſent *juniores* Auguſti *Tribunitiam Poteſtatem* adepti *ſenioris* Auguſti conſtitutis intercedere? Id quidem certum neminem fuiſſe *Auguſtum* quin fuerit *Tribunitiam Poteſtatem* conſecutus. Illud etiam certum, in liberâ quoque Republicâ, *Tribuni Plebis* jus illud *intercedendi* fuiſſe longe præcipuum. Sed ad *Senatuſconſulta* præcipuè aut *Plebiſcita* ſpectabat jus illud intercedendi *Tribunis* conceſſum. Et rara admodum erant, ſiqua fortaſſe ulla, ſub *Imperatoribus* plebeia *comitia*; rara admodum, quin potiùs nulla, ut exiſtimo, *Plebiſcita*: *Senatuſconſulta* aliqua quidem, ſed non admodum frequentia. Atqui nihil attinebat Poteſtas illa ad *Interceſſionem*, de quâ loquimur, in causâ *Reſcriptorum Imperialium*. Nec enim ad *Plebem*, ſed ne *Senatum* quidem, factas illas conſtat Provincialium *relationes*; nec adeo conſultum de Relationibus *Senatum*, cum non *Senatuſconſulta*, ſed *Reſcripta* duntaxat, ſeu *Edicta*, conderentur. Eodem enim in loco erant *Edicta Imperatorum*, quo & reliquæ Imperii Romani leges *honorariæ*. *Edicta* enim ediderunt *Prætor Urbanus* & *Proconſules* & *Ædiles*, nuſpiam tamen *Senatu* aut *Plebe* in conſilium advocatis. Poteſtatem enim *forenſem* & *juridicam*, præterquam in cauſis *criminalibus*, nec *Plebs* unquam exercuit aut *Senatus*. Jus dixerant antea *Pontifices*, ſic quidem illi *ſoli* ut, ante tempora *Appii Claudii*, non aliis quàm *Pontificibus* Jus illud *innoteſceret*. Proinde cum Jura illa Majeſtatis *Imperatoriæ* Auguſti adſcitis ſibi pleriſque *liberæ Reipublicæ* Magiſtratibus vendicare ſolerent; Jus illud *Reſpondendi* de Jure & ad Relationes *reſcribendi*, pro ſummorum *Pontificum* munere, poterant Auguſti ſibi vendicare. Sed ut commune nihil cum jure *intercedendi* habuerit Jus illud *Pontificium*; Civile tamen erat potiùs quàm *honorarium*, *Affinumque* §. 12.

potiùs quàm *Legum*. Poteſtas autem illa *Edictorum* quæ *Legum* vicem obtinerent, è *Triumvirali* illâ *Poteſtate* orta eſt, ni fallor, *Reip. conſtituendæ*, quæ fuerat primùm communis illi cum *Lepido* atque *Antonio*, tandem deinde, exutis illis, ſolius *Auguſti* propria. Illam enim eandem *Reip. conſtituendæ* poteſtatem per *quinquennia* continuabat ac *decennia* Senatus, unde *decennalium quinquennaliumque* ortum, in *recentioribus* etiam Auguſtis, deducunt Eruditi. Dedit etiam in *Provinciis* illis quæ per Legatos ſuos adminiſtrarentur Jus ipſum *Imperatoris* poteſtatem *reſcribendi* ad *legatos*; in illis autem quæ *Populi Romani* cenſebantur poteſtas *Proconſularis*, qualis *Pompeio*, liberâ adhuc Republicâ, in Bello *Piratico* conceſſa eſt, unde ſumpſit poteſtas illa, etiam in *Auguſtis*, ni fallor, exemplum. Spectabant enim ad *Proconſules* illæ *Populi* Provinciæ, quos quidem *Proconſules* illum qui *Proconſulari* eſſet poteſtate præditus, pro *majori* tamen *poteſtate* oportuit agnoſcere. Hic verò nullam unquam Poteſtatem obtinebant *Interceſſiones* illæ *Tribunitiæ*. Quid quòd etiam *Tribunitiam* illam *Poteſtatem* haberent non modò *juniores Auguſti*, ſed inferiori quoque dignitate *Cæſares*, quos tamen nemo putat *ſenioris Auguſti* juſſis potuiſſe *intercedere*. Illam habuit *Ælius Cæſar* ſub *Hadriano*, quem tamen habent Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores pro primo *Cæſareæ* dignitatis *inferioris* exemplo. Majores enim erant ſub eodem quoque *Cæſarum* titulo *Titus*, & ſuperſtite *Nervâ Trajanus*. Quare locum in *ſupremâ Auguſti* conſtitutis nullum habuit *Interceſſio*. Nec ſane aliter ſalva fuiſſet Imperii *concordia* ſi par fuiſſet in *Reſcriptorum* Poteſtate cum *Marco* Patre *Commodus*, aut cum *Severo Caracalla*, effræniſſimæ libidinis Principes, & de Parricidio ſuſpecti. Adeo nimirum illi graviter *Paterni* quoque Imperii fræna ferebant. Nec adeo libenter *æmulos* Auguſtos *primi* conſtituiſſent *Auguſti*, ſiquam *Juris* paritatem *Tituli* illa paritas indicâſſet, ſi minùs deinde liberè Imperii habenas licuiſſet adminiſtrare. Fuiſſet certè adminiſtratio difficilior cum non ſinguli ſuas, ut

ut poſtea, Provincias, ſed Imperium Romanum univerſum omnes in communi regerent. Non aliorum tamen quàm *primorum Auguſtorum* arbitrio conditas fuiſſe *Leges* quæ *plurium Auguſtorum* nominibus inſcribuntur, vel inde colligimus, quòd ubi *locos*, in quibus Leges ederentur, deſignat *Codex*, non alios deſignet illos quàm ubi *primus* adeſſet *Auguſtus*. Et *primis* duntaxat *Auguſtis* Leges tribuunt, ut dixi, Hiſtoriæ Auguſtæ Autores, nec ullas memorant eorum Leges qui *primis* deceſſiſſent Auguſtis etiamnum *ſuperſtitibus*. Nullas proinde *Lucii* qui *Marcum* poſt ſe reliquit etiamnum ſuperſtitem. Aliæ ſunt omnino, quàm de quibus agimus, Leges *Caracallæ* quas *Divo Patre* ſuperſtite ab eo tamen ſolo latas memorant coævi *Caracallæ* Juriſconſulti. *Orationis* quidem mentionem habemus, quæ quia *Senatûs* ſuffragio comprobata eſt, propterea in *Senatuſconſultum* migrabat, eoque nomine à Juriſconſultis inſignitur. *Reſcripta* ejus *ſolius* nulla legimus, quale eſt, de quo agimus, illud *Marci*. Pandect. XXIV. 1. 32.

Sed verò alio in cenſu ponendum eſt hoc etiam *Marci*, in causâ *Attali* Reſcriptum, quàm alia illa quæ leguntur in Codice *plurium Auguſtorum* nominibus inſignita. Nec enim novam *Legem* tulit hac in causâ *Marcus*, ſed *ſententiam* duntaxat in causâ *Appellationis*. Licuit nimirum *civibus Romanis*, quoties eo ſupplicio puniendi eſſent quod *Civitatem adimeret*, inferretque *capitis deminutionem*, à *Præſidibus* ad ipſos provocare *Imperatores*. Et, pendente *Appellatione*, adhuc *civem* illum habebant *Juriſconſulti*, dum ſententiam *Præſidis Reſcripto* ſuo confirmâſſet *Imperator*. §. 13. *Ulpian.* Pandect. XXVIII. 3. 6.

Porro *civitate* multari cenſebantur qui *pœnam gladii* erant ſubituri, aut aliam *quamvis* quæ *vitam adimeret*. Hâc itaque factâ *Appellatione*, de *Facto* erat potiùs quàm de *Jure* Quæſtio, non illa nimirum, An crimini *pœna* deberetur jam *notis* Legum conſtitutis aſſignata? ſed illa potiùs, Ecquid eſſet in *hujus* civis *facto* ſingulare cur eſſet Legis ſeveritas, in hac ſaltem, ſimilibuſque cauſis, ab *Imperatore* mollienda. Ita obiter intelligimus cur, non *Gaius* Pandect. XXVIII. 1. 8. *Ulpian.* lib. 3. 6.

obſtante

obſtante hoc Reſcripto, *Marcum* tamen *Perſecutorum* Cata-
Dilcpp. XI. logis excludant illorum temporum Chriſtiani, non utique illum excluſuri, ſi quid novum ſtatuiſſet in *Jure*, ut alibi oſtendimus. *Cognitio* itaque potiùs quàm *Edictum* illud erat *Marci Reſcriptum*. Nempe *Imperiales ſententias in cognitionibus prolatas* ſex Libris collegerat *Paulus* Juriſconſultus qui floruit ſub *Caracallâ* quorum ſatis frequentem habemus in *Pandectis* mentionem. Illi ſi extarent, haberemus etiam hanc fortaſſe, de quâ agimus, ſententiam *Marci*. Ut enim non fuerint *Leges* propriè ſic dictæ, *vim* tamen *Legum* in *ſimilibus* cauſis obtinebant etiam illæ ſententiæ per *Juriſconſultorum* prudentiam applicandæ. Vim enim habebant *Ordinariorum* quoque Judicum *interlocutiones*, majorem *Decreta*, ut è Pandectis diſcimus, quò minùs ſit quòd miremur ſi vim etiam adhuc majorem obtinuerint *ſententiæ ſimiles Imperatorum*. Nobis interim ſufficit impræſentiarùm aliâ in claſſe reponendum eſſe *Marci* hoc de *Facto* Reſcriptum quàm ſint reponenda frequentiora illa de *Jure* Reſcripta quæ *Auguſti utriuſque* nominibus inſignita legimus in *Codice*.

§. 14. Nec ſanè alia fuiſſe videtur cauſa hæc, de quâ agimus, *Attali*. *Romanum* enim *civem* fuiſſe ſatis manifeſtò indicant Epiſtolæ Scriptores *Lugdunenſes* atque *Vienneuſes*. Sunt enim illa eorundem verba: Μαθὼν ὁ ἡγεμὼν ὅτι ΡΩΜΑΙΟΣ ἦν ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀναληφθῆναι μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν ὁ τῇ αὐτῇ ὥρᾳ ἐκεῖ ὢν ἐπιτηδεῖα τῇ Κοινότητι, καὶ φιλανθρωπίαν τὴν ἀπόφασιν τὴν ἀπ' ἐκείνου. Eandemque fuiſſe cauſam & reliquorum Attali *ſociorum* pœna poſt acceptum *Cæſaris* Reſcriptum conſecuta demonſtrat. Sic enim ſequitur: Καὶ ὅσοι μὲ ἐδόκουν πολίτας ΡΩΜΑΙΩΝ ἰσχυείν, τύποις ἀπέτεμνε τὰς κεφαλὰς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἔπεμπεν εἰς φυλακήν. *Provocaverat* itaque cum ſociis *Attalus* ad *Imperatorem*; *retulerat* de provocatione *Præſes Galliarum*, expectavitque Imperatoris non *legem*, ſed

ſed ἀνίφανον, *ſententiam* nimirum non de *Jure*, ſed de *pœnâ* civium *Romanorum*, & quidem de pœnâ *illâ* quæ, ut *civitatem* demeret, non erat tamen aliorum quàm qui Cives *antea* fuiſſent. Talis erat profectò ἀποτυμπανισμὸς ille quo cæſi primùm à lictoribus tandem ſecuri feriebantur. Sic enim ἀποτυμπανισθῶν capita abſciſſa conſtat è ſequentibus. Alia certè erat *pœna* illa à pœnâ eorum qui Civitatis *nullum Jus* habebant. Non eſt itaque quòd dubitemus quin ad cauſam *Appellantium* pertinuerit illud *Marci* Reſcriptum, nec adeo *Edictum* fuiſſe, ſed *ſententiam* potiùs in *cognitione* prolatam.

Non erat autem *unius Civis* pœna tanti, ut de eâ ad §. 15.
utrumque Imperatorem eſſet facienda *Relatio*, aut utriuſque communi nomine concipiendum *Reſcriptum*. Siquid ſanè *ſinguli* potuerint *Auguſti* conſtituere; ſiquid *ſenior* præſertim, & in ſuâ quoque quâ agebat ditione, *Auguſtus*; non eſt profectò quod dubitemus id potuiſſe, etiam *ſolum*, in hâc de quâ agimus causâ, *Marcum*. Et quidem hujuſmodi *ſententiæ in cognitione prolatæ* exemplum habemus, in hoc ipſo etiam *Imperatore*, & hoc ipſo etiam *anno* quo videtur rediiſſe ex Oriente Lucius, *Pudente* & *Pollione Coſſ.* an nimirum CLXVI. *Cognitio* appellatur *Principis*, ne è *Paulo* illam dubitemus acceptam. Et tamen *ſolus* ibi loquitur *Antoninus Auguſtus*, non alius ille proculdubiò quàm *Marcus*. *Antonini* enim nomen ab *Auguſteo* demùm *Imperio* accepit *Marcus*, *Lucium* inde *Verum* appellavit, teſte *Capitolino*, cui ſuffragantur illorum temporum numi Inſcriptioneſque. *Solus* item cauſam dirimit in *Secretario*, auditis antea Juriſprudentum ſententiis. *Capitales* enim *cauſas hominum honeſtiorum ipſe cognovit*, teſte *Capitolino*, cap. 24. Quidni itaque, pro eodem etiam exemplo, cauſam Attali *ſolus* ipſe cognoverit atq; diremerit? Sic nulla prorſus fuiſſet occaſio cur *Lucii* mentio, ſeu in *Relatione*, ſeu etiam in *Reſcripto* fieret. Sed incertum eſt (inquies) quo anni *tempore* Cognitio illa contigerit. Adeoque illud etiam incertum eſt, num poſt *reditum* ex Oriente *Lucii*. Hinc tamen illud ſaltem

Dig. XXVIII. 4. 3.

Capitol. *Marc.* c. 7. Idem in *Ver.* c. 4.

ſaltem facilè colligimus, nondum in Cognitionum *formis* receptam eſſe *Auguſti utriuſque* Inſcriptionem. Illa enim quando *recepta* eſt, perinde erat, ut oſtendimus, ſeu *adeſſet*, ſeu *abeſſet*, cujus *nomen* inſcribebatur, *Auguſtus*. Fruſtrà itaque opponunt *Lucii*, in Oriente, *moram*. Sed rebus *verè geſtis* nituntur illæ, de quibus agimus, *Cognitionum* formæ. Proinde nullam prorsùs in *Lege* vim habebunt ſiqua Principem *dixiſſe* geſta confinxiſſent quæ non fuerit tamen *verè* locutus. Fruſtrà itaque ad *utrumque* Principem *Relatio* facienda erat, ni utrumque *rebus geſtis* adeſſe oportuerit. Fruſtrà item illius Principis *nomen* expectatur in *Reſcripto* qui *geſtis* tamen ipſe non interfuiſſet. Atqui nulla *Lucium* conſtringebat obligatio ut cognitioni *adeſſet*, nec ulla *Marcum* quo minùs (*Lucio* etiam *abſente*) cauſam *Attali ſociorumque* judicaret, quod exemplo modò prolato didicimus. Quàm itaque facilè poterat *abeſſe* à *Cognitione* illâ *Lucius* Princeps à *labore* alieniſſimus; tam etiam *facilè* contingere potuit (quod tamen putant Adverſarii *difficile*) ut reverſi quoque agentiſque in *Occidente*, ut non in *relatione*, ſic ne quidem in *Reſcripto*, mentio compareret. Quin potiùs *Lucium* cognitionibus illis rarò intereſſe ſolitum teſtatur apertè *Capitolinus*. *Marcum* enim ait in *villâ* Lucii *reſidentem, cognitionibus continuis operam dediſſe, aut convivante fratre, aut convivia comparante.* Hoc ipſo *loco*, cauſam *Attali*, atque *tempore*, quidni dicamus à *Marco* cognitam? Sic nihil utique reſtabit in contrario Argumento difficile.

Capitolin. Ver. c. 2.

§. 16. Scripſit porro ſub *Eleuthero Hegeſippus*. Sic tamen ille de *Hadriani* temporibus loquitur quaſi quæ ſub finem *Hadriani* geſta eſſent, ea eſſent geſta nuperrimè. *Antinoum Hadrianus* in Divorum numerum retulerat. Propterea ait *Hegeſippus* morem illum conſecrandi homines ad *ſua* uſque tempora duràſſe, μέχρι νῦν (ſunt enim illa *Hegeſippi* verba) & de agone in honorem *Antinoi* ita, ἃ ἡ ἀγὼν Ἀντίνου ἄγεται, ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γυμνικὸς.

Ap. Euſeb. H. E. IV. 11, 12.

Ibid. IV. 1.

A

A fine itaque *Hadriani* non magno intervallo abfuit initium *Eleutheri*, ut proinde à *Marci* ſaltem *initio* non ſit nimis removendum.

§. 17. Scripſit præterea ſub *Eleuthero* L. III. *Irenæus* Operis adversùs *Hæreſes*. In quo tamen opere *Theodotionis* meminit qui Scripturas interpretatus eſt, ediditque ſub *Commodo* ſi *Epiphanium* audiamus. Sic *Commodi* tempora attigerit *Eleutherus*. Immo VI. *Commodi* annum quo primùm prodiiſſe *Theodotionem* tradit Autor Chronici *Alexandrini*. Sed Libros illos *recenſuiſſe* mihi videtur *Irenæus*, & nova quædam inſeruiſſe quæ à primâ eorundem Editione aberant. Cur ita ſentiam rationes opportuniùs alibi ad ipſum proferam *Irenæum*.

§. 18. Hucuſque Chronologiam Pontificum deduxit, ni fallor, *Hegeſippus*. Scripſit enim ſub *Eleuthero*. Quare ut *Soteris* finem tradidit; ſic certè illius, ſub quo ſcripſit, *Eleutheri* finem in eo Libro tradere non potuit. Quòd ergo *Eleuthero* annos duntaxat XV. omnes tribuant, fieri poteſt ut propterea contigerit, non quòd XV. demùm anno deceſſerit *Eleutherus*, ſed quòd Catalogum illo *anno* terminârit *Hegeſippus*. Inde potuit emanare tanta illa, quantam hodie videmus, Chronologiæ *Pontificiæ* mutilatio. Dum enim ultimum illum, quo ſcripſit *Hegeſippus*, annum *Eleutheri* verè ultimum *Eleutheri* numerarent recentiores *Hegeſippi* Continuatores; ſatis inde proclive erat, ut annos quibus, poſt Catalogum *Hegeſippi*, ſedem tenuit *Eleutherus*, ſilentio prætermitterent. Sic certè annum *Neronis X.* Apoſtolorum Martyriis inſignem *Neronis ultimum* numerabat vetuſtiſſimus *Tertulliani* Chronologus, quòd eo *anno* ſupputationem ſuam terminârit vetuſtior aliquis cui fuerat conſilium ut Chronologiam ad Apoſtolorum *Martyria* deduceret. Nec ſane eſt quòd miremur tantam negligentiam in Scriptorum genere alioqui negligentiſſimo, nempe Chronologorum veterum. Cum præſertim tot ſuppetant aliunde negligentiæ, ut vidimus, ſpecimina in his, de quibus agimus, Autoribus Catalogorum *Pontificalium*. Certè in

Eleutheri Victoriſve temporibus mutilationem aliquam omnino ſuſpicor. Potiùs tamen eò propendeo ut credam in *Victoris* temporibus illam, quàm *Eleutheri*, contigiſſe. Propiùs enim ad *initium Eleutheri* Libros ſuos edidiſſe videtur *Hegeſippus*. Nec eſt fortaſſe veriſimile Catalogum ſub *Aniceto*, tot deinde annis poſt obitum *Aniceti*, poſt obitum etiam *Soteris*, eſſe differendum.

§. 19. Eſt & aliud Chronologiæ *Pontificiæ* ſpatium à fine *Eleutheri* ad *Pontianum*. Ab *Urbani* enim fine proximi nimirum *Pontiani* deceſſoris, novas quaſdam in ipſo Pontificali notas, manuſque alienæ veſtigia, ipſe deprehendit *Heinſchenius*. Proinde alium *Pontificalis* ad *Pontianum* Autorem, & à ſequentium Pontificum concinnatore diverſum quærendum cenſuit. Hunc ille ipſum *Pontianum*, Ego potiùs coævum Pontiano *Hippolytum*, eademque Perſecutione *Martyrem* fuiſſe exiſtimo, nempe Diſcipulum *Irenæi*, teſtemque adeo & ipſum, pro illo ſaltem intervallo, omni prorſus exceptione majorem. Certè collectum *Hippolyto* Romanorum *Pontificum* fuiſſe Catalogum ex Anonymo illo facilè ſuſpicamur qui ſub finem *Alexandri Severi* ſcripſiſſe videtur. Scripſit ille paucis annis poſt *Hippolytum* qui ipſe primo ejuſdem *Alexandri* anno Cyclum ſuum inchoavit. Et multa habet quæ cum hypotheſibus *Hippolyti* Chronologicis in Canone ejuſdem Paſchali obſervatis conſentire videantur, quæque adeo illi Anonymum illum debuiſſe fas eſt ut ſuſpicemur. Sic certè ubi Cyclos ſuos imaginarios in *Tabulas Canoneſque* redigerent; annoſque ſingulos, prout res ferebat, notis etiam *Hiſtoricis* explerent, ſuum fuiſſe Pontificibus in id genus *Canonibus* locum, è *Proſpero* Labbæi colligimus. Sic enim ille Chronologiam *Chriſtianam* per Cyclos LXXXIV. annorum arceſſit, & in illis Cyclis, non *Imperatorum* duntaxat Romanorum, ſed & *Pontificum*, tempora ſignavit. Quod cum, pro Antiquiorum exemplo illum feciſſe veriſimile ſit; Quidni idem in ſui etiam Cycli Canonibus ab *Hippolyto* obſervatum dubitemus? Præſertim

tim in fuſiori illo Opere cujus memoriam conſervavit Catalogus Operum ejus in ejuſdem monumento repertus, cui titulus fuerat Ἀπόδειξις χρόνων & Πάσχα. Id ſane obſervâſſe ſeu *Hippolytum* ipſum, ſeu coævum aliquem Hippolyto Autorem, (quod eódem redit) ex eodem ejus ſuprà memorato *lemmate* colligimus, *Nomina Epiſcoporum Romæ, & quis quot annis præfuit.* Autor ille, quicunque tandem fuerit, quem ſecutus fuerat Anonymus, in illam certè, quam dixi, metam, deſinentis *Urbani*, ſeu *Pontiani* ineuntis, incidet accuratiſſimé. Periit tamen *Caput* ipſum quo hoc *lemma* ille proſecutus fuerat Anonymus. Intelligimus tamen ut innotuerint *Euſebio* horum Pontificum tempora à *Græcis* nimirum, quanquam in Occidente, *Hegeſippo* & *Hippolyto* Scriptoribus conſignata.

§. 20. Sed unde (inquies) habebimus, de hujus intervalli Pontificibus quid ſenſerit *Hippolytus?* Nimirum è *Syncello* qui inter alios quos ſecutus eſt in universâ Chronographiâ ſuâ Autores illum ipſum recenſet *Hippolytum*, eo nimirum Traditionis, ut videtur, ordine ut *Hippolytum* excripſerit *Anianus* Monachus *Alexandrinus*, *Anianum Maximus* Confeſſor, *omnes* ipſe *Syncellus.* Quos quidem Autores non eo duntaxat conſilio recenſuit *Syncellus* quaſi ex eorum *Scriptis* ſolorum ſua collegiſſet. Debebat enim multa *Africano*, debebat *Euſebio*, debebat *Panodoro*; illos tamen refellit aliquoties, diverſamque ab illis ſententiam ipſe ſequitur. Hos autem Autores, *Hippolytum*, inquam, *Anianum*, & *Maximum*, quà ipſi invicem idem ſentiebant, nuſpiam certè manifeſtò refellit. Inde colligimus, ſiquem repererit apud *Hippolytum* Pontificum Catalogum, illum proculdubiò ſecuturum fuiſſe *Syncellum*, nec proinde alium ab *Hippolyto* quærendum eſſe *Syncelliani* Catalogi Autorem. Non illum temerè à *Syncello*, & pro arbitratu fuiſſe confictum, (etiam quà diſcrepat ab *Euſebio*,) vel illud arguit, quòd ſpatia temporum interpoſita impleat, & cum Patriarchâ *Nicephoro* fuerit communis. Communem enim fecerat ſuis *Conſtantinopolitanis* Chronologiam quam dedit, celeberri- *Syncell p. 315.*

mum illud *Confeſſoris Maximi* vel nomen, ut proinde ex iiſdem fontibus ſua hauſiſſe videantur *Nicephorus* atque *Syncellus*. Nec verò alium habemus quem ſequi potuerint, in hoc *Catalogo*, Autorem excepto illo, quem diximus, *Hippolyto*. Longe illum ab *Euſebiano* eſſe diverſum ſatis conſtat. Sed nec eundem cum primo illo *Bucheriano*, ſecundove illo alio quem primus edidit *Heinſchenius*, nec cum *Pontificali* vulgari interpolato, (quod quidem attinet ad eorum diſpoſitionem in Faſtis *Conſularibus*) qui quidem ex eâdem profluxerunt omnes origine. *Eutychius* quam rationem fuerit, in hoc poſteriori intervallo, ſecutus non conſtat, adeo pugnant invicem numeri *Pontificum Imperatorumque* ab illo commiſſi. Sed ea, quæcunque tandem fuerit, à noſtrâ illâ *Syncelli* veriſimile eſt fuiſſe diverſiſſimam. *Hippolytum* autem non recentiorem *Thebanum*, ſed antiquiſſimum genuinumque *Portuenſem* vidit conſervavitque, qui ſub *Theodoſio* floruit, *Anianus*.

§. 21. Cur verò numeros corruperit *Euſebius* cauſam jam è prædictis manifeſtam exiſtimo. Numeros nimirum ille primis *Pontificibus* (quos tamen illi *conjecturales* fuiſſe, non *Hiſtoricos*, oſtendimus) laxiſſimos attribuit. Id nimirum illi neceſſarium fortaſſe viſum eſt ut *Clementis* obitum ad tertium uſque *Trajani* deduceret, quo primam credidit *Trajani*, poſt mortem S. *Joannis* concitatam Perſecutionem. Nec enim aliter fieri commodè potuiſſe ut *Martyrio* deceſſerit *Clemens* noſter quem ille cum *Clemente Conſule* verè *Martyre* confuderit. Laxata autem Pontificum *primorum*, plus quàm oportuit, initia *recentiorum* Pontificum tempora plus item, quàm oportuit, contrahenda poſtulabant. Ita factum ut X. annos *Teleſphoro* duntaxat aſſignârit in *Cavone*, cui tamen annos XI. attributos in *Hegeſippo* repererat. Inde factum ut in poſtremorum Pontificum temporibus numeri ejus de brevitate ſuſpecti ſint. Vidimus autem quàm facile fuerit ut *Euſebii* etiam errores ad *Latinorum* etiam Catalogorum primos concinnatores emanârint. Jam enim oſtendimus quàm illi imperitè variarum Hypotheſeum numeros

numeros permiſcuerint atque confuderint, interque reliquos illos, quos dixi meritò de brevitate nimiâ ſuſpectos, *Euſebianos*. Vidimus porro quàm illi in *Hygini*, *Pii* atque *Aniceti* præſertim temporibus, & *ſecum* invicem & cum *Hiſtoriæ* veritate depugnent: ut Pontificis unius tempora alienis temporibus inferciant; ut numeros tradant à Faſtorum *Conſularium* intervallis diſſentientiſſimos. Vidimus tantâ illis fide dignum viſum *Euſebium* ut ad illius calculos ſuos calculos exigant etiam alioqui diſcrepantiſſimos. Sic enim *Clementis* obitum *tertio* tribuit *Trajani* anno Autor Catalogi ſecundi *Heinſcheniani* omnium forte antiquiſſimus, cum tamen aliis quàm illius anni *Coſſ.* ipſum deceſſiſſe tradidiſſet. Adeo nimirum pronus erat Autor ille ad *errores* ex *Euſebio* hauriendos, adeo proinde ſuſpectus habendus de ultimorum Pontificum nimiâ contractione. Sic tamen habet veſtigia veritatis. Si enim calculos ejus veros ſic impleas ut ſuperiùs implendos oſtendimus, ut nec locum facias *Cleto* ſuppoſititio, nec hiatus relinquas, ſed medium omne ſpatium à *Geminorum* primo quo Conſulatu Pontificatum inchoavit S. *Petri* ad Conſulatum *Decii* & *Grati* quo Pontificatum terminavit *Fabiani*; vix erit ſàne cur dubitemus quin ita numeros *Hegeſippi* & *Hippolyti* conceperint Catalogi vere *Liberiani*, *Optato* nimirum atque *Auguſtino* coævi. Ut enim certum eſt nullum illis fuiſſe *Cletum* ſuppoſititium, ſic etiam nullos in rationibus hiatus fuiſſe veriſimile eſt. Poterant tamen & illi numeris ſuis ad *Clementis* finem, nec *Hiſtoricis*, nec verè, ut videtur, *Hippolyteis*, primos *Hippolyti* numeros ad inferiora detrudere; ab initio tamen *Zephyrini* reſpondent, ut exiſtimo, accuratiſſimè veris *Hiſtoriæ* rationibus, ut proinde nihil videam quo minùs rectè etiam *Imperatorum* annis reſpondeant, & *Coſſ.* adeo quibus illos alligaverat *Hippolytus*. Eſt etiam & illa ratio cur numeros *Syncelli* & *Nicephori* propiores *Hippolyteis* exiſtimem, quòd nulli conjecturæ de initio S. *Petri*, quæ erant plerunque errorum occaſiones, videantur aptati.

CAP.

CAP. XV.

Succeſſio reliqua à Victore *ad* Fabianum.

§. 1. *Tenuit* Victor *annis, ut videtur*, XVIII. *Numeri ejus, etiam apud* Veteres, *corruptiſſimi, nec invicem* congrui. §. 2. *Ante* Victoris *finem ſublatus eſt* Thraſeas *Martyr, ſub finem tamen* Commodi *paſſus.* §. 3. *Conveniunt noſtris rationibus tempora* Palmæ, Bachylli, Irenæi. §. 4. *Scripſit* Clemens Alexandrinus *poſt mortem* Commodi, *ante finem* Victoris. §. 5. Concilia *quorum meminit* Tertullianus *tempora certa deſignant* nulla, *nedum tempora* Victoris. §. 6. *Diſpoſitionis* Victoris *veræ veſtigia ex* Autoribus. §. 7. *Tenuit* Zephyrinus *poſt An.* CCIV. §. 8. *Etiam poſt* initium Caracallæ, *annumque, ut videtur* CCXII. §. 9. *Non certè ad* finem Caracallæ. *Catalogus* Hæreticorum *ad finem Lib. de* Præſcr. *ſeu* Tertulliani *ipſius eſt, ſeu* coævi *Tertulliano Autoris.* §. 10. Praxeas *ſub* Zephyrino *ortus. Sub* Zephyrini Succeſſore *ſcripſit* Tertullianus. §. 11. Tertullianus *ipſe mortuus ſub* Caracallâ. §. 12. *Nihil occurrit in Operibus* Tertulliani *unde colligi poſſit* ſuperſtitem *fuiſſe*

fuiſſe Caracallæ. §. 13. *De* Calliſto, Urbano, Pontiano, &c.

SEquitur jam tempus *Victoris* omnium nempe difficillimum. X. illius duntaxat annos agnoſcit, uti vidimus, *Euſebius*, & qui illum ſequuntur omnes, quibus etiam accenſendus eſt *Eutychius*, omiſſis nimirum annis denarium numerum ſuperantibus quos quidem excluſit recentius illud, uti dixi, *Euſebianæ* ſupputationis initium. Sed magni ſunt, nec facilè ſpernendi, teſtes qui numerum agnoſcunt denario auctiorem. XII. tribuunt *Nicephorus* & *Syncellus*: XII. etiam *Latinorum* Catalogorum antiquiſſimæ ſinceriſſimæque *rationes*, quas ſuprà repræſentavimus, non *Cleto* modò ſuppoſititio, verumetiam lacunis hiatibuſque vacuas, quales nimirum *Optato Auguſtinoque* fuiſſe veriſimillimum eſt. Quin & in ipſo quoque *Euſebio* apparent hujus numeri veſtigia. Nec enim aliâ de causâ *biennium* in *Hiſtoriâ* detraxit *Eleuthero*, quàm quòd viderit idem illud biennium *Victori* eſſe tribuendum. Alium certè neminem habemus teſtem originarium qui pauciores XV. annis *Eleutheri* numerârit, non *Eutychium*, non *Nicephorum* aut *Syncellum*, non Catalogorum *Latinorum* numeros, ſeu Faſtorum *Conſularium* intervalla, nedum *emendatas* illas quas dixi Catalogorum *rationes*. Vidit itaque *Euſebius*, quanquam X. *Victoris* annos duntaxat admitterent *Canonis Chronici* ſpatia, XII. tamen fuiſſe, pro illorum, quos ſecutus eſt, *Autorum* ſententiâ, concedendos. Nec aliunde XII. *Victoris* annos hauſit *Proſper* quàm ex *Euſebianis*, quos ob oculos habuerit, Autoribus. Non eſt itaque, hoc in loco, audiendus *Euſebius* qui ſuas duntaxat *conjecturas* Poſteris, è vitiosâ *Canonis* diſpoſitione natas, obtruſitpro vetuſtiorum Autorum Teſtimoniis. XV. *Victoris* annos tradunt cum tribus etiam *menſibus* Catalogi ambo *Mabillonii*, nec ipſi quoque propterea ſpernendi quòd accuratè invicem conſentiant. Numeri veri hîc mihi videor

§. 1.

videor *veſtigia* deprehendere. Per errorem illi numerum XVIII. (qui verè fuerat *Victoris*) ita diſpertiti ſunt, ut XV. annos, III. menſes numerârint. Fefellitque eos qui XII. attribuerent, notarum fortè numeralium ſimilitudo. Notæ illæ erant fortaſſe ιε', quas illi pro ιβ' acceperint, cum eſſent potiùs pro ιε' accipiendæ. Errore certè non abſimili eaſdem notas in *Anacleto* ιε' legit *Syncellus*, cum tamen ιβ' illum viceverſâ legere oportuerit. Sed *laxior* erat ille numerus quàm ut illum admitterent rationes Primorum Pontificum, quas *Conjecturales* oſtendimus. Spatium XII. annorum duntaxat admittebant qui annos S. *Petri* à XV. *Tiberii* numerabant, ut ex emendatis conſtat Catalogorum rationibus. X. ſolos admittebant quæ à II. *Claudii* idem illud initium arceſſebant, rationes *Euſebianæ*. Videmus itaque ex diſſenſu quàm non accuratè Veteres, quos habemus, vetuſtiorum Teſtimonia tradiderint. Videmus iterum è numerorum *Conjecturalium* hypotheſibus, eſſe meritò quòd ſuſpicemur vetuſtiſſimorum Autorum numeros genuinos, hoc ſaltem in loco, etiam eſſe corruptos.

§ 2. Sed verò Nos maximè omnium movent Argumenta *Hiſtorica*, quibus & finem *Eleutheri* anno Ær. *vulg.* CLXXVII. aſſeruimus, & finem *Victoris* atque adeo initium *Zephyrini* anno CXCV. aſſeremus. Sic enim fiet, ut ni aliquot annorum *Interpontificium* intereeſſerit, numerus ille, quem diximus, *Victori* fuerit aſſignandus. *Thraſeæ* Epiſcopi & Martyris, qui *Smyrnæ* obdormiverit quique adeo jam fuerat *Martyrio* defunctus, meminit ſuâ ad *Victorem* Epiſtolâ *Polycrates*. Nec certè diu ante mortem ipſius *Victoris* quæ Diſputationem illam, jam ferventem cum ſcriberet *Polycrates*, finierit, ſcripta illa ab *Aſianis* videtur Epiſtola. *Thraſeam* autem illum eundem, τῆς ἐν Μαρτύρων, ſuo adverſùs *Montaniſtas* Opere memorat *Apollonius*. Scripſit hæc *Apollonius* XL. circiter à primo *Montani* ortu anno, ſuperſtite etiamnum, ut rectè obſer-

Ap. *Euſeb.* H. E. V. 24.

Ibid. V. 18.

obſervavit *Valeſius*, non ipſo modò *Montano*, ſed & Prophetiſſarum alterâ, *Maximillâ*. Annus ille XL. aut fine anni CXCVI. aut initio CXCVII. numerandus eſt. Quare illo quoque tempore recens erat memoria *Thraſeæ*, nec proinde diu antea ſcribere potuit *Polycrates*. Convenit porro *intervallum*. Nullos enim meminit primos *Montani* ſocios, *Theodotum* & *Alcibiadem*, quorum causâ ſcriptæ ſunt *Lugdunenſium Viennenſiumq;* literæ ad *Eleutherum*. Sed *Alexandrum* memorat quem gloriabantur è ſuâ Sectâ Martyrem fuiſſe *Montaniſtæ*, ſed *Prophetidem* alteram, quos nullos perſtrinxerat *Lugdunenſium Viennenſiumque* Epiſtola. Et quidem ſupremis *Commodi* temporibus ortas illas Perſecutiones exiſtimo, quibus & perierit *Thraſeas Eumeniæ* Epiſcopus, & *Eumeniæ* oriundi *Caius* & *Alexander*, & è ſuâ Sectâ illi quos *Martyres* venditabant *Montaniſtæ*. *Judæorum* enim, non *Romanorum*, illæ erant Perſecutiones. Ita enim probant Catholici è *Montaniſtis* nullos fuiſſe *Martyres*, quòd nemo illorum pro Chriſti nomine prehenſus in *crucem* actus eſſet, nec ulla mulier in *Judæorum* Synagogis aut flagris cæſa, aut lapidibus impetita. Pœnæ ipſæ *crucifixionis*, *flagellationis* in *Synagogis*, *lapidationiſque Judæos* arguunt Perſecutores, & quidem *Populi* furentis impetus quàm *Romanorum* Magiſtratuum Edicta. Ita nimirum *Aſterius Urbanus*. Contrà, Catholici *Alexandrum* Montaniſtam non *Martyrio* confectum inde probant, quòd non à *Judæis*, ut *Martyres*, ſed ab *Æmilio Frontino* Romano *Aſiæ* Proconſule, fuiſſet judicatus. Ita prædictus *Apollonius*. Atqui fracta eſt à *Severo* nimia illa *Judæorum* licentia, quos etiam eodem ille quo & *Chriſtianos* Edicto Perſecutionis incluſit. Rectiùs itaque *Commodi* temporibus hæc quàm *Severi* tribuenda ſunt, quæ tamen longè à *Commodi fine* abeſſe non potuerint.

Ap. *Euſeb.* H. E. V. 16.

Ibid. c. 18.

Conveniunt ſatis aptè huic tempori quos quidem conſtat è *Paſchali* Controverſiâ *Victori* fuiſſe coævos. Præſidebat tunc Eccleſiæ *Hieroſolymitanæ Narciſſus*, qui poſt *Severi* Perſecutionem anno CCII. concitatam ſuffecit

§. 3.

etiamnum ſuperſtes *Alexandrum*, ſed annos natus CXVI. Sic etiam vivida ejus ſenectus in ea quæ dixi *Victoris* tempora inciderit. Præerat tunc Epiſcopis *Ponti Palmas* ὡς ἀρχαιότατος. More nimirum vetuſtiſſimo quo plerique Provinciis illorum temporum nulla certa ſedes erat *Metropolitana*, ſed quo quiſque fuerat, à *Conſecratione* nimirum, *antiquior* Epiſcopus, eo locum tenebat in *Conciliis* honoratiorem, primúſq; adeò totius Provinciæ haberi ſolebat, cujus *Conſecratio* fuerat omnium antiquiſſima. Sic etiam quarto quintoq; Sæculo mos fuit in Provinciis *Africanis* omnibus, exceptâ *Proconſulari*. Inde eorum Metropolitani nunc *Senes* appellati, quòd nimirum ipſo *ſenectutis* nomine honorem illum adipiſcerentur, nunc *Primates*, & *primarum ſedium Epiſcopi*, quòd *Sedium* ille *primatus* fixus non eſſet, ſed *Epiſcoporum primatum* conſequeretur. Sic itaque *Palmas* ille fuerit Epiſcoporum omnium à *Conſecratione* antiquiſſimus. Quod ſane ſatis aptè noſtris convenit Hypotheſibus. Hunc enim eundem *Palmam* ſalutaverat antea per Epiſtolam, ſub finem *Pii*, *Dionyſius Corinthius Soteri* coævus. Cœpit *Soter*, pro noſtris rationibus, an. CLIII. deſiit *Victor* an. CXCV. Sic ſpatium intercеſſerit XL. circiter annorum ab Epiſtolâ illâ *Dionyſii Corinthii* ad Synodum *Ponticam* ſub *Palmâ*, quo ita conſenuerit *Palmas* in Epiſcopatu ut Provinciæ *Ponticæ* univerſæ fuerit *antiquiſſimus*. *Bachyllus* etiam *Dionyſio* in ſede *Corinthiacâ* ſucceſſerat quo tempore *Victor* de Paſchate diſputavit. Quotus tamen fuerit à *Dionyſio Bachyllus*, & quo tandem ſpatio temporis *Dionyſium* attigerit, hæc fateor minimè nobis eſſe manifeſta. Ætas tamen *Irenæi* à nobis alibi ſtabilita facit omnino ne credamus diu poſt mortem *Commodi* contigiſſe litem de *Paſchate*, & coactas eâ occaſione Synodos, in reliquis *Gallicanam*, cui etiam præfuerit *Irenæus*, quibus tamen ipſis non diu utique *ſuperſtes* eſſe potuit ipſe *Victor*.

Ap. Euſeb. H. E. V. 22.

Ergo

Ergo ut *Commodo* diu ſupereſſe non potuit *Victor*, ſic certè *Commodo* fuiſſe *ſuperſtitem* ex Autore antiquiſſimo colligimus qui ſub *Zephyrino* ſcripſit *Victoris* ſucceſſore adversùs Hæreſim *Artemonis*. "Obtenderant *Artemoniſtæ*, "priſcos omnes, & ipſos Apoſtolos, ea quæ ab ipſis "dicerentur, & accepiſſe & docuiſſe, ac Prædicationis "quidem veritatem eſſe cuſtoditam uſque ad *Victoris* tem- "pora, qui decimus tertius à *Petro* Romanæ Urbis Epi- "ſcopus fuit: à *Zephyrini* autem temporibus, qui *Victori* "ſucceſſit, adulteratam fuiſſe veritatem. Dum novatum dicunt ſub *Zephyrino*, id ſcilicet innuunt ad finem uſque *Victoris* illibatam perſtitiſſe veritatem, ipſumque adeo *Victorem* & coævos illi Eccleſiaſticos, fuiſſe, etiam pro illorum Hæreticorum ſententiâ, Orthodoxos, quod tamen (ſi de *Hæreticorum Orthodoxia* intelligeretur) probat Anonymus ille fuiſſe falſiſſimum. "Adducitque in contra- "rium fratrum nonnullorum Eccleſiaſticorum Scripta "ὀρθόδοξα τῆς Βίκτορος χρόνων, quæ illi adversùs *gentes*, "& contra, ſui temporis *Hæreticos*, pro Veritatis defen- "ſione ſcripſerant. Cum dicit Scripta illa *Victoris* tempore antiquiora, id nimirum intelligit, *Victoris fine* ſaltem fuiſſe vetuſtiora. *Initium* enim *Victoris* non intellexiſſe vel exinde conſtat, quòd *Irenæum* illis Scriptoribus accenſeat *Victore* antiquioribus, *Clementemque Alexandrinum*. *Irenæum* tempora *Victoris*, ad quem ſcripſit Synodi *Gallicanæ* nomine, attigiſſe certum eſt. Libros tamen adversùs *Hæreſes*, quos hoc in loco intellexit Autor, omnes ſub *Eleuthero* abſolviſſe veriſimile eſt, quanquam id niſi de Libris tribus *prioribus* probari hodie non poſſit. Sed non ſcripſit proculdubiò ante *Victoris* initium *Clemens*. Ne quidem illos Libros quos indicavit Autor, adversùs *Gentes*, aut ſui temporis *Hæreticos*. Vix eſt quòd notam illam de aliis intelligamus *Clementis* operibus quàm de *Protreptico* & *Stromateis*. Primum autem *Stromateon* poſt mortem *Commodi* abſolutum oſtendit ipſe *Clemens*. Et quidem unà

§. 4.

Ap. Euſeb. H.E. V. 28.

& continuâ ſerie ſcripſiſſe videtur, primò *Protrepticum*, tum *Pædagogum*, tandem deinde *Stromateas*, in uſum nimirum *Scholæ* Catecheticæ, cui præfuit, *Alexandrinæ*. Quare nec illa quoque, ante mortem *Commodi*, ſcripſiſſe veriſimile eſt. Sed *Stromateas* præcipuum *Clementis* opus denotâſſe videtur Anonymus (fortaſſe *Caius*) unde *Clementem* ipſum *Stromatea* cognominatum legimus à recentioribus. Quòd ſi *Stromateas Clemens* poſt mortem quidem *Commodi*, & tamen ante mortem ſcripſerit *Victoris*; nemo eſt quin videat inde ſequi *Victorem Commodo* neceſſariò fuiſſe ſuperſtitem.

§. 5. De Jejun. adv. Pſychicos 13.

Cæterùm malè locum *Tertulliani* de Jejunio, habent Eruditi pro *temporis* nota: *Aguntur* (inquit) *præterea per Græcias illas certis in locis Concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magnâ veneratione celebratur. Et hoc quàm dignum fide auſpicante congregari undique ad Chriſtum? Vide quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum. Hoc tu pſallere non facilè nôſti, niſi quo tempore cum compluribus cœnas. Conventus autem iſti ſtationibus prius & jejunationibus operari, dolere cum dolentibus, & ita donum conguaderi gaudentibus.* Perperam hùc referunt *Concilia* de lite *Paſchali* ſub *Victore* coacta. Tantùm abeſt ut hoc verum fuerit, ut illa ne quidem *potuerit* intelligere *Tertullianus*. Scripſit enim de *Jejunio* jam *Montaniſta*, & ab Eccleſiæ etiam non *dogmate* modò, ſed *Communione* quoque, alienus. Nec enim ante Pontificatum *Zephyrini* factam illam *Tertulliani* diſceſſionem, infra probabimus. Alio prorſus ſenſu intellexit ille, pro *Corpore* certis conſeſſibus obnoxio, eorumque ditioni ſubdito, ſeu in *Conſeſſus* fuiſſet, ſeu minus, de *Facto* coactum. Sic *Conventuum* vocem in *Hiſpaniâ* uſurpat *Plinius*. Sic in *Judæâ Joſephus*, ubi de eâ agit *Judææ* conſtitutione à *Gabinio* factâ, cum Regionem *Pompeius* in Populi Romani poteſtatem redegiſſet. Ità certè vocem illam uſurpat *Tertullianus* etiam *Montaniſta*. Sic enim ſcribit: *Sed cederem tibi*,

De Pudic. c. 10.

tibi, ſi Scriptura Paſtoris, quæ ſola mœchos amat, Divino Inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni CONCILIO, *Eccleſiarum, etiam veſtrarum, inter Apocrypha & falſa judicaretur, adultera & ipſa, & inde Patrona ſociorum.* Concilia illorum temporum habemus nulla quæ Decreta ediderint de Libris *Canonicis* & *Apocryphis*, quale illud eſt quod *Gelaſio* ſuppoſuit Pſeudo *Iſidorus*. Nedum ut fuerit de eo illis temporibus ita diſputatum, ut quoties in unum conveniſſent, toties nova de Sacro *Canone* Decreta eſſent conſtituenda. Aliena illa ſunt omnia à mente *Tertulliani*. Id ille potiùs voluit, ne quidem inter *Canonis* quæ *Euſebius* appellat, ἀντιλεγόμενα, locum habuiſſe *Paſtorem*. Erant enim Libri *Canonici* in duplici omnino diſcrimine. Alios recepit Eccleſia ſuffragiis ita conſentientibus ut nullæ prorſus ſupereſſent quæ refragarentur. Alios recipiebant quidem aliæ Eccleſiæ, ſic tamen illæ ut eſſent interim aliæ quæ minimè reciperent. Sic enim Epiſtolam ad *Ebræos* ſoli fortaſſe repudiabant *Romani*. De *Apocalypſi* item & Epiſtolis pleriſque *Catholicis* ſic diſſidebant invicem *Eccleſiæ*, ut quas aliæ reciperent, aliæ minimè audiendas eſſe cenſerent. Per *Traditiones* enim *Eccleſiæ* judicarunt Secundi Sæculi Patres qui primi *Canonem* ſacrum condiderunt, qui *Libri* eſſent in Canone concludendi, ſeu etiam excludendi. Primo itaque in loco erant quos nullæ unquam Eccleſiæ Traditioneſve improbarent; nullo illi quos nullæ ſimiliter probàſſent ſeu *Eccleſiæ*, ſeu *Traditiones*; medio in loco illi quos ita aliæ probàrint ut fuerint interim ab aliis repudiati. Sic ergo Librum *Paſtoris* è Canone ſacro excludit *Tertullianus*, ut ne quidem dubitandi ratio fuerit an fuerit excludendus. Ut enim fuerint *Viri* ſingulares, imprimis *Irenæus*, qui illum N.T. Scripturis accenſerent; nullæ tamen erant *Eccleſiæ*, ne unum quidem dicit Eccleſiarum fuiſſe CONCILIUM quod Librum illum *Canonicum* agnoverit. *Conciliorum* nimirum nomine *Provincias* illas intellexit *Eccleſiaſticas*, quibus fuerint

rint communia *Concilia* illa *ſemeſtria* illis temporibus celebrari ſolita. Ut proinde ne *unica* fuerit id genus *Eccleſiaſtica Provincia* cujus *Eccleſiæ* omnes *Paſtoris* Librum inter Canonicos numeraverint. Nec de aliis Ego quàm *ſemeſtribus* illis *Conciliis* ſtatis temporibus in unum convenire ſolitis intelligo Concilia illa *Tertulliani* de quibus agimus. Non certè de *majoribus* illis aut *Extraordinariis*, quæ cogi ſolebant quoties neceſſaria viderentur pro uſibus Eccleſiæ extraordinariis, qualia illa fuere ſub *Victore*. His enim *nomen Chriſtianum* repræſentabatur per *partes*, cum nomen Chriſtianum *univerſum* nulla repræſentarent illorum temporum *Concilia*, quæ erant utique duntaxat *Provincialia*. Sic itaque nullum deſignant *tempus* Concilia illa *Tertulliani*.

§. 6. Et quidem hujus initii finiſque quæ *Victori* aſſignavimus, ut nulla habeamus Veterum diſerta Teſtimonia, habemus tamen ſatis manifeſta eorundem veſtigia. XVII. *Marci* in *Eleutherο* inſignem in Autoribus ſuis reperiſſe videtur *Euſebius*. In eo tamen erravit quòd unde finem *ejus* initiumque adeo *Victoris* arceſſere debuit, *initium* ille ipſius *Eleutheri* exiſtimârit arceſſendum. Quod quidem nos ex *Euſebii* ipſius Autoribus oſtendimus, dum *Perſecutionem* illam quæ in *Eleutheri* Pontificatum incidit, *Marci* potiùs VII. tribuendam eſſe probavimus. Non certè convenit *Eleutherο* annus *Marci* XVII. ſed potiùs XVI. vel è vitioſâ Canonis, ut è noſtris conſtat Tabulis, *Euſebiani* diſpoſitione. Proinde conſentaneum eſt ut in hunc annum potiùs è malè intellectis Vetuſtiorum Teſtimoniis, quàm novo aliquo calculi vitio, inciderit. Alium verò *Victoris* terminum, quo deceſſerit, annum nimirum CXCV. confirmant numeri *Syncelli* & *Nicephori*, ducti plerunque, ut videtur, ex *Hippolyto*; confirmat etiam *Catalogorum* Pontificalium diſpoſitio lacunis & erroribus libera, qualem ſuprà repræſentavimus, & qualem *Optati* atque *Auguſtini* temporibus, apud *Latinos* fuiſſe, nobis perſuademus.

Hinc

Hinc itaque *Zephyrino* annos tribuunt XIX. iidem illi *Nicephorus* & *Syncellus*, & rationes illæ *Catalogorum* ſinceriſſimæ. Quem quidem numerum vel eo nomine reliquis anteferendum exiſtimo, quòd ſit omnium auctiſſimus. Hoc enim in loco de *brevitate* ſuſpecti habendi ſunt, utriuſque Hypotheſeos numeri. *Euſebius* dum à recentiori origine S. *Petri* præſidatum, *Romanaque* adeo Succeſſionis ortum, deducit, proinde neceſſe habuit numeros veros in fine *contrahere*. Sic & *Catalogorum* Occidentalium Autores dum *Cletum* addunt ſuppoſititium, cujus proinde tempora erant à veris aliorum Pontificum temporibus *detrahenda*. Nec enim locum illi fecerant in primorum, ad *Euareſtum* uſque numeris commentitiis, cujus nimirum mentio nulla fuerat velut diverſi ab *Anacleto* in primis antiquiſſimiſque Occidentalium *Catalogis*. Et verò vidimus in *Latinorum* Catalogis per Coſſ. annorum ſingulorum detractionem fuiſſe facillimam, ſi nimirum à primis ſuis, non è deceſſoris ultimis, Coſſ. inſtituenda fuiſſet ſupputatio. *Additionis* autem error erat omnino difficilior. Sic itaque ſuffectus *Victori Zephyrinus* anno CXCV. locum fecerit *Calliſto* Succeſſori anno CCXIV. Conveniunt ſatis accuratè notæ, quotquot habemus, *Hiſtoricæ*. *Natalem* confeſſorem οὐ πάλαι, ἀλλ' ἔτι τοῖς ἡμετέροις (inquit) γενόμενον χρόνοις, memorat Autor ille vetuſtiſſimus, cujus modò memineram, ſub *Zephyrino*. Hunc ait *Natalem*, cum ab Angelo caſtigatus eſſet propterea quòd præmio inductus Hæreticis faveret, *Zephyrino* ſeſe ad pedes abjeciſſe. Confeſſus nimirum fuerat *Natalis* ille in Perſecutione *Severi* quæ ab anno CCII. cœpta, anno CCIV. deſiit ut alibi oſtendimus. Is ſi *Cæcilius* fuerit *Natalis* ab *Octavio Minuciano* ad fidem Chriſti converſus, fic erit *Severi* Perſecutione antiquius illud Colloquium. Nec quicquam pugnat quin is idem fuerit, cùm *Proſelytorum* illa fuerit præcipuè *Perſecutio*. Poſt illam itaque Perſecutionem, annumque adeo CCIV. ſedem *Romanam* poſſedit *Zephyrinus*. §. 7.

Ap. Euſeb. H. E. V. 28.

Quin-

§. 8. Quinetiam *Zephyrino* ſedem eandem moderante, *Romam* venit *Origenes*, quod quidem ex *Origenis* ipſius diſertis verbis didicit *Euſebius*, ne quam ſuſpicemur *Euſebii* fallacem, hoc in loco, conjecturam. Sic enim habent *Euſebii* verba:

Euſeb. H.E. VI.14. Ὁ γάπι Ἀλεξάνδρου, τοῦτο γὰρ ἐπὶ τῷ Θεοφίλῳ ὄνομα, Ζεφυρίνου τὸν τῶν ἐκκλησιῶν ἡγεμόνα, ἐπιδημοῦσι τῇ Ῥώμῃ καὶ αὐτὸς ἦν γεγράφει, &c. Poſt mortem *Severi* iter illud ſuſcepit *Origenes*, diu tamen, ut videtur, ante mortem *Caracallæ*. Vix eſt ſane

Ibid. VI.19. quin πόλεμον ille ὑπ' ὀλίγου quem ex *Arabiâ* reverſus *Alexandriæ* expertus eſt *Origenes*, de ſtrage illâ intelligendus ſit quam in cives *Alexandrinos* edidit ipſe *Caracalla*, anno ut videtur CCXVII. *Caracallæ* ultimo. Id ſi verum, jam ſuperiori anno CXVI. Expeditionem in *Arabiam* adornârat Origenes. Nec enim niſi ἐκ τούτου ἀναγωγιδόν poſt reditum, Bellum illud *Alexandrinum* contigiſſe, indicat *Euſebius*, *aliquanto pòſt tempore*, Interprete *Valeſio*. Initio enim anni CCXVII. *Caracallam Alexandriâ* in *Parthos* moviſſe neceſſe

Spart. Caracal. cap.6. eſt, cæſum nimirum VIII. Id. *April.* medio itinere inter *Carras* & *Edeſſam*. Sed multa alia geſſit *Origenes* inter duo illa itinera *Romanum* & *Arabicum*, non modici certè temporis. Reverſus nimirum *Româ* Scholæ Catecheticæ gnaviter incubuit, τὴν Ζωὴν τῆς κατηχήσεως μετὰ πάσης ἐπιλήψεως ἀσφαλῶς, inquit Euſebius, *Demetrio* nimirum *Epiſcopo etiam tum illum hortante, ac tantùm non ſupplicante, ut fratrum utilitati impigrè ſerviret.* Sic idem ubi ſuprà *Euſebius* H.E.IV.14. Ita reliquam anni partem, quo *Romam* profectus fuerit redieritque, conſumpſiſſe veriſimile eſt. Tum quò liberiùs vacaret ſtudiis tam Divinæ quàm humanæ quoque Philoſophiæ, Scholæ Catecheticæ inferiori ſubſellio præfecit *Heraclam*, Cap. 15. Quæ certè ſtudia antequam inclareſceret *Origenes* aliquot annis illum occupatum tenuerint neceſſe eſt. Sic *initio Caracallæ* contigerit illud *Origenis* iter *Romanum*, anno fortè CCXII. quo, cæſo *Getâ* fratre,

fratre, *Româ* diſceſſerat *Caracalla*. V^a. certè Scripturæ Interpretatio *Hierichunte* in dolio inventa eſt, eodem, ut videtur, tempore quo Sacræ Scripturæ ſtudiis intentus undiquaque Codices Interpretationeſque inveſtigavit. Nec longe nos ab itineris *Romani* etiam *anno* erràſſe aliunde colligimus. Ait *Africanus* ſe *Alexandriam* contuliſſe ἀφ' οὗ πολλοὺ ὁ Ἡρακλᾶς φίλτρου ὅτι λόγοις φιλοσόφοις καὶ τοῖς ἄλλοις Ἑλλήνων μαθήμασιν, &c. Nemo eſt quin videat hæc illo tempore contigiſſe quo celebrior fuerit his nominibus Heraclas quàm ipſe fuerit *Origenes*. *Heraclæ* enim ſe *exemplo* tuetur *Origenes*, quòd ſe Philoſophiæ Græcarumque Diſciplinarum ſtudiis addixiſſet. Scripſit illa *Africanus* in *Chronographia* quam *Grato* & *Seleuco* Coſſ. anni nimirum CCXXI. terminavit. Hoc autem tempore *Legationem* obiit pro patriâ *Emmaunte* ad *Elagabalum* Imperatorem, ut proinde poſt annum CCXX. vix potuerit *Alexandriam* proficiſci. Quando autem Scholæ Catecheticæ *Heraclam* præfecit *Origenes*, fuit quidem ille φιλοσοφίας οὐκ ἄπειρος, longe tamen ab eâ in his ſtudiis celebritate quam tantopere celebrat *Africanus*. Dabat enim operam ſub Philoſophiæ *Magiſtro* ipſe *Heraclas*, & *quintum* duntaxat annum in illo ſtudio abſolverat, ipſo nimirum teſte *Origene*. Eſto itaque proximo quàm *Româ* reverſus eſſet anno *Heraclam* Scholæ Catecheticæ præfecerit *Origenes*. Sic anno CCXIII. *quintum* ſtudii Philoſophici annum abſolverit *Heraclas*, ipſe nimirum adhuc ſub diſciplinâ *Magiſtri*; CCXX. duodecimum, VII. tamen duntaxat in ſtudii Philoſophici *Magiſterio*, tempus nimirum non admodum laxum ad comparandam illam, quam celebrat *Africanus*, nominis celebritatem. Ex hâc itaque notâ colligere non poſſumus *diu* poſt initium *Caracallæ* ſuperſtitem fuiſſe *Zephyrinum*.

Ap. Euſeb. H.E. VI. 31.

Ibid. c. 15.

Ibid. c. 19.

Finem certè *Caracallæ* non attigiſſe è *Tertulliano* colligo, coævo nimirum *Zephyrini*. Tradit ille *Praxeam*, TUNC *Epiſcopum Romanum agnoſcentem jam Prophetias Montani*, §. 9. Adv. Prax. c. 1.

Priſcæ, Maximillæ, ad revocandas literas Pacis jam emiſſas coegiſſe. Quibus verbis id nimirum indicat qui tunc fuerat, cum *Romæ* Hæreſin ſuam inferret *Praxeas*, *Romanus* Epiſcopus in *Montani* causâ, ut voluit *Tertullianus*, à *Praxeâ* ſeductus, non eundem tamen eſſe qui Eccleſiæ *Romanæ* præſideret cum hæc ſcriberet *Tertullianus*. Sub *Zephyrino* autem *Romam* venit *Praxeas*, non *Aniceto*, ut putant alii, non *Eleuthero*. Id ex antiquiſſimo *Catalogi Hæreticorum* Autore diſcimus quem fini Operis *Tertulliani* de *Præſcriptionibus* adjungere ſolent Codices MSS. Fateor equidem, apud nonnullos Eruditos ſuſpectum eſſe hunc *Catalogum*, ne fuerit forte ipſius *Tertulliani*, propterea quod in nonnullis MSS. deſit. Sed vel *Tertulliani* ipſius eſt vel (quod eódem redit) *coævi* Tertulliano Autoris. Excripſit certè inde nonnulla verbatim adversùs *Luciferianos Hieronymus* Lector ipſe *Tertulliani* diligentiſſimus. Nullæ porro hîc leguntur *Hæreſes* Tertulliano *recentiores*, non *Novatiani*, non *Sabellii*, non *Samoſateni*, ne obſcuriores alias *tertii Sæculi* Hæreſes recenſeam. Stylum præterea *Tertulliani* repræſentat accuratiſſimè perſonamque. Sic enim nectitur cum *Præſcriptionis* Opere hic Catalogus:

De Præſcr. c. 45. *Sed nunc quidem generaliter actum eſt à* NOBIS *adversùs Hæreſes omnes certis & juſtis & neceſſariis* PRÆSCRIPTIONIBUS *repellendas à conlatione Scripturarum. De reliquo, ſi Dei gratia annuerit, etiam ſpecialiter quibuſdam reſpondebimus.* Sic etiam de *coævis* Tertulliano *Hæreticis* loquitur hic Autor quaſi nimirum fuiſſent ipſi

Cap. 53. etiam coævi. De ipſo *Praxeâ* ita: *Hic Deum Patrem omnipotentem Jeſum Chriſtum eſſe* DICIT; *hunc crucifixum paſſumque* CONTENDIT; *mortuum præterea ſeipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam, cum profanâ & ſacrilegâ curioſitate* PROPONIT. Dicit, (inquit) contendit, proponit. *Præſenti* nimirum tempore omnia, [illegible] licet in *vivis*, cum hæc ſcriberet Autor, eſſet *P*[illegible] quo tamen cum adversùs illum ſcriberet ex profe[illegible]a-viſta *Tertullianus*, ita loquitur quaſi *mortuo*. Si[illegible]irum accuratè

accuratè conveniunt verba hujus Catalogi etiam *tempori* quo ſcripſit de *Præſcriptione*. Poſt ortum *Praxeæ* ab Eccleſiæ Communione diſceſſit Tertullianus. * *Nos* (inquit) *poſtea agnitio Paracleti atque defenſio diſjunxit à Pſychicis. Montaniſtis* porro † *Hæreſin* exprobratam agnoſcit. Quin & *levitatem*‖ ſibi à Catholicis objectam, propter *ſuæ* quoque *ſententiæ retrò penes illos ſocietatem*. Rectè itaque & pro verâ ſententiæ mutatæ Hiſtoriâ, *Tertullianus Montaniſtas* reliquis *Hæreticis*, hoc ſaltem in Opere, potuit accenſere. Nulla itaque eſt ratio cur *Tertulliano* hunc *Catalogum* abjudicemus. Cur tamen in nonnullis *Codicibus* deeſſet, cauſa eſſe potuit quòd ſupprimere ipſe vellet poſtea ſententiam adeo Sectæ, quam ipſe profiteretur, adverſam. Quam tamen eandem ob cauſam *Orthodoxorum* diligentia hunc etiam *Catalogum*, quem ſcilicet *Tertulliano* ſolebant objicere, nobis conſervavit.

* Adv. Prax. c. 1.
† De Monogam. c. 2.
‖ De Pudicit. c. 1.

§. 10. Quòd ſi *coævi* ſaltem Autoris fuerit ille Catalogus, nihil erit ſane cur dubitemus tempus *Praxeæ* quin illi fuerit exploratiſſimum. Atqui *recentiſſimum* omnium *Praxeam* recenſet Autor illius Catalogi: *Poſt hos* (inquit) *OMNES etiam Praxeas quidam hæreſim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit*. Quos verò (inquies) intellexit *Hæreticos* quibus *juniorem* fecit *Praxeam*? Nempe illis accenſuit *Blaſtum*, cujus ortum ſub *Victore* ponit *Euſebius*. Accenſuit *Theodotum Byzantinum* à *Victore* excommunicatum. Accenſuit & *Theodotum* alterum *Argentarium* qui ſub *Zephyrino* Scholam Hæreticam aperuit, ut è prædicti conſtat Anonymi, vel *Caii* forte, Teſtimonio qui ſub ipſo ſcripſit *Zephyrino*. Affecto itaque *Zephyrini* Pontificatu *Praxeam* ſurrexiſſe neceſſe eſt qui poſt *Theodotum* illum *juniorem* ſurrexit, qui etiam ipſè ortus fuerit ſub *Zephyrino*. Sub alio tamen, quàm quo ortus fuerat, Pontifice *Praxeam* refutavit *Tertullianus*.

Præſcr. c. 53.
Ap. Euſeb. H.E. V. 15, 20.
Ibid. V. 28.

§. 11. Cæterum *Severo* Principe & *Antonino Caracallâ* floruiſſe *Tertullianum* tradit *Hieronymus*, pro more nimirum ſuo intelligendus ut eo demum Principe mortuus quiſque ſuppo-

Scriptor. Eccl. in Tertul.

ſupponatur quo *ultimo* Imperante quiſque floruiſſe dicitur. Si ergo *Caracallâ* Imperante mortuus ipſe fuerit *Tertullianus*, *Zephyrinum* antea mortuum fuiſſe conſentaneum eſt, cum ſcripſerit ſub ejus Succeſſore *Tertullianus*. Malè itaque Imperio *Alagabali* mortem *Zephyrini* tribuit *Euſebius*, & malè rursùs CCXVII. an. Æt. *vulg.* *Caracallæ* ultimo *Catalogorum* Occidentalium Autores. Initio enim *Aprilis* periit *Caracalla*, ut proinde ante menſem *Aprilem* mori debuerit *Tertullianus*, ſi quidem illo anno ipſe deceſſerit. Sic ſpatium ſatis arctum aſſignabitur, morti *Zephyrini*, famæ deinde de ejus morte *Africam* perferendæ, tum Libro denique in *Praxeam* ſcribendo, in quo mentio eſſet illius facienda tanquam antea demortui. Sed nihil eſt unde conſtet vel *ultimo* *Caracallæ* anno mortuum eſſe *Tertullianum*, nedum unde conſtet ultimo anno *ſuo* ſcripſiſſe contra *Praxean*, nec denique an cum *Praxean* confutaret *Tertullianus*, jam *nuper* mortuum eſſe *Zephyrinum*. Noſtris certè rationibus longe meliùs omnia reſpondebunt, qui ſpatium ſatis laxum aſſignavimus.

§. 12. Ad *Scap.* c. 4. Sed verba illa *Tertulliani* ad Scapulam, *Quem & Antoninus optimè noverat* neminem ſanæ mentis exiſtimaturum, putat *Scaliger* de *Antonino Caracallâ vivente* ſcribere *Tertullianum* potuiſſe. Cur ita, quæſo, putat *Scaliger*? An quòd *tertiâ* perſonâ uſus fuerit *Tertullianus*? Atqui eâdem *perſonâ* de *Severo* Imperatore uſus eſt certè etiamnum ſuperſtite. *Nonne* (inquit) *vaniſſimas Papias leges quæ ante liberos ſuſcipi cogunt, quàm Juliæ matrimonium contrahi, poſt tantæ Autoritatis ſenectutem, heri Severus conſtantiſſimus Principum excluſit?* An quòd vox illa *noverat* rem præteritam, quæque adeo, cum illa ſcriberet, eſſe deſierit, indicare videatur? Quaſi nimirum ita antea *nôſſet* ut *jam* non nôrit amplius. Sed ſatis illa quoque ſignificatio ſervabitur ſi jam in *vivis* eſſe deſiiſſet, qui noſci ab Imperatore poſſet, *Proculus Torpacion*, quàm ſi ſublatus eſſet qui illum nôſſe poſſet, *Imperator*. Fortius illud videri poſſet Argumentum quòd à *tempore* quo ſcripſit Apoſtolus ad *Corinthios* Epiſtolam

Apol. c. 4.

Epiſtolam priorem annum CLX. numerârit *Tertullianus* cum ſcriberet ipſe de *Monogamiâ* jam *Montaniſta* adversùs Eccleſiam Catholicam. Sed numeri rotundi nimiùm urgendi non ſunt, præſertim in *Tertulliano* quem alioqui negligentiſſimum in re Chronologicâ probavimus. Erravimus tamen cum à *fine* potiùs *Apoſtoli* quàm ab *initio Neronis* incertum illum ſcriptionis annum à *Tertulliano* repetitum exiſtimaremus. A *Neronis* initio an. LIV. Ær. *vulg.* inchoati in annum deſinent CCXIV. cui obitum Nos *Zephyrini* aſſignavimus. Sic tamen detrahendi erunt *poſtremi* aliquot *Neronis* anni à *Tertulliano* perperam omiſſi. Sic erit incertum an illo quoque anno *Librum* ſcripſerit, de quo agimus, *Tertullianus*.

De Monog. c. 3.

Diſſ. III. in Iren. §. 13.

De *Calliſto* notas *Hiſtoricas* nullas habemus niſi quòd *diem* ejus *emortualem* conſervârit *Depoſitio Martyrum* Bucheriana Prid. Id. *Octobr.* Annos illi tribuimus VIII, cum *Nicephoro* & *Syncello*, Autore etiam, ut videtur, *Hippolyto*, ſuffragante præterea vetuſtiſſimo emendatiſſimoque, ut vidimus, *Catalogorum* Occidentalium calculo. *Urbano* annos VII. duntaxat tribuunt *Nicephorus* & *Syncellus*. Veriorem tamen & qui magis accedat ad mentem, ni fallor, *Hippolyti*, conſervârunt Catalogi *Latinorum*. VIII. enim largitur Catalogus tam *primus* quàm *ſecundus*, & quidem ſpatio Faſtorum *Conſularium* conſentientiſſimo, ſi, pro more, ab *ultimis* deceſſoris *Coſſ.* incipiat numeratio. VIII. etiam *membranæ* ſexto nimirum Sæculo exaratæ *Papebrochii*. Suffragantur etiam & hîc rationes Catalogorum emendatiſſimæ antiquiſſimæque. Sic itaque anno CCXXX. deſinet *Urbanus*, incipiet autem *Pontianus*. Hujus notam *Hiſtoricam* conſervavit *Euſebius*, non *anni* quidêm, ſed duntaxat *Pontificatûs*. Cùm enim dixiſſet *Romæ Urbano* ſucceſſiſſe *Pontianum*, *Antiochiæ* verò *Philetο Zebinum*, ſic deinde ſubjungit, καθ' ὃν ὁ Ὠριγένης ἐπυγνώσθη χρίμασι ἐκκλησιαστικοῖς ἔνεκα σφαγμάτων ἐπὶ τοῦ Ἑλλάδα ἡγεμόνος, &c. Voces καθ' ὃν *quo tempore* interpretatus eſt *Valeſius*.

§ 13.

Euſeb. H. E. VI. 23.

Id

Id tamen indicant, *illis ſedes moderantibus*, Romanam *Pontiano*, Antiochenam *Zebino*, fuiſſe hanc *Origenis* Expeditionem. Id quod ex *Origenis* Epiſtolis eâ occaſione conſcriptis didicit *Euſebius* forte, in quibus *Pontiani* pariter ac *Zebini* meminerat *Origenes*. *Decimo* autem *Alexandri* anno iter illud ſuſcepit *Origenes*, cujus pars maxima incidit in An. CCXXXI. Sic primo *Pontiani* exeunte, aut ſecundo fuerit ineunte, profectus. Cæterùm *Pontiano* III. duntaxat annos concedunt *Nicephorus* & *Eutychius*. Forte quòd *tertio* Pontiani anno Catalogum concluſerit *Hippolytus*. Certè V. tribuunt *Euſebius*, *Eutychius*, *Catalogus* Occidentalium *primus*, ſuffragantibus etiam *Conſulum* à deceſſoris ultimis Coſſ. intervallis, quin & *rationibus* Occidentalium ſuffragantibus omnium emendatiſſimis. Sic anno CCXXXV. deſierit *Pontianus*. Inde ad finem *Fabiani*, quæ nota eſt in *Hiſtoriâ* certiſſima, excuſſit accuratè Cl. *Ceſtrienſis* in *Cyprianicis*.

Euſeb. H. E. VI. 26.

Chronologia Pontificia Ceſtrienſis.	Noſtra.
S Anct. *Petrus* ab A. D. XXXIII. ad LV. [Diſſ. II. Cap. II. §. 3.]	NUllum habet locum inter Pontifices. Cap. XI. §. 1.
Linus à LV. ad LXVII. [Diſſ. II. Cap. II. §. 3. Cap. V. §. 2.]	Ab An. LXIV. ſed brevi admodum tempore cum ſucceſſore *Anencleto*. Cap. VIII. §. 5. & XI. §. 2.
Anencletus à LXVII. ad LXIX. [Diſſ. II. Cap. V. §. 5.]	A LXIV. vel LXV. ad LXXXI. Cap. XI. §. 2.
Clemens à LXIX. ad LXXXIII. [Diſſ. II. Cap. V. §. 7.] Hinc ſequitur *Eutychium*.	
Euareſtus ab LXXXIII. ad XCI. [Diſſ. II. Cap. VII. §. 1.]	Ab LXXXI. ad XC. Cap. XII. §. 6.
Alexander à XCI. ad CI. [Diſſ. II. Cap. VII. §. 2.]	A XC. ad CII. Cap. XII. §. 6.
Xyſtus	Ab

Ceſtrienſis.	Noſtra.
Xyſtus ab CI. ad CXI. [Diſſ.II.Cap.VII.§.6.]	Ab CII. ad CXII. Cap. XII. §.6.
Teleſphorus ab CXI. ad CXXII. [Diſſ.II.Cap.VII.§.8.]	Ab CXII. ad CXXIII. Cap.XII.§.6.
Hyginus ab CXXII. ad CXXVI. [Diſſ.II.Cap.XII.§.1.] *Interpontificium* fere annuum. [Diſſ.II.Cap.XII.§.2.]	Ab CXXIII. ad CXXVII. Cap.XII.§.6.
Pius ab CXXVII. ad CXLII. [Diſſ.II.Cap.XII.§.2.]	Ab CXXVII. ad CXLII. Cap.XIII. §.1.
Anicetus ab CXLII. ad CLXI. [Diſſ. II. Cap. XIII. §.1. Cap. XXI. §.1, 2, 3.] Inde diſcedit ab *Eutychio*, & ſequitur Librum *Pontificalem*.	Ab CXLII. ad CLIII. Cap.XIII.§.1,&c.
Soter à CLXI. ad CLXX. [Diſſ.II.Cap.XXII.§.1.] Hucuſque in hoc Opere Reliqua, ut ſuppleverit, habemus è Doctiſſimi Patris Adverſariis.	Ab CLIII. ad CLXII. Cap.XIV.§.1,2.
Eleutherus à CLXX. ad CLXXXV.	Ab CLXII. ad CLXXVII. Cap.XIV.§.3,&c.
Victor ab CLXXXV. ad CXCVII.	Ab CLXXVII. ad CXCV. Cap.XV.§.1,&c.
Zephyrinus ab CXCVII. ad CCXVII.	Ab CXCV. ad CCXIV. Cap.XV.§.7,&c.
Calliſtus à CCXVII. ad CCXXII.	A CCXIV. ad CCXXII. Cap.XV. §. 13. Et ſic deinceps ut *Ceſtrienſis*.
Urbanus à CCXXII. ad CCXXX.	
Pontianus à CCXXX. ad CCXXXV.	
Anteros à CCXXXV. ad CCXXXVI.	
Fabianus à CCXXXVI. ad CCL.	

E Codice MS. Bibliothecæ *Bodleianæ* in *Muſeo*, num. 94.

Pontifices Romani.

PEtrus ſedit an. XXV. menſ. II. dies II.
Linus ſed. an. XI. menſ. III. dies XVII.
Cletus ſed. an. XII. menſ. I. dies XIX.
Clemens ſed. an. IX. menſ. II. dies X.
Euareſtus ſed. an. IX. menſ. X. dies II.
Alexander ſed. an. X. menſ. VII. dies II.
Sixtus ſed. an. X. menſ. III. dies II.
Teleſphorus ſed. an. XI. menſ. III. dies XXI.
Igínus ſed. an. IIII. menſ. III.
Pius ſed. an. XIX. menſ. IIII. dies III.
Sother ſed. an. IX. menſ. VI. dies XXI.
Eleuther ſed. an. XV. menſ. III. dies II.
Victor ſed. an. X. menſ. II. dies X.
Caliſtus ſed. an. V. menſ. II. dies X.
Vrbanus ſed. an. IIII. menſ. X. dies XII.
Pontianus ſed. an. VIIII. menſ. X. dies II.
Anterus ſed. an. XII. menſ. I. dies XII.
Flavianus ſed. an. XIIII. menſ. I. dies XI.
Cornelius ſed. an. III. menſ. III. dies III.
Stephanus ſed. an. VI. menſ. V. dies II.
Sixtus ſed. an. I. menſ. X. dies XXIII.
Dionyſius ſed. an. VI. menſ. II. dies IIII.
Felix ſed. an. IV. menſ. III. dies XXVI.
Euthicianus ſed. an. V. menſ. I. dies I.
Gaius ſed. an. XI. menſ. IIII. dies XII.
Marcellus ſed. an. VIIII. menſ. IV. dies XVII.
Euſebius ſed. an. VI. menſ. I. dies III.
Melchiadis ſed. an. IIII.
Silveſter ſed. an. XXIIII. menſ. X. dies XI.
Marcus ſed. an. II.
Julius ſed. an. V. menſ. II.
Liberius ſed. an. VI. menſ. III. dies IIII.

Felix

Felix ſed. an. I.
Domaſus ſed. an. XV.
Anaſtaſius ſed. an. III. dies X.
Innocentius ſed. an. XV. menſ. I. dies XXI.
Zoſimus ſed. an. I. menſ. III. dies XV.
Bonifacius ſed. an. III. menſ. IX. dies VI.
Celeſtinus ſed. an. III. menſ. X. dies XVII.
Sixtus ſed. an. VI. menſ. III. dies XIX.
Leo ſed. an. XII. menſ. I. dies XIV.
Hilarius ſed. an. VI. menſ. III. dies XI.
Simplicius ſed. an. XVI. menſ. I. dies VII.
Filius ſed. an. VIII. menſ. XI. dies XXVII.
Gelaſius ſed. an. IIII. menſ. VII. dies XIII.
Anaſtaſius ſed. an. I. menſ. XI. dies XXIIII.
Symachus ſed. an. XV. menſ. VIII. dies XXV.
Horſminda ſed. an. VIII. dies XVII.
Johannes ſed. an. II. menſ. VIII. dies XVI.
Felix ſed. an. II. . . . . dies XIII.
Bonifacius ſed. an. II. . . . dies XXVI.
Johannes ſed. an. II. menſ. IIII. dies VI.
Agapitus ſed. an. . . . menſ. XI. dies XVIII.
Silvius ſed. an. I. menſ. V. dies XI.
Vigilius ſed. an. XVII. menſ. V. dies XXVI.
Pelagius ſed. an. IIII. menſ. X. dies XVII.
Johannes ſed. an. XI. . . . . dies XVIII.
Benedictus ſed. an. IIII. . . . dies XXVIII.
Pelagius ſed. an. X. menſ. II. dies X.
Gregorius ſed. an. XIII. menſ. VI. dies X.
Sabinianus ſed. an. I. menſ. V. dies IX.
Bonifacius an. VIII. . . . . dies XXII.
Bonifacius an. VI. menſ. VIII. dies XIII.
Deuſdedit an. III. . . . dies XX.
Bonifacius an. V menſ. X.
Honorius an. XII. menſ. XI. dies XVII.
Severinus an. . . . menſ. II. dies IIII.
Johannes an. I. menſ. VIIII. dies XVIII.
Teodorus an. X. menſ. . . .

Nec extat uſpiam (quod quidem ſciamus) noſter hic quem damus è Codice præclaræ *Oxonienſis* Bibliothecæ Catalogus; eſtque etiam, pro ætate *Latinorum* plerorumque Catalogorum, *antiquus*. Proinde hanc Editionis occaſionem non utique negligendam duximus. Idque ſane animadverſione dignum eſt, *Cleto*, *Anacleti* cum *locò*, etiam *annos*, aſſignari; unde conſtat hujus Catalogi Autori unius ejuſdemque Pontificis aliud duntaxat fuiſſe nomen. Alioqui nihil habet in primâ, de quâ egimus, Succeſſione admodum utile. Quòd autem *deſint* aliquoties Pontifices, noſtræ tranſcriptionis errori imputandum non eſt, ſed *Autoris*, ſeu etiam fortaſſe *Librarii*.

Addimus præterea de antiquiſſimo, qui habetur, *Cuſpiniani*, *Bucherii*, atque *Heinſchenii* Catalogo, hâc etiam occaſione, ſententiam noſtram. Jam ſatis, ut opinor, oſtendimus, ævo *Liberiano* recentiorem illum eſſe Catalogum è recentiorum *conjecturis erroribuſque* in aliam longè formam mutatum quàm Sæculo illo habere potuit quo vixit ipſe *Liberius*. Recentiora certè *Liberio* tempora indicant verba illa, *Fuit temporibus Conſtantii*, &c. Qui enim *Fuit*, jam non fuiſſe ampliùs, cum hæc ſcriberentur, innuitur. Nec ſequitur, quia nulli memorantur ejus ſupremi *Coſſ.* proinde Autori nondum fuiſſe exploratos, cum & alia habeamus, in hoc ipſo Catalogo, *Coſſ.* deficientium exempla ſatis frequentia. *Damaſi* profectò tempora, proximi fere Succeſſoris, deſignat vox illa potiùs quàm *Liberii*. Et quidem *Damaſi* nomen præ ſe tuliſſe, & pro *Damaſo* haberi voluiſſe, Impoſtorem, quicunque fuit, illum qui primam hodierni Libri Pontificalis formam concinnavit, teſtatum faciunt ſuppoſititiæ illæ *Epiſtolæ* tam *Hieronymi* ad *Damaſum* quàm viceverſâ *Damaſi* ad *Hieronymum*. Illas *Epiſtolas* nullis unquam *ſecundo Catalogo* antiquioribus codicibus reperiri obſervavit ante Nos *Heinſchenius*. Proinde conſentaneum eſt *Juſtiniano* recentiorem fuiſſe planum illum qui primus *Damaſi* nomen perſonamque ſibi vendicare auſus eſt. Sic facilè intelligimus cur *brevior* fuerit

primus

primus ille, qui habetur, Catalogus è *ſecundo* tandem effingendus. Facile nimirum vidit Impoſtor pro *Damaſo* haberi neutiquam potuiſſe qui *juniores* Damaſo Pontifices commemorâſſet. Sic itaque neceſſariam videbat contractiorem aliam Catalogi formam, quæque fuerit *Damaſi* aliquo *deceſſore* terminanda. Formam autem aliam nullam prorſus habemus huic Impoſtoris conſilio accuratiùs reſpondentem, quàm ſit illa *Bucherii*. Terminatur illa proximo fere *Damaſi* deceſſore, ſic tamen illa ut non ampliùs illum fuiſſe innuat, cum ſcriberentur illa, ſuperſtitem. Habet præterea multa, ut oſtendimus, *Euſebiano* Chronico *Latinè* verſo recentiora. Habet etiam ſecundi Catalogi *errores*, non modò alium ab Anencleto *Cletum*, ſed & *ſeriem* Pontificum *perverſiſſimam*, magiſque etiam, quàm *Optati Auguſtinique* temporibus fuerit, erroneam. Habet etiam & *menſes* Pontificum atque *dies*, nullis unquam ſuperiorum *Juſtiniano* temporum monumentis prodi unquam ſolitos, non certè ab Anonymo illo qui ſcripſit ſub *Alexandro Severo*, non ab *Euſebio*, ſed ne quidem ab Euſebii *Excriptoribus Interpretibuſve* antiquiſſimis, non *Ruffino*, non *Proſpero*, ſed ne quidem à *recentiorum* temporum *Græcis*, ne quidem à recentioribus Euſebio *Hiſtoricis*, qui quidem fuerint *Juſtiniano* antiquiores, non *Socrate*, non *Sozomeno*, non *Theodoreto*, non *Theodoro* Lectore, nec *Evagrio*; ne quidem à Scriptoribus illorum temporum *Latinis*, non *Marcellino Comite*, non *Victore Tunnunenſi*, nec *Idatio*. Annos illi ſæpe coævorum *Pontificum Romanorum* recenſent. Qui *menſes* autem, aut *dies*, adjeciſſet, neminem, ut opinor, habemus, *Juſtiniano* antiquiorem. Et ſiquis fecit, fecit tamen id *rariſſimè*, & in *recentiſſimæ* duntaxat memoriæ Pontificibus. Inde intelligimus à *ſexto* demum *Sæculo* cœpiſſe morem illum in *Pontificibus Romanis*, qui fuerat in *Imperatoribus* antiquiſſimus, ut præter *annos* ſolidos *menſes* præterea *dieſque* monumentis conſignarent. Hos itaque non aliunde quàm è *ſecundo* demum *Catalogo* didicit primi qui habetur antiquiſſimus Impoſtor. Idem tamen *brevi-*

andum conſuit tribuendum *Damaſo* Catalogum. Nempe quò ſimplicior videretur, ætatemque quam ferebat, repræſentaret accuratiùs. Hac certè *brevitate* non obſtante, Catalogum alium nullum habemus qui poſſit *Damaſo* aſſignari cum aliquâ veriſimilitudinis vel ſpecie. Nullum prorſus alium additamentis illis, quæ in *Bucherianò* deſunt, interpolatum qui vel deficiat in Pontifice Damaſo *antiquiore*. Quare dubitandum non eſt quin *primum* quoque illum (qui habetur) Catalogum *è ſecundo* confinxerit aliquis *ſexti*, ad minimum, *Sæculi* Impoſtor, qui etiam idem *Epiſtolas* ſub *Hieronymi Damaſique* nominibus, fuerit commentus, quanquam nullæ prorſus in paucis quos habemus primi, ſed ſequentium duntaxat Catalogorum, Codicibus MSS. præfixæ compareant. Hanc Nos ſententiam veram exiſtimamus, & ad illam proinde quæ ſuprà ſcripſimus omnia eſſe exigenda.

FINIS.

Add. pag. 123. l. 28.

Atque hinc obiter conſtat, non à *coævis*, ſed à *Faſtis* retrorſùm numeratis, hos fuiſſe, uti dixi, *Coſſ.* Conſulatus enim quos, Patre Imperante, geſſit *Domitianus*, ſuppreſſos fuiſſe, uno duntaxat excepto Ordinario, teſtis eſt *Suetonius*. Illos tamen poſtea Patre atque *Frate* extinctis, numeràſſe conſtat è coævis monumentis. VI. Ergo ejus cum Patre Conſulatum nemo coævus numerare fuiſſet auſus.